ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO

CYNOSURA MATERIÆ MEDICÆ CONTINUATA,

AD

CYNOSURÆ MATERIÆ MEDICÆ HERMANNIANÆ IMITATIONEM COLLECTA,

ET IN LUCEM EMISSA

A

JOHANNE BOECLERO

Philoſ. & Medic. Doct. Botan. atque Chym. apud Argentinenſes Prof. Publ. Ord. Capit. Thom. Canon.

ARGENTORATI,

Sumptibus JOHANNIS BECKII.

M. DCC. XXIX.

VIRO
PERILLUSTRI,
GENEROSISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO,
DOMINO,
DN. FRANCISCO JOSEPHO
DE
KLINGLIN,
REGI à CONSILIIS,
SUPREMI, QUOD IN ALSATIA EST,
DICASTERII CONSILIARIO EQUITI HONORARIO,
CIVITATIS REGIÆ
ARGENTINENSIS
PRÆTORI REGIO,
TOTIUS MAGISTRATUS ARGENTO-
RATENSIS PRÆSIDI GRAVISSIMO,
UNIVERSITATIS PROTECTORI
GRATIOSISSIMO,

NEC NON

VIRO

GENEROSISSIMO MAXIMEQUE STRENUO,

DOMINO,

DN. ANTONIO EBERHARDO BOCK,

DE BLÆSHEIM ET GERSTHEIM,

ÆQUITI ALSATAE,

CIVITATIS REGIÆ ARGENTORATENSIS

PRÆTORI, ATQUE TREDECIMVIRO

MERITISSIMO,

CANCELLARIO UNIVERSITATIS

EMINENTISSIMO,

UT ET

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,

CONSULTISSIMIS ATQUE PRUDENTISSIMIS,

DN. PHILIPPO CASPARO

LEITERSPERGER

CONSULARI ATQUE TREDECIMVIRO DIGNIS-

SIMO, SCHOLARCHÆ UNIVERSITATIS

FAMIGERATISSIMO,

DN. JOH. PAULO SCHÜBLER,

TREDECIMVIRO ET UNIVERSITATIS

SCHOLARCHÆ DIGNISSIMO,

OPUS HOCCE SACRUM ESTO.

VIRI
PERILLUSTRIS,
GENEROSISSIME, MAGNIFICI, PRUDENTISSIMIQUE, MÆCENATES ATQUE PATRONI OPTIMI.

AUdet qualiſcunque hicce tractatus ſub auſpicio VESTRO Perilluſtri atque Magnifico in lucem prodire eo confidentius, quo magis omnibus Illuſtris hujus Heliconis membris de intimo

VESTRO in quibusvis ſcientiis & bonis artibus promovendis affectu atque ardore certiſſime perſuaſum eſt. Accedit nunquam ſatis laudanda humanitas & benevolentia VESTRA, qua literarum Doctores atque cultores omni tempore complectimini. Non ignoro equidem TANTIS NOMINIBUS meliori atque fragrantiori fuiſſe litandum ſuffimento: verum cum, ubi deſint vires, tamen non omnimode culpanda ſit voluntas, ideo levidenſium harum pagellarum author optima lactatur ſpe, exiguum hocce devotæ, qua VOS, VIRI PERILLUSTRIS, GENEROSISSIME, atque MAGNIFICI, ut decet, proſequitur, Venerationis teſtimonium minime contemptum iri. Suſcipite itaque ſerena fronte, MÆCENATES OPTIMI, quicquid hic vobis inſcribitur dedicaturque laboris Academici, in ſalutem proximi & Philiatrorum commodum congeſti, eumque, qui VOBIS, PATRIÆ & UNIVERSITATIS PATRES, non niſi omnigenam, non niſi ad ſeram usque poſteritatem perennaturam ab Omnipotente Deo apprecatur proſperitatem, ſummo VESTRO Patrocinio atque favore in poſterum quoque dignari ne gravemini. Mearum ſemper erit partium quavis occaſione conteſtari per omnem vitam, quod illu-

illuſtrium VESTORUM meritorum & decantatiſſimarum VESTRARUM virtutum ad ultimum usque vitæ halitum extiturus ſim,

PERILLUSTRIS DN. PRÆTOR REGIE,
EMINENTISSIME DN. CANCELLARIE,
ATQUE MAGNIFICI DOMINI
SCHOLARCHÆ,

Admirator & cultor
devotiſſimus

JOHANNES BOECLERUS.

PRÆFATIO.

DUm ante tres circiter annos ad preces *Bibliopolæ* CYNOSURAM MATERIÆ MEDICÆ *a celeberrimo* DN. PAULO HERMANNO, *Med. Dr. & Prof. Lugduno Batavo, conſcriptam, notis atque additamentis* HENNINGERIANIS, *& meis qualibuscunque auctam in publicum rurſus prodire curaveram, promiſi me cum tempore ſupplementum ſimplicium & compoſitorum, ab authore* HERMANNO *omiſſorum in lucem emiſſurum. Cum promiſſa cadant in debitum, illius partem*

partem nunc ſolvere decrevi. Eadem in hac CYNOSURA CONTINUATA, *ac in annotationibus ad* HERMANNI *Cynoſuram, uſus fui methodo, ſimplicia etiam ſub iisdem capitibus cum* HERMANNO *recenſens. Equidem aliquid redargui hac in re poſſe non diffiteor, verum quoniam haud pauci methodo* HERMANNIANÆ *aſſueti ſunt, ideoque nolui ab ejus veſtigiis declinare, præſertim cum facile cuique ſit, minus forſan recte collocata, ad debitam referre claſſem. Sic æquus Lector facile perſpici poterit ex incuria præſertim typographi Melianthum non rite fuiſſe collocatum. Hoc conteſtari audeo, me optimorum, & quantum poſſibile erat, fide digniſſimorum authorum laboribus uſum eſſe. Suum etiam cuique tribuo, & ſi forſan unius alteriusque Authoris nomen, ex quo & materia & verba fuere deprompta, fuit omiſſum, malitiæ & deſiderio novi authoris famam aucupandi ne adſcribatur, rogito: plane enim nolo pavoninis plumis inſtar cornicis ſuperbire. Unice utilitatem Philiatrorum atque in ægrotos exinde redundantem utilitatem reſpexi, cumque, quæ de Materia Medica dicta ſunt, in millenis, ut ita loquar, authoribus diſperſa ſint & lateant, ideoque meos conatus minime ſuperfluos futuros exiſtimavi, ſi præcipua colligerem & in certum ordinem diſponerem. Non*

nego poſſe objici, quod Materiæ Medicæ tractatio in compendium deberet potius redigi quam amplificari, verum facilis eſt reſponſio, quod licet Medicus paucis quoque armis contra Hydram Lernæam morborum poſſit pugnare, attamen ſæpius non tantummodo contingat, ut hæc pauca non ſufficiant, ſed & alia longe quærenda ſint. Porro reperiuntur, qui & remedia ubivis obvia ſpernunt, quibus tamen Agyrtæ, Uromantæ, vetulæ haud raro magnam ſibi comparant famam, & Medicis labem affricant, quod talia aut ignorent aut negligant. Quis porro Medicorum certus eſſe poteſt, ut non interrogetur de hujus vel illius plantæ indigenæ vel exoticæ viribus, de hoc vel illo minerali, de hoc vel illo animali, ſententiam reddere. Non dicam de illis Medicis, qui in aulis Regum atque Principum artem facientes, ſæpius opus habent de multis naturalibus etiam non magnum uſum in praxi habentibus diſſerere, niſi pro ignaris imo ſtupidis cenſeri velint; ſed dicam de illis, qui in urbibus & pagis praxin exercent. Nonne iſtis incumbit, ut de extraordinariis effectibus ſæpius reſpondeant. Exemplo ſit Stramonium, cujus ſemen, uti notum eſt, admiranda in corpore humano exerit ſymptomata, quomodo quæſo conſcientioſe pronuntiare, aut qua ratione obviam ire malo inducto quis poterit, ſi

ignoret,

ignoret quid & cujus naturæ ſit Datura. Quum inſuper Medico non tantummodo incumbat, ut remedia præſcribat, ſed & victus rationem, debitamque diætam inſtituendi regulas injungat, plura ad hunc ſcopum facientia hic inſerui. In definitionibus dandis in regno Vegetabili JOH. BAUHINI *&* RAJI *præprimis opera uſus, in regno animali multum,* SEBIZIUM, SCHWENCKFELDT, SPERLINGIUM *&c. ſecutus fui, in regno vero minerali verbis præprimis* LANGII *adhæſi. Reliqua ex diverſiſſimis ſcriptis, ſed bene ponderata imo ſæpiſſime ſtrictius examinata compilavi, formulasque remediorum ex optimis authoribus ſelegi. Cæterum ut integrum Materiæ Medicæ ſyſtema concinnetur, plura deeſſe non nego. Nihil v. gr. dictum de decantato lapide de Cobra, nihil prolatum de lapide del Porco. Multa animalia fuere intermiſſa, & haud pauca vegetabilia deficiunt. Confiteor, ſed non abs re hoc factum eſſe aſſero. Non enim tantummodo tractatus hicce nimium excreviſſet, ſed & tempus ſcribentem defeciſſet, ſi omnia omnino nunc fuiſſent publicanda. Præſtabo tamen in poſterum quoque, quicquid humeri valebunt, & quod reſtat debiti promiſſi omnimodo perſolvam, ſi Deus vires vitamque conceſſerit, inque publicum prodire faciam* SUPPLEMEN-

MENTUM CYNOSURÆ MATERIÆ MEDICÆ, *quo poſtmodum integro tractatu tanquam Lexico & Artis Magiſtri æque ac filii uti poſſint. Doctorum erit Tyronibus & junioribus indigitare, quænam ſint ſeligenda ad hoſtem profligandum inſtrumenta; Practicis vero incumbet, omnia in ſuccum & ſanguinem, pro ſalute ægrorum, quæ ſumma Medicorum lex eſſe debet, convertere. Optima interim ſpe lactor, multos haud pauca, quæ tum ad eſſe, tum etiam ad bene eſſe Medici contribuere, tum etiam quæ Curioſorum deſideriis ſatisfacere queant, reperturos. Deo interim T. O. M. qui omnibus divinam ſuam adſpergat gratiam, ſit pro conceſſis viribus Laus Honor & Gloria, in Sempiterna Secula.*

PARS PRIMA,

REGNUM VEGETABILE EXHIBENS.

CAPUT PRIMUM.

DE RADICIBUS.

RADICES SALE VOLATILI OLEOSO CONSTANTES.

Radix Rhodia.
Radix St. Helenæ.

RHODIA RADIX.

EST radix Rhodia C. B. Pin: craſſa, tuberoſa, inæqualis foris in fuſco ſplendens, intus alba, fragilis, roſeum odorem halans, guſtu roſis ſimili non ignaviter adſtringente.

ῥόδια ῥίζα, RADIX RHODIA, RADIX ROSEA, ROSARIA Roſen-Wurtz/ ab odore & ſapore ita dicitur: flores enim roſarum æmulatur.

Eſt planta ad anacampſerotem pertinens.
Anacampſeros radice roſam ſpirante major Tourn. I. R. H. cl. 6. S. 6. g. 2. Rhodia radix C. B. Pin. 286. & I. B. 3. 683. & Dod. Pempt. 347.

Creſcit in Alpibus, gaudet ſolo umbroſo. Colitur etiam in hortis.

Radix hæc ob principia roſis analoga virtutibus quoque non omnino diſſimilibus conſtat. Rarius quidem uſurpatur, interim commendatur ad cephalalgiam cum aqua Roſarum Verbenæque aut etiam aceto mixta in dolore capitis ex apricatione contracto. Miſcetur quoque aliis frontalibus & oxyrrhodinis. Halitum porro oris emendat, & in cucuphis adhibetur. Dicitur & motum ſanguinis nimis auctum refrænare.

℞. Rad. Rhod. Cort. querc. ten. ana ℨij. Myrrh. Croc. Ocul. ♋. flor. Sulph. ana ℈j. flor. ſal. armon. hæmat. ℈ß. f pulvis cuſpidatim ſumendus in febribus intermittentibus cum inſigni capitis dolore.

℞. Pulv. Rad. Rhodiæ, pulv. Verbenæ ana ℥ß. Pulvis aſpergendus dolenti capiti.

RADIX St. HELENÆ.

Eſt radix longa pollicem craſſa, nodoſa, extus nigricans, interius alba, ſaporis aromatici & grati Galangam æmulantis.

Com-

Adfertur ex portu St. Helenæ in Provincia Americana Florida dicta, in qua naſcitur.

Vocatur PATER NOSTER St. HELENÆ, CYPERUS AMERICANUS, GALANGÆ SIMILIS RADIX EX FLORIDA. Ex nodis diſſectis perforatisque fiunt ſphærulæ precatoriæ, quæ ſiccatæ rugantur, oſſeamque acquirunt duritiem.

PASTI-

Commendatur hæc radix ad dolores ventriculi in Vino præſertim infuſa. Aperit, & in colica nephritica & difficultate urinæ laudatur. Exterius membris roborandis applicatur.

RADICES SALE VOLATILI DULCEDINE JUNCTA CONSTANTES.

Paſtinacæ ſativæ latifoliæ.
Paſtinacæ ſativæ tenuifoliæ.
Paſtinacæ luteæ.
Dauci Alſatici.
Cervariæ nigræ.
Angelicæ ſylveſtris majoris.
Angelicæ ſylveſtris minoris.
Myrrhidis.

PASTINACA LATIFOLIA SATIVA.

Sunt radices Paſtinacæ ſativæ latifoliæ C. B. Pin. longæ craſſæ & carnoſæ, albæ, in medio nervo duro donatæ, ſapore dulci & multorum palatis grato.

Radices

PASTINACA dicta videtur à paſcendo, quia, ut SEBIZIUS ait, corpus alit, & in paſtum ſæpe venit, juxta verſiculum SALERNITANORUM.

Quod paſtum tribuat, eſt paſtinaca vocata.

Alii à paſtino derivant inſtrumento, quo terra extrahendo colitur. PASTINACA CERVINA, OLUS CERVINUM, HERBA CERVINA, ELAPHOBOSCUM, quoniam ſpecies ſylveſtris Cervis cedit in uſum, Paſtinacken/ Paſteney/ Paſtenade/ Paſtnegel/ Peſtnegel/ zahme Peſtnacken / weiße Möhren. PANAIS, PASTENADE.

Eſt planta flore roſaceo & umbellato, plurimis petalis conſtante in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum compoſitum ex duobus ſeminibus ovatis, amplis, tenuibus, marginatis, involucrum plerumque deponentibus. Quibus notis addenda ſunt folia alata & ampla.

Sequens prior ſpecies præſertim hic intelligitur, attamen & altera quoque in caſu neceſſitatis ſubſtitui poteſt.

Paſtinaca ſativa latifolia C. B. P. 155. Paſtinaca ſativa latifolia Germanica luteo flore I. B. 3. 2. 150. Elaphoboſcum ſativum Tabern. Icon. 76.

Paſtinaca ſylveſtris latifolia. C. B. P. Paſtinaca Germanica ſylveſtris quibusdam Elaphoboſcum I. B. 3. 2. 149. Elaphoboſcum erraticum, Branca Leonina Tab. Icon. 77. Wild-Hirſch Paſtinack/Wild-Morelle.

Prior ſpecies colitur ad uſum præſertim ciborum in hortis & agris: floret Julio & Auguſto altero à ſatione anno. Secunda ſpecies paſſim provenit inter ſylveſtres plantas in collibus agrorum & vinearum, herboſis locis & ſiccis pratis.

Radices prioris Paſtinacæ præſertim in uſum cedunt. Vitioſum alimentum non gignunt, ſunt tamen quodammodo flatulentæ, dyſpeptæ, diureticæ & veneris ſtimulatrices, Mulieribus menſtrua movere dicuntur. Urinam quoque promovent. Coquuntur vel per ſe vel cum variis carnibus.

PASTINACA TENUIFOLIA.

Eſt Radix Paſtinacæ tenuifoliæ ſativæ radice alba C. B. P. pedem & ultra longa, craſſa, friabilis, alba, ſucculenta, ſapore dulci aromatico, odore non injucundo.

Gaudet

STAPHYLINUS ALBUS, CAROTTA ALBA, weiße Möhren.

Pertinet etiam ad Dauci ſpecies, nempe eſt

Daucus

Daucus ſativus radice alba Tourn. I. R. H. cl. 7. S. 1. g. 7. Paſtinaca tenuifolia ſativa radice alba C. B. P. 151. Paſtinaca ſativa ſive Carota alba I. B. 3. 2. 64.

Colitur ut Paſtinaca lutea, à qua non differt niſi radice præſertim ratione coloris.

Gaudet iisdem ac Paſtinaca lutea virtutibus.

PASTINACA LUTEA.

Eſt radix Paſtinacæ tenuifoliæ radice lutea. C. B. P. longa, craſſa, carnoſa, lutea buxei coloris ex albo flaveſcens, ſucculenta, ſaporis dulcis aromatici, odoris grati.

Vocatur alias Carota Lutea, Carota buxei coloris. Staphylinus Sativus, Daucus domesticus, geele Rüben/ Mören/ geele Mören/ Carotten/ Möhr-Würtzlen/ Carottes Jaunes, Pastinades Jaunes.

Pertinet ad Daucum, eſt nempe,

Daucus ſativus radice lutea Tourn. I. R. H. P. cl. 7. S. 1. g. 7. Paſtinaca tenuifolia ſativa radice lutea C. B. Pin. 51. Paſtinaca ſativa ſive Carota lutea I. B. 3. 2. 64. Paſtinaca tenuifolia ſativa Dod. Pempt. 678.

In hortis & campis ob radices colitur plurima. Autumno præſertim radices vigent & per hyemem aſſervantur.

à Tourne-

Hæc radix inſervit culinis præſertim, alimentum præbet non quidem copioſum attamen non reprobum. Flatulentum quid obtinet, ſed minus quam rapa, qua etiam minus cito deſcendit, ut docet Sebizius. Prodeſſe dicitur iis qui obſtructionibus renum & veſicæ laborant; urinam ſabulum & calculum pellit, ſtranguriæ medetur. Lac auget. Tabidis convenit & in Ictero prodeſſe dicitur. Commendatur ſuccus hujus radicis recens expreſſus in iſchuria.

Confortat ſtomachum, nec eſt ad menſtrua muta.

Radices Paſtinacæ luteæ in aqua communi decoctæ teſſelatim inciduntur, cumque butyro pipere & ſale eſitantur, ſæpius tamen in jure decoquuntur & una cum carnibus aut in offis eduntur condimenti loco Rapi aut Napi modo.

DAUCUS ALSATICUS.

Eſt radix Dauci Alſatici C B. Pr. craſſa, oblonga, in fibras craſſiores diviſa, cujus ſummo multa villoſa capita adpoſita, ſapore aromatico ſubacri & ſubamaro ſed vegetiore quam ſeminis.

à TOURNEFORTIO ad Oreoſelinum refertur, eſt nempe,

Oreoſelinum pratenſe Cicutæ folio Tourn. I. H. R. cl. 7. S. 5. g. 1. Daucus Alſaticus C. B. Prodr. 77. Umbellifera Alſatica magna umbella parva ſublutea I. B. 3. part. 2. 106.

Junio & Julio floret in dumetis Alſatiæ ſuperioris, copioſiſſime quoque in Alſatiæ inferioris pratis humidioribus obſervatur.

Hæc radix equidem in uſum non trahitur, nullum autem eſt dubium, quin viribus reſpondeat radicibus paſtinacæ.

CERVARIA NIGRA.

Eſt radix Cervariæ nigræ I. B. hirſuta coma, craſſior, foris nigricans, intus alba, lentam mucilaginem vulnerata manans, ſapore reſinaceo aromatico grato, ad paſtinacæ Germanicæ accedens ſaporem, ſubſtantia teneriuſcula.

Radix

Vocatur OREOSELINUM, quaſi diceres Selinum montanum, LIBANOTIS, DAUCUS SELINOIDES, SAXIFRAGIA VENETORUM, Hirſchwurtz/ Hirtzwurtz/ ſchwartze Hirſchwurtz. PERSIL DE MONTAGNE.

Oreoſeli-

Oreoſelinum eſt plantæ genus, flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum, compoſitum ex duobus ſeminibus ovatis, planis, amplis, ſtriatis marginatis, involucrum quandoque deponentibus.

Hic intelligitur

Oreoſelinum Apii folio majus. Tourn. I. R. H. cl. 7. S. 5. g. 1. Daucus montanus Apii folio major, C. B. Pin. 150. Libanotis altera quorumdam, aliis dicta Cervaria nigra I. B. 3. 2. 165. Daucus ſecundus Selinoides. Lob. Icon. 720.

Montoſis aſperis & petroſis fruticat, in paſcuis montoſis, item in vinetis provenit.

Radix calefacit, ſiccat, aperit, attenuat, pota venena pellit per ſudores, ut docet SCHWENCKFELDT, morſibusque venenoſis auxiliatur, ſtranguriam tollit, renes expurgat, calculum comminuit, & renes ab arenulis liberat.

ANGELICA SYLVESTRIS MAJOR.

Eſt Angelicæ ſylveſtris majoris C. B. Pin. radix rugoſa, craſſa, ſed minus quam ſativæ, ſapore interim non minus vegeto, imo interdum luculentius excalfaciente, verum cum minore ſuavitate.

Angelica

ANGELICA SYLVESTRIS vocatur etiam à quibusdam ANGELICA AQUATICA, Wild-Angelick / Waſſer-Angelick / Wild-Heiliggeiſt-Wurtz. ANGELIQUE SAUVAGE.

Eſt ſpecies Imperatoriæ, nimirum: Imperatoria pratenſis major. Tourn. I. R. H. cl. 7. S. 4. g. 1. Angelica Sylveſtris major. C. B. Pin. 155. Angelica Sylveſtris magna, vulgatior. I. B. 3. 2. 144. Angelica Sylveſtris. Dod. Pempt. 318.

Paſſim in pratis ſecus fluenta occurrit, florens æſtate.

Ipſis

Angelica ſylveſtris iisdem pollere viribus creditur cum ſativa, verum languidior & infirmior eſt multo. Corrigit proventum ſaburramque craſſorum & viſcidorum humorum atq; fœtidum halitum emendat. Quidam hanc Angelicam commendant in morbis equorum, pecorum & ſuum, exhibitam viridem in potu vel ſiccam.

ANGELICA SYLVESTRIS MINOR.

Eſt radix Angelicæ ſylveſtris minoris C. B. Pin. tenuis, fibroſa, longe lateque reptans, odore & ſapore quadantenus Angelicæ, ſed longe infirmiore.

De Virtute hujus radicis ita diſſerunt. Angelicæ ſativæ absque piaculo aucta ſaltem doſi ſubſtitui poteſt. Eſt diaphoretica & ſudorifera; hinc & alexipharmaca, carminativa, flatuumque præſertim primis in viis hærentium diſcuſſiva. Ad podagram quid valeat non æque patet, forte tamen ob vim ſuam diaphoreticam ac ſudoriferam in hac ſuas habebit virtutes. Radix hæc quoque aliquot diebus ex vino pota febres putridas ſanare dicitur.

MYRRHIS.

Eſt radix craſſa Myrrhidis majoris, ſeu Cicutariæ odoratæ, C.B.Pin. inſigniter craſſa, adnatis plurimis & craſſis donata, alba, ſapore ſubacri grato aromatico, inſtar ſeminis aniſi.

Radix hæc primo vere regerminans cum vino pota, ut docet JOH. BAUHINUS, medetur morſui aranearum; a partu purgat mulieres, & menſtrua promovet. Cum melle cocta & ſumpta tabidis conducit, pectus & vaſa reſpirationi dicata à viſcoſis humoribus purgat. Cum vino cocta & bis aut ter in die de hac pota à peſte præſervat Radicem porro hanc decoquunt

ad

ad urinam provocandam. Hinc ictericis, hydropicis, affectibus Renum & veſicæ commendatur. Fit quoque extractum ex herba & radice, contra peſtem & puerorum epilepſiam. Radix hæc tribus diebus in aqua macerata, facieque hac lota ulcera ejusdem curat.

RADIX SALE VOLATILI OLEOSO AROMATICO MIXTIS PARTICULIS TERREIS ET SALINIS FIXIS CONSTANS.

Iridis noſtratis.

IRIS NOSTRAS.

Eſt radix Iridis vulgaris germanicæ ſive ſylveſtris C. B.P. oblonga, craſſa, rugoſa, geniculata, fibras frequentes emittens, extus ex fuſco nigricans, intus alba, ſaporis acris & fervidi, conſumpto humore tandem odorata, violæ Martiæ odorem ſpirans.

In

Ἶρις ἰρὶς. Iris vocatur à diverſitate florum, qui colorum ſimilitudine Iridem cæleſtem æmulantur. Vocatur etiam URANIA, PURGATRIX & CONSECRATRIX, quod purificationibus olim adhiberetur. Dicitur quoque RADIX MARICA vel potius NARONICA, LILIUM COELESTE, LILIUM CÆRULEUM, RADIX VIOLACEA, Blaue-Schwertel/ Himmel-Schwertel/ Gilgen-Schwertel/blaue Lilien. FLAMBE, GLAYEUL, IRIS.

Eſt plantæ genus flore liliaceo monopetalo, ad exortum veluti infundibuliformi, & in ſex partes ampliato, quarum tres partes ſurſum, tres vero deorſum ſpectant. Piſtillum è fundo floris ſurgit, tribus petalis inſtructum fornicatis, & partibus florum deorſum inflexis ita incumbentibus, ut palati cujusdam ſpeciem præ ſe ferant. Calyx autem deinde abit in fructum oblongum, trifariam apice dehiſcentem,

in tria loculamenta diviſum, & ſeminibus fœtum nunc ſubrotundis nunc planis. His notis addenda eſt radix carnoſa, oblonga, repens & tunicis carens.

Ex pluribus Iridis ſpeciebus intelligitur hic,

Iris vulgaris Germanica ſive ſylveſtris C. B. Pin. 30. Iris vulgaris violacea ſive purpurea ſylveſtris I. B. 2. 709. Iris ſylveſtris Tabern. Icon. 648.

In pratis & arvis provenit, colitur quoque in hortis, & diverſitate florum ſuperbit, floret Aprili, Majo &c.

IN

In uſu eſt radix colligenda Vere, antequam fere germinare incipiat. Ob ſal acre aperit atque incidit, & attenuat. Succus recenter expreſſus hydragogum remedium cenſetur purgans ἄνω & κάτω. Commendatur in affectibus contumacibus œdematoſis & cachecticis. Laudatur in hydrope. Datur hic ſuccus ab ℥ß ad ℥ij. ad ℥iij &c. quoniam autem eſt acerrimus, ne in ore fiat exulceratio, non niſi cum vino vel brodio carnium exhiberi debet, ſuccus quoque hic cum ſaccharo in ſyrupum redigi poterit. Pulvis radicis ſiccæ ad ℈jv. usque à quibusdam exhibetur interne; ſunt qui hanc radicem laudant in affectibus pectoris & menſium obſtructione. Loco ſucci radix etiam recens, ex mente ETTMÜLLERI, inciſa decoqui poteſt in jure pulli, & decoctum leniter expreſſum propinari, donec æger ſatis fuerit purgatus. Præſupponit autem uſus hujus radicis ejusdemque ſucci viſcera & ventriculos bonos. Radix hæc in fruſta diſciſſa & ſiccata odoris conciliandi gratia cum veſtimentis & linteaminibus reponi poteſt.

℞. Succ. rad. Ireos noſtrat. Syrup. Violar. ana ʒvj. ad ℥j. Mſc. propinetur pro uſu Hydragogo.

℞. Rad. Ireos noſtratis ℥ij. Sal. abſinth. ʒj. macerentur in vini albi ℔. ij. per 24. horas deinde leviter bulliant & cum ſac-

chari

chari ſufficiente quantitate coquantur ad conſiſtentiam Syrupi, cujus doſis eſt ab ℥j. ad ℥ij.

℞. Succ. Irid. noſtrat. ℥iij. Syrup. infuſ. flor. perſic. roſar. ſolut. ana ℥ß. aqu. Cinam. ℥iij. Mſc. f. potio pro uno præbio.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Aqua Iridis cæleſtis, blau Vegel-Wurtzel-Waſſer/*Eau d'Iris bleüe*. Commendatur tanquam Cephalalgica apoplecticis & iis, qui linguæ paralyſin paſſi ſunt, delet lentigines & maculas faciei. Ophthalmica quoq; vi gaudere dicitur.

Oleum Irinum, Veielwurtzel-Oehl/ *Huile d'Iris*, per infuſionem paratum atque coctionem. Attenuat, reſolvit, detergit atque maturat, tumoribus duris conducit. Scrophulas atque ſtrumas diſcutit. Valet contra ſpasmum & dolores colicos. Prodeſt contra dolores pleuriticos, tuſſim & aſthma mitigat. Naribus inunctum in coryza conducit.

Nomen

RADIX CONSTANS SALE AROMATICO BLANDO SEU MITIORI, CONSTANS VIRTUTE DIURETICA, APERIENTE, ET BLANDE SUDORIFERA.

Chærophylli Sylveſtris.

CHÆROPHYLLUM SYLVESTRE.

Eſt radix Chærophylli ſylveſtris C. B. Pin. lignoſa, ſimplex, alba, ſapore paſtinacæ aromatico.

Virtute gaudet aperitiva & diuretica, ſed rarius uſurpatur.

RADICES SALE VOLATILI AROMATICO SPIRITUOSO ET PENETRANTE ET PAUCO ACIDO VOLATILI CONSTANTES.

Allii.
Cepæ.
Porri.
Victorialis longæ.
Victorialis rotundæ.
Serpentariæ.
Cepæ Aſcalonicæ.

ALLIUM.

Eſt radix Allii ſativi C. B. Pin. ſive bulbus non ſimplex, ſed numeroſis nucleis ſub una membrana collectis conſtans, ſapore peracri, odore gravi.

Allium

Nomen forſan, ut SEBIZIUS loquitur, accepit à verbo ἄλλεσθαι h.e. exilire, quod exiliendo creſcat. Græci σκόροδον appellant, quaſi σκαῖον ῥόδον, rudem roſam; quia gravem odorem ſpirat & olfacientium nares offendit. Alii ALIUM, ab exhalando derivant, quod ingratum odorem exhalet. ALLIUM MULTIFIDUM juxta eumdem authorem nominatur, quoniam bulbus ejus in multos nucleos, quos Germani Zehen appellant, dividi queat. Knoblauch / quaſi Knopff oder Kopfflauch. AIL.

Eſt plantæ genus flore Liliaceo, ex ſex petalis in orbem poſitis conſtante. Ex meditullio ſurgit piſtillum, quod abit in fructum trigonum, ſubrotundum, in tria loculamenta diviſum, & ſeminibus fœtum ſubrotundis. Quibus notis addendi flores in capitulum collecti rotun-

dum,

dum, ut & radices tunicatæ, ex pluribus quaſi nucleis conſtantes.

In uſu præcipue

Allium ſativum. C. B. P. 73. Allium vulgare & ſativum, I. B. 2. 554. & Dod. Pempt. 682. ut &

Allium ſativum alterum, ſive Allioprasum caulis ſummo circumvoluto. C. B. Pin. 73. Allium ſativum amphicarpon, quod & radicum nucleis ſeritur, & ſeminibus quæ nucleos ſimilitudine referunt. Cord. Hiſt. Allii genus Ophioſcordon dictum quibusdam I. B. 2. 559. Scorodopraſum II. Clus. Hiſt. 191. Welſch Knoblauch/ Schlangen-Knoblauch. ROCAMBOLE, ROQUEMBOLES, ECHALOTTES d'ESPAGNE.

CEPE,

Allium & quidem prima ejus ſpecies in uſum ſuppeditat præprimis radicem. Omnibus ſuis proprietatibus indicat, efficaciam ſuam dependere a Sale volatili acerrimo & inſigniter penetrante; vim hinc habet incidendi, penetrandi, attenuandi & aperiendi, Uſurpatur allium in cibo, liceatque SEBIZIUS dicat ruſticorum potius & plebejorum eſſe obſonium, ab aliis tamen quoque lautioris fortunæ hominibus aliquid allii cibis admiſcetur guſtus gratia. Graveolens halitus, quem ſpirare ſolent, qui allium deguſtant, tollitur, ſi faba cruda, radix zedoariæ vel radix betæ toſta, vel radix petroſelini, vel radix apii, aut viridia rutæ folia ſuperedantur. Eundem effectum præſtant Cinnamomum, Caryophylli, Semen Aniſi & Foeniculi, ſi maſticentur, aut ſi poma comedantur.

Vires Medicas quod concernit, roborat calorem, excitat appetitum, juvat ſtomachum, vim obtinet diaphoreticam & alexipharmicam, unde tempore contagii aſſumuntur ſingulis mane aliquot nuclei pro contagio coercendo. Laudatur contra morſus animalium venenatorum, aliaque venena.

à GALENO jam vocabatur *Ruſticorum Theriaca*, qua in re aſſentiuntur SALERNITANI, canentes.

Allia, Ruta, Pyra & Raphanus cum Theriaca Nux,
Præſtant antidotum contra lethale venenum.

Prodeſt porro Allium in colica flatulenta, ſed cavendum ne nimum uſurpetur. Aphrodiſiacum quoque ob ſal volatile eſſe remedium fertur. Gaudet præterea virtute diuretica inſigni & eapropter laudatur in hydrope diſuria &c. Tres vel quatuor allii nuclei inſigne auxilium præſtant, ſi ſingulis ſeptimanis & quidem eo ipſe die, qui aliquam Lunæ phaſin præcedit, ab iis qui calculo laborant, comeduntur. Porro allium obſtructa viſcera reſerat, menſes pellit, craſſos humores pulmonibus inhærentes incidit, attenuat, & ad expectorationem promovet, tuſſimque mitigat.
Virtute inſuper pollet anthelmintica, hinc pueris, qui vermibus torquentur, Allium in lacte coctum dari poteſt præſertim Luna decreſcente. Si cum centaurio minore in vino coquatur & mane atque veſperi hauſtus aſſumatur, contra febrem quartanam & hydropem deprædicatur. Allio utuntur nautæ, ad nauſeam arcendam in mari, Milites vero ad aquas paludinoſas & corruptas. Uſus Allii externus eſt ad maturandos bubones peſtilentiales, & ad pediculos necandos: adhibetur in fœtore pedum ſuccus allii plantis pedum affrictus. Applicatur ad ungues contuſos, ut & ad ſugillationes alias, commendatur in tusſi infantum tum pectori tum imprimis plantis pedum applicitum. Urinam ciet perinæo ac pubi appoſitum. Rubefacit porro allium, & quadantenus veſicas excitat, hinc in febribus carpis manuum imponitur, in odon-

odontalgia vero vel flexuræ cubiti vel poſt aures applicatur. Contra ſingultum certum remedium allium prædicatur, ſive manu teneatur ab illo, qui ſingultu laborat, ſive alius manu illud tenens ad ſingultientem ejus rei ignarum accedat, uti teſtantur ACTA ERUD. LIPS. anno 1693. p. 150. & FRANCISC. TERT. DE LAN. MAGIST. NATUR. & ARTIS. Scabiei quoque medetur atque tineæ.

℞. Nucleos Allii q. v. contunde in mortario cum oleo olivarum q. S. ad conſiſtentiam unguenti; quod egregie reſolvit tumores frigidos, & clavos pedum abigit, vermes quoque necat, ſed fœtorem anhelitus cauſatur. TOURNEFORTIUS dicit hoc unguentum appellari *la Moutarde du Diable*.

CEPA.

Eſt radix Cepæ vulgaris ex tunicarum involucris contexta modo rubra (potiſſimum ratione tunicarum exteriorum) modo alba, interdum orbicularis, interdum bulbo longo, acerrima, oculos mordicando lachrymas eliciens.

In

CEPE, CEPA, dicitur à κεφαλῆ, quod figuram capitis referat ipſa radix. κρόμμυον, κρόμυον, quia acredine ſua oculos mordet lacrymasque elicit. Zwiebel/Ziebel. OIGNON.

Eſt plantæ genus flore liliaceo, ex ſex petalis compoſito, quorum meditullium occupat piſtillum, quod deinde abit in fructum ſubrotundum, in tria loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum ſubrotundis. His notis addi debent flores in faſciculum ſphæricum collecti tum & folia caulisque tubulatus.

Sequentes hic intelliguntur ſpecies,

Cepa vulgaris floribus & tunicis candidis. C. B. P. 71. Cepe ſive Cepa alba rotunda. I. B. 2. 547. Cepa alba, Tabern. Icon. 483. Weiße Zwiebel. OIGNON BLANC.

Cepa

Cepa vulgaris floribus & tunicis purpuraſcentibus. C. B. P. 71. Cepe ſive Cepa rubra rotunda. I. B. 2. 547. Cepa rotunda, Dod. Pempt. 687. rothe Zwieblen/ Oignon rouge.

Cepa oblonga Dod. Pempt. 687. Cepe ſive Cepa longa I. B. 2. 547. lange Zwiebel/ Oignon long.

Colitur Cepa in agris & hortis, floret Junio & Julio, deinceps ſemen profert, quod auguſto menſe matureſcit.

Victorialis

In uſum trahitur radix. Notisſimum eſt, quod tam cruda eſitetur, quam cocta in juſculis carnium piſciumque &c. Bulbus, hic juxta TOURNEFORTIUM, examine Chimico exhibet phlegma acidum, ſal volatile concretum & mediocrem quantitatem olei, cum ſale fixo & terra, ita ut concludere poſſimus abundare, cepas tartaro, ſale Ammonicali, ſulphuri juncto. Calefacit & ſiccat cepa, & quidem longa acrior, quam rotunda, flava quam candida, ſicca quam viridis, cruda quam cocta exiſtit. Elixatione ſuam acrimoniam quadantenus deponit, non ſecus ac allium & porrum. Incidit, attenuat & aperit, ſed cruda magis quam elixa. Succi eſt pravi, ut SEBIZIUS loquitur, flatus gignit, urinam & menſes movet: largiore eſu capitis dolorem affert & ſitim parit; alvum ſtimulat, inſomnia efficit turbulenta; oculis nocet, & ingenio obeſt: noxia eſt cholericis & ſiccis corporibus, dentibus item & gingivis &c. ſanguinem porro inflammat veneremque irritat. Cepæ ſub cineribus coctæ atque comeſtæ tuſſientibus & aſthmaticis commendantur. Ruſtici & milites cepas devorant crudas cum ſale & pane; hac qua ratione ſe muniunt adverſus aëris infeſti qualitatem, & bene poteſt dici, quod Allium & Cepa Ruſticorum ſit Theriaca. SALERNITANI ita loquuntur,

De

De Cepis Medici non conſentire videntur,
Fellitis non eſſe bonas ait ipſe GALENUS,
Phlegmaticis vero multum putat eſſe ſalubres.
Non modicum ſanas ASCLEPIUS aſſerit illas,
Præſertim ſtomacho, pulchrumque creare colorem,
Contritis cepis loca denudata capillis
Sæpe fricans capitis poteris reparare decorem:

Vim quoque Cepæ diureticam habent, unde commendantur in nephritide & calculo. Aqua, in qua per noctem pelliculæ Ceparum fuere maceratæ, pueris lumbricis laborantibus exhibetur. Quædam mulierculæ ad ſecundinas expellendas cepas tres mordent, & olfaciunt, aut etiam ſuccum hauriunt. Externe cepæ commendantur quoque ad urinam ſuppreſſam. Coquuntur ſcilicet ſub cineribus calidis, & coctis additur pinguedo anſerina, ſique cauſa ſit in veſica regioni umbilicali & inprimis pubi, ſi vero in renibus exiſtat, regioni renum imponitur unguentum cepaceum. Ad urinæ è nimio coitu ſuppreſſionem applicatur perinæo. Poterit loco adipis ſubſtitui oleum Scorpionum, quod ſimul eſt diureticum. Pelliculæ quoque in ſacculum conjectæ poſtea in vino coctæ, tandemque Veſicæ regioni impoſitæ ſuppreſſam urinam evocant, præſertim, ſi prius locus iſte oleo olivarum aut ſcorpionum fuerit inunctus. Apoſtemata tam maligna quam benigna maturant Cepæ. Hinc in difficili ſuppuratione vel cepæ ipſæ vel ſuccus ceparum additur cataplaſmatibus emollientibus & ſuppurantibus. In abſceſſibus malignis, in ſpecie in Bubonibus peſtilentialibus, pro materia venenoſa extrahenda applicatur vel cepa excavata, cui immittitur Theriaca, vel Theriaca cum ſucco ceparum mixta,

ta, vel cepæ coctæ vel contritæ cum Sinapi albo. Conveniunt quoque in morſibus canis rabidi,ſi aut coctæ aut cum Theriaca & melle mixtæ morſui imponuntur. Ad ambuſta proſunt, ſi vel crudæ vel cum ſale, vel quod melius, cum ſapone Veneto, vel cum melle contuſæ imponuntur, vel etiam, ſi ſuccus recenter expreſſus cum ſucco cancrorum fluviatilium applicatur, qua ratione etiam conducunt ad perniones. Ad tumores porro duros emolliendos nil fere efficacius quam cepæ ſub cineribus coctæ. Succus ceparum ciet hæmorrhoides. Sic cepæ excavatæ poſtea oleo amygdalarum amararum impletæ, ſub cineribus aſſæ, denique expreſſæ ejusmodi liquorem fundunt, qui ſedi illitus hæmorrhoidum fluxum ciet. Ad ſurditatem ſuccus ceparum porro inſtillatur auribus, vel cum oleo amygdalarum amararum, vel cum ſpiritu vini, vel cum ſucco ovorum formicarum, qua ratione vetuſtiſſimam etiam ſurditatem curare dicitur. Cepæ quoque cum ſale adhibitæ ad clavos pedum & verrucas conducunt. Crudis porro cepis ſi fricetur caput, fertur capillos exinde creſcere. Tempore peſtis Cepæ ſuſpenduntur in conclavibus. Curioſum illud eſt, quod Ruſtici obſervent, pelliculas ceparum ſolito fortiores vel craſſiores frigoris hyemalis immodici futuri prænuntias eſſe. Sunt qui dicunt vulnera difficillime conſolidari, ſi ſucco ceparum gladius fuerit inunctus.

PORRUM.

Eſt radix Porri communis capitati C. B. P. bulboſa, tunicis albis compactilis, fibrata, ſapore mitiore quam cepæ.

Radix hæc Symbolizat cum Cepa & Allio.

℞. Radic. & folior: Porri hortenſis part. 3. Eryſimi part. 2. Succ. heder. arbor. part. 1. omnibus tritis bene contuſis & ſubactis

ſubactis immiſcendum aliquantillum de oleo baccarum juniperi, vel in ejus defectu ſaltem ſuccus granorum ejus in aqua Leviſtici coctorum ad omnimodam evaporationem, additaque tandem pinguedine porcina, redigitur in cerati vel unguenti ſpiſſioris conſiſtentiam, quod regioni Lienis, Renum, ſcrobiculo cordis & medullæ ſpinali inungendum in febre quartana. KOENIGIUS credit eſſe hoc remedium TOPICUM ANTIQUARTIUM HELMONTII.

VICTORIALIS ROTUNDA.

Eſt radix Victorialis rotundæ & fœminæ Offic: parva, rotunda, bulboſa, ab ima baſi verſus germen turbinata, aliquot crinitis & reticulatis tunicis veluti loricis veſtita, quibus detractis, duo exigui candidi carnoſique apparent bulbi, unó alteri inſidente. Saporem habet dulcem & modice acrem, relinquit etiam in palato aliquandiu detenta linguam & fauces aliquantulum urentem & ſalivam elicientem acrimoniam.

Radix

VICTORIALIS dicitur à virtute, GLADIOLUS à foliorum forma, XIPHION MINUS, runde Siegwurtz / Siegwurtz Weiblein / Ziebelſchwertel / Ackerſchwertel / Kornſchwertel / GLAYEUL, GLAISROND.

Eſt planta flore liliaceo monopetalo, ad exortum quaſi infundibuliformi in duo labia ampliato, ſuperiori ſcilicet imbricato, inferiori vero quinquepartito. Calyx autem, cui flos inſidet, abit in fructum oblongum, in tria loculamenta diviſum, ſeminibus foetum ſubrotundis calyptra involutis. His notis addenda eſt radix gemina, carnoſa, tuberoſa, altera alteri incumbens.

Gladiolus floribus uno verſu diſpoſitis major & procerior, flore purpuro rubente C. B. Pin. 41. Gladiolus ſive Xiphion I. B. 2. 701. Gladiolus Dod. Pempt. 209. Victoriális fœmina ſeu rotunda Cord.

Gladiolus floribus uno verſu diſpoſitis minor & humilior C. B. Pin. 41.

Colitur apud nos in hortis. In calidioribus regionibus frequens inter ſegetes reperitur. In montibus quoque quibusdam occurrit Gladiolus humilior, floret Majo Junio Julioque.

Radix hæc cum amylo aceto & adipe vulpino, item pulvis hujus bulbi, qui ſanguinem quoque ſiſtit, ſanat fiſtulas, ulceraque manantia. Vix uſpiam, LAUREMBERGIO docente, planta eſt tantæ poteſtatis in emolliendis diſcutiendisque tumoribus, ſcrophulis &c. Interne corticis de bulbo detracti uſus eſt ad calculum, difficultatem urinæ, dolores colicos, apoſtemata interiora, hernias puerorum &c. Uſurpatur quoque pro amuleto ab hominibus ſuperſtitioſis.

VICTORIALIS LONGA.

Eſt radix Victorialis longæ Cluſio, obliqua, nonnihil in longum bulbum deſinens, multisque validis & perennibus fibris donata, multiplici cortice, variis fibris transverſim coeuntibus conſtante, & quodammodo reticulato involuta, quæ ſingulis annis feliciter aliis bulbis circa ipſam adnatis ſe propagat, fibris adeo implicitis, ut difficile ſit bulbos conjunctim natos & cohærentes ſejungere. Colorem albicantem obtinet, odoris & ſaporis graviſſimi eſt.

Con-

VICTORIALIS, VICTORIALIS MAS appellatur, quia Metallifoſſores magnas certasque illius vires ſe experiri ſuperſtitioſe prædicant, ad ſeſe muniendum adverſus impurorum ſpirituum inſultus. RADIX VICTORIÆ quoque nuncupatur, ALLIUM ALPINUM, ALLIUM ANGUINUM, OPHIOSCORODON, Lange Siegwurtz/ Alle mans Harniſch / Siegwurtz Männlein / Alpen-Knoblauch/ Schlangen-Knoblauch/ wilder Alraun/ Berg Alraun.

Ad allium pertinere ejusque ſpeciem eſſe vel ſapor & odor probat,

ut

ut taceam de aliis requiſitis: adeo fortis eſt, ut Lac Vaccarum hanc herbam deguſtantium tetro inficiat guſtu, ut à non aſſuetis deguſtari nequeat.

Allium montanum latifolium maculatum C. B. Pin. 74. Allium Alpinum I. B. 2. 566. Victorialis longa Clus. Hiſt. 189.

Reperitur in humidis & herbidis altorum montium receſſibus, floret Junio Julioque menſe.

Conſpirat cum allio & partibus conſtitutivis & viribus. Incidit, attenuat, penetrat, reſolvit, digerit, gangrænæ reſiſtit, menſes & urinas movet. Externe appenſa contracturam arcere & ſpaſmum demulcere creditur. Aquas corruptas emendat, ſerpentes abigit odore. Beſtiarum omnibus ictibus medetur potu, cibo, illitu. Montium incolæ veſcuntur foliis adverſus corrupti aëris & nebularum exhalationes.

Plebi Judæisque, ut SCHROEDERUS loquitur, amuletum eſt familiariſſimum, quo à ſpectris ſe tutos fore perſuaſi ſunt. Metallifoſſores, ut ſupra jam dictum, thoraci aſſuunt pro eodem ſcopo. Alii hac radice utuntur ad firmanda corpora, alii vero ad amorem conciliandum. Veterinarii ſuadent, ut in ſtabulis equorum ſuſpendatur Victorialis pro arcenda faſcinatione.

SERPENTARIA.

Eſt radix Dracunculi Polyphylli C. B. P. fere orbiculata volam implens, foris colore buxeo, intus candido, ſapore fervido.

Ra-

DRACONTIUM, δρακόντιον SERPENTARIA, à caule ſerpentinæ pellis inſtar maſculato, DRACUNCULUS, Drachenwurtz/ Schlangenwurtz/ Schlangenkrauth / SERPENTAIRE.

Eſt plantæ genus floribus & fructibus Ari, foliis vero in varias & profundas lacinias diſſectis.

Dracunculus polyphyllus C. B. Pin. 195. Dracunculus major vulgaris I. B. 2. 789. Dracontium Dod. Pempt. 329.

Creſcit in locis calidioribus ſponte in locis umbroſis, alias colitur in hortis; floret Junio: floris autem odor eſt valde fœtidus.

CEPÆ

Radici huic, docente WEDELIO in diſſertatione de Aro, ſal volatile eminens ac prædominans maxime oleoſum haud inexiſtit, ſed in ea reperitur acidum concretum cum partibus terreo ſulphureis, libratum ſale alcali reſpective pauciori & oleo ſeu ſulphure. Virtus ipſi ineſt purgans, & craſſos, pituitoſos atque viſcoſos humores abſtergens, & ſeroſitates evacuans. Medetur Scorbuto, aſthmati; Orthopnoicis, tuſſientibus & catarrho laborantibus conducit. Laudant adverſus venenum ſerpentum: valet, uti volunt, erga miaſmata peſtilentialia; qualis vis etiam foliis adſcribitur. Sudorem movet & urinam, menſesque pellit. Succus valet ad impetigines maculasque cutim fœdantes. Valet quoque ad Polypum narium etiam cancroſum. Quidam commendant ad ulcera maligna, fiſtulas & bubones peſtilentiales, item ad cancrum. Sunt, qui affirmant neminem à Vipera feriri poſſe, qui folia aut radicem manibus affricuerit.

Datur hæc radix in pulvere ad ℈j. ad ʒj.

℞. Rad. ſerpentariæ majoris, effoſſæ menſe Julio & ad umbram exſiccatæ, Arſenici cryſtallini ana pulveris: ſubtiliſſime ſeorſim, poſtea in capaci vitro maneant in fermentatione per tres menſes & hunc pulverem pro magno arcano ſerva. Modus adminiſtrandi talis eſt. Abluantur prius labia cancri & ſcrophularum malignarum cum aqua Nymphææ, poſtea inſpergatur dicti pulveris nonnihil & relinquatur ſuper labia, usque ad diem 15. & tranſactis hiſce diebus eſcha-

ræ

ræ cadent. Reſiduum deinde cancri & ſcrophularum ſequenti Emplaſtro ſanabitur.

℞. Gumm. Ammon. Bdellii ana ℥j. Galban: Sagapen. Opopanac. ana ℥ß. in Acet. deſt. ſolutorum, ſoluta exprimantur & ad ✝ conſumptionem evaporent, poſtea.

℞. ☍ Chamom. ℥iij. Petrol. Hyper. ana ℥iß. Laurin. ℥ß. Terebinth. ʒj. Cer. nov. ʒiij. ponantur ſimul cum prædictis gummatibus ſuper lentum ignem & ſeq. pulvis injiciatur.

℞. Lithargyr. aur. ℥jv. Lapid. Calamin. ʒvj. Ariſtol. long. & rot. Oliban. Maſtich. Myrrh. el. Corall. rubr. & albor. pp. flor ♄ ana ℥ß. Carab ʒj. Mumiæ. Camphor. ſal. ⊖li ana ʒij. Mſc. pulver. & cum ſupra dictis lento igne miſce, continuo movendo, donec fiat emplaſtrum, quorum unum mane cancro imponendum, alterum vero veſperi, qualibet ſemper vice mutando. Venditatur ut arcanum ad cancros perſanandos, modo ferro aperti non fuerint. Vid. HOFFM. in Theſ. Pharmac.

CEPA ASCALONICA.

Sunt Cepæ Aſcalonicæ Matthioli bulbi pomaceis medio-cribus ſuppares, plures ſimul conjuncti oblongi, fibroſi, naturæ, ut LUGDUNENSES loquuntur, inter Cepam Allium & Porrum dubiæ.

CEPÆ ASCALONIÆ aut ASCALONITIDES vocantur ab oppido, circa quod olim copiſiſſime proveniebant, ESCALOTÆ, Schalotten / ESCHALOTTES. Vocantur quoque à quibusdam Appetiz, quia edendi aviditatem excitant.

Cepa Aſcalonica, Matth. 506. Cepa Aſcalonica ſive fiſſilis I. B. 2. 551.

RESEDA

Bulbus hujus cepæ gaudet virtute aperitiva & diuretica, appetitum

petitum quoque excitat, ſed rarius in uſum Medicum trahitur. Frequentiſſime autem pro uſu culinario adhibentur Cepæ Aſcaloniæ tam crudæ, quam coctæ, in variis ferculis & acetariis; lautiores ſunt cepis.

RADICES SALE ACRI FIXO ABSQUE OLEO CONSTANTES.

Ptarmicæ.
Reſedæ.
Pulſatillæ.
Olsnitii.

PTARMICA.

Eſt radix Dracunculi pratenſis longo ſerrato folio C. B. P. velut geniculata, fibris majuſculis & longiſſimis donata, ſapore acri & fervido.

Radix hæc loco radicis Pyrethri uſurpari poteſt. Commanſa caput purgare dicitur, & dentium dolores mulcere pituitam eliciendo.

RESEDA.

Eſt Reſedæ vulgaris C. B. P. radix, longa, lignoſa, albicans, notabili acrimonia prædita.

Radix

RESEDA à ſedandis morbis dicitur, ERUCA PEREGRINA, welſche fremdde Raucken.

Eſt planta flore polypetalo, anomalo, plurimis nempe petalis diſſimilibus conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in capſulam membranaceam, plerumque trigonam aut tetragonam, oblongam

oblongam & veluti cylindraceam, ſeminibus foetam ſubrotundis.

Reſeda vulgaris. C. B. Pin. 100. Reſeda lutea I. B. 3. 467. Reſeda Plinii Neotericorum, Belgis Eruca peregrina Italica, vel Cantabrica. Lob. Icon. 222.

Hinc inde ſecus vias reperitur florens Junio, Julio & Auguſto.

Radix hæc detergit, aperit atque reſolvit. Folia hujus plantæ inciſa criſpa ſeu undulata, ſaporis oleracei, juxta PLINIUM diſcutiunt collectiones inflammationesque omnes.

PULSATILLA.

Eſt Pulſatillæ purpureæ cæruleæve I. B. radix, craſſa, longa, nigra, in plura capita interdum diviſa, ſuperius ex reliquiis marcidorum foliorum comata, ſapore nonnihil amareſcente, & tandem acrimonia linguam vellicante.

Radix

PULSATILLA, quod oſtia anni quaſi pulſet, verque inſtare indicet: HERBA VENTI, quod ſeminum tremuli pappi hinc inde à leviſſimo vento agitentur. NOLA CULINARIA, Küchenſchell/ Bocksbarth/ Windtkraut/ Oſterblumen/ Schlotten-Blumen. COQUE LOURDE.

Eſt planta flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante: ex cujus meditullio ſurgit piſtillum ſtaminibus plerumque obſitum, quod deinde abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur ſemina in tenue capillamentum deſinentia. His notis addenda ſunt foliola quædam caulem infra florem cingentia, non ſecus ac in Anemone, à qua differt Pulſatilla ſemine nudo in caudam tenuato.

Pulſatilla folio craſſiore & majore flore C. B. Pin. 177. Pulſatilla purpurea cæruleave I. B. 3. 409. Pulſatilla Dod. Pempt. 433.

Pulſatilla apricis aridis & ſterilibus delectatur locis. Primo vere, menſe Martio imo quandoque ante id tempus floret.

Radix hujus plantæ temperatior eſt foliis, & vi calefaciente & ſiccante diaphoretica & alexipharmaca pollet; utilis propterea in peſte & febribus malignis & morſibus animalium venenatorum. Juxta Tragum radix ſiccata ſternutamenta ciet, cruda vero manſu pituitam elicit.

OLSNITIUM.

Sunt radices Thyſſelini Plinii Lobel. digiti minimi fere craſſitudine, longitudine alias palmari, alias dodrantali, candidæ, ſapore ingrato, mixta cum amarore acrimonia.

OLSNITIUM vocatur etiam APIUM SYLVESTRE ALSNICIUM dictum, THYSSELINUM, OELSINICHIUM, MEUM PALUSTRE SILESIACUM, CUMINUM ALNORUM. Alſznack/ Oelſenich/ Oelnitz/ wilder Bertram.

Ad Oreoſelinum potuiſſet referri, niſi diverſum eſſet plantæ genus ob ſolum ſuccum lacteum, quem fundit, adeoque TOURNEFORTIUS peculiare genus conſtituit ſub nomine Thyſſelini. Eſt autem

Thyſſelinum Plinii. Lob. Icon. 711. Apium ſylveſtre lacteo ſucco turgens. C. B. Pin. 153. Apium ſylveſtre Dodonæi, Thyſſelinum quorumdam, Planta lacteo ſucco turgens, locis humidis proveniens. I. B. 3. 2. 188.

Juxta lacus uliginoſis ac humidis locis, in ſcrobibus aquas reſedes habentibus, quandoque etiam juxta Alnorum veteres truncos reperitur. Junio & Julio floret.

Vocatur

Juxtá SCHWENCKFELDT radix hæc amara vehementi acrimonia fauces ferit, naturæque eſt calefacientis & ſiccantis. Incidit, penetrat, reſolvit craſſos & viſcidos pectoris humores. Eapropter Aſthmaticos & ſuſpirioſos juvat. Commanducata multam ex ore pituitam elicit, & dentium dolores ſopit. Medetur contagio peſtilentiæ,

RADI-

RADICES SALE ACRI ABSQUE OLEO TAM FIXO QUAM VOLATILI CONSTANTES.

Dentellariæ.
Dentariæ.

DENTELLARIA.

Eſt Plumbaginis Clus: radix alba, longa, digitalis craſſitudinis, unica in novella planta, ſed ubi adolevit, multifida, carnoſa, odora, ſaporis fervidi.

Vocatur à quibusdam MOLYBDÆNA a colore florum plumbeo, quam ob cauſam etiam dicitur Plumbago. DENTELLARIA DENTILARIA à foliis dentatis audit. Vocatur etiam HERBA St. ANTONII.

Eſt planta flore monopetalo, infundibuliformi & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in ſemen oblongum, plerumque acuminatum, in ipſo calyce matureſcens.

Plumbago quorumdam. Clus. Hiſt. CXXIII. Lepidium Dentellaria dictum, C. B. Pin. 97. Dentillaria Rondeletii I. B. 2. 941.

Provenit in Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis calidioribus, item in Gallia Narbonenſi, Languedocia, Provincia &c. Colitur in hortis, floret ſerius.

à Radicum

Radix hæc inſtar radicis Pyrethri maſticata ſalivam atque pituitam elicit, hancque ob rationem doloribus dentium medetur; a qua virtute forſan etiam nomen obtinuit. Dicitur eundem quoque effectum præſtare, ſi manu detineatur.

DENTARIA.

Eſt radix Dentariæ heptaphyllæ bacciferæ C.B.P. geniculata, candida, tenuis, ſquammata, ſaporis acris & ingrati.

A Radicum, quæ veluti dentibus inciduntur, nomen obtinuit. Vocatur etiam CORALLOIDES, & ALABASTRITES, quoniam radices ſunt politæ, ſplendentes, inſtar corallorum, & inſtar alabaſtri candicantes. Zahnkrauth/ Corallenwurtz/ DENTAIRE.

Eſt planta flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, ſeu ſiliquam, ſepto intermedio, cui valvæ utrinque adhæreſcunt, in duo loculamenta diviſam, ſeminibusque foetam plerumque ſubrotundis. His notis non tantum addi debet, valvas per maturitatem helicis in modum revolvi, & cum impetu ſemina excutere, ſed radices etiam carnoſas eſſe, ſquamatas, ac veluti dentibus incidi.

Hic intelligitur

Dentaria heptaphyllos baccifera C. B. Pin. 322. Coralloides minor bullifera I. B. 2. 902. Dentaria iiij. baccifera Clus. Hiſt. CXXI.

Sectatur opacos altisſimorum montium ſaltus, floret Aprili. Colitur in hortis. Præter ſemen, ad ſingulorum fere ſoliorum, quæ caulem ambiunt, alas & exortum, tubercula quædam adnaſcuntur bulbulis Lilii cruenti illius, quod Martagon bulbiferum vulgo appellatur, haud abſimilia, ac velut e ſquamis compacta, initio viridia, deinde rubra, ingrati admodum guſtus, quæ facillime decutiuntur, & præmature ſponte decidunt, terraque ſepulta novellas plantas gignunt.

ADENES

Radicem hujus Dentariæ WEDELIUS, in diſſertatione de Ipecacuanha, appellat Ipecacuanham Germanicam vel noſtratem, quoniam credit has duas radices charactere & viribus convenire, non negando quod inſtar Ipecacuanhæ albæ mitior ſit. Unde & ab uſu antidyſenterico vocari poteſt RADIX ANTIDYSENTERICA. Juxta CLUSIUM decoctum hujus radicis convenit pueris tormina patientibus.

Juxta

Juxta SCHWENCKFELDT prodeſt contra venena.

Doſis eſt ad ℈ß. ℈i. ʒß. ʒj.

RADIX SALE BLANDO BALSAMICO CONSTANS.

Berberis.

BERBERIS.

Eſt radix lignoſa multifida, in terræ ſummo repens, egregie flava ſub primo cortice, qualem colorem etiam ipſum lignum obtinet, ſed minus ſaturatum:

De hac radice TRAGUS aſſerit, quod, ſi imponatur vulneribus, ſagittas atque globulos extrahat. A mulierculis hodie multum uſurpatur in infuſis ad Hecticam atque Phthiſin, cachexiam, morbos hepatis &c. Decoctum ejus ut & corticis laudatur ad ſcorbutum oris, doloresque artuum ſcorbuticos. Pulvis corticis laudatur ad fiſſuras papillarum. CLUSIUS aſſerit, quod vinum album tenue, in quo medianus cortex, qui inter extimum & ligno adhærentem eſt, lineo panniculo involutus, per trium horarum ſpatium maceratus fuerit, mirificè, ſi bibatur, purget. Capillos flavo colore tingit.

RADICES CONSTANTES SALE VOLATILI BLANDO CUM TEMPERATA TENUI VISCOSITATE.

Floris Solis glandiferi.

Dentis Canis.

Tulipæ.

Centaurii majoris.
Tubera.

ADENES CANADENSES.

Sunt Tubera radicis floris Solis glanduloſi, inæqualis formæ, pleræque tamen ad rotunditatem ſe componentia, coloris ſubruffi partim, partim candidi, diverſæ magnitudinis, quædam ceu ova, aut poma aut nuces, quædam majora, quædam tantæ craſſitiei, ut tres palmos adæquent, tanta libertate & copia, ut ſæpe una planta integrum cophinum repleat. Ambiuntur cuticula ſubruffa, mediocriter denſa, intra quam continetur caro alba, compacta, edulis.

Adenes

ADENES vocantur partim, quoniam inſtar glandularum circum plantæ ſuæ radicem copioſa multitudine intra terram propagantur, partim à ſimilitudine carnis. ADENES CANADENSES audiunt à paterno ſolo Canada. FLOS SOLIS CANADENSIS TUBEROSUS vel GLANDIFER quoque dicitur. Nuncupatur etiam HELENIUM TUBEROSUM, HELIANTHEMUM INDICUM TUBEROSUM, Artiſchocken unter der Erden/ Underſchock e/ſapore enim æmulantur ſcrobylorum vulgarium carnem pulpoſam. TAUPINAMBOURS, TOPINAMBOURS. POIRES DE TERRE.

Eſt Species coronæ Solis, nempe
Corona Solis parvo flore Tour. I. R. H. cl. 14. S. 2. g. 2. Helianthemum Indicum tuberoſum C. B. Pin. 277. Flos Solis Farneſianus, After Peruanus tuberoſus Col. part. 2, 13.

Petrus Hondius primus has glandes ex America advenas excepit, tum in hortis ſuis educavit, tum à ſe transmiſſas ad amicos communes reddidit toti Germaniæ imo Europæ. Tanta eſt hujus plantæ & ejus Adenum fœcunditas, ut non ſolum ex parvulis glandulis ſed & fruſtis quibusvis (dummodo oculis ſint inſtructa) majorum tuberum magna ubertate luxurient: Adeo ut qui ſemel hæc tubera recepit in ſe hortus, is ægre poſtea ab iis liberetur. Ubi æſtas fervet floret hæc planta.

DENS

Adenes Canadenſes, uti loquitur LAUREMBERGIUS, tanquam Rapa quædam pluribus modis parantur in fercula, quamvis rapis multo ſapidiores, ſalubriores nobiliores. Pollent vi prompte & plurimum nutriendi, corporique non ſolum ſuggerunt laudabile nutrimentum, ſed etiam vires adaugent in præſtando opere virili, partim ſuggerendo nonnihil flativum pro diſtentione, partim ſanguinem & ſemen generando. Coquuntur in aqua addito pauco ſale dum tenereſcant. Coctis demitur cutis exterior lenta nimis & maſticationem impediens, tum friguntur in Butyro. Aſpergitur nonnihil Sacchari aut Cinamomi, vel aufertur crudis cortex exterior & probe lavantur, coquuntur in aqua cum ſale, exemptis affunditur juſculum, vel butyri ac aceti cocti mixtura cum pauxillo pipere. Cocti ſub cineribus aut elixati, decorticantur, eſitanturque cum aceto & Oleo addito Sale & Pipere. Friguntur quoque in ſartagine involuti polline farinæ. Solent à nonnullis inſtar raporum coqui cum carne Bubula aut Vervecina.

DENS CANIS.

Eſt radix Dentis Canis C. B. Pin. duas circiter uncias longa alba, craſſiuſcula carnoſa, & infima parte craſſiore, ſuperiore vero parte gracileſcente.

Medici

Dens Canis vocatur à radicis forma, Dens Caninus, Satyrium Erythronium, Roth Stendel-Wurtz. Dent de Chien.

Eſt planta flore liliaceo, ex ſex petalis compoſito, pendulis & repandis, quorum meditullium occupat piſtillum, quod deinde abit in fructum ſubrotundum, in tria loculamenta diviſum, ſeminibusque foetum oblongis.

His

His notis addenda eſt radix carnoſa, ad dentis canini formam accedens.

Ex ſpeciebus Dentis Canini hæc potiſſimum intelligitur,

Dens Canis latiore rotundioreque folio, flore ex purpura rubente C. B. Pin. 87. Satyrium quorumdam Erythronium, bifolium flore unico radiato purpureo. I. B. 2. 680. Dens Caninus purpuraſcente flore Cluſ. Hiſt. 266.

Colitur apud nos in hortis, floret Martio & Aprili. In Styria aliisque regionibus occurrit in montibus.

Medici, ut habet LAUREMBERGIUS, diu uſi ſunt bulbis conditis Dentis Canini loco ſatyrii veri. Neque negari poteſt magnam vim iis ineſſe excitandæ Veneris. Quin & ſapide præparati ſatis bene creduntur nutrire corpora. Bulbi exſiccati redacti in pulverem inſperſique pulticulæ puerorum lumbricos necant, & ab his ortam epileſiam tollunt. Idem pulvis cum vino calido uſurpatus dolori colico medetur.

TULIPA.

Eſt radix Tulipæ bulboſa interdum brevior nonnunquam oblongior, craſſa, foris vel flaveſcente vel magna ex parte nigricante membrana obducta, quæ interna parte lanuginoſa eſt, caſtanearum corticis inſtar, aliquando autem adeo denſo tomento plena, ut moliſſime recubet bulbus, qui ſolidus eſt, firmus, & velut albumen ovi coctum candidus, guſtantique dulcis, ſaltem non ingratus.

De

TULIPAS, ut J. BAUHINUS & LAUREMBERGIUS aliique docent, à pilei Sclavonici ſimilitudine, & qui Turcis dicitur Tulipant, Dulpant, Dublent, dictas volunt. Dicitur aliis SATYRIUM ETYTHRONIUM ob rubrum floris colorem: NARCISSUS RUBER PLINII. LILIO NARCISSUS, quibusdam audit. Tulipan / Tulipe / PETRUS HONDIUS vocat

vocat Tulpel / quo nomine ſolemus per ignominiam appellare homines inurbanos & ruſticos. Narrenkrauth/ quia in nullo flore ita inſanitur ut in Tulipa, nataque inde eſt Tulipomania. Gallis appellatur TULIPE.

Eſt plantæ genus flore liliaceo, ex ſex petalis compoſito, urcei quodammodo forma. Piſtillum autem, quod meditullium petalorum occupat, abit deinde in fructum oblongum trifariam dehiſcentem, in tria loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum planis bino ordine ſibi incumbentibus. His notis addenda eſt radix tunicata, parte ſeſſili fibrata.

Ex numeroſis Tulipæ ſpeciebus ſequentes allegare liceat.

Tulipa præcox lutea C. B. Pin. 57. Tulipa præcox flava Clus. Hiſt. 138. & I. B. 2. *666*.

Tulipa præcox alba. C. B. Pin. 57. Lilio Narciſſus niveus totus. Lob. Icon. 131. & I. B. 2. *666*. Tulipa nivea tota Ejusd. 2. *675*.

Tulipa præcox rubra C. B. Pin. 57. Clus. Hiſt. 139 & I. B. *667*. Tulipa ſerotina rubra, Clus. Hiſt. 144. & I. B. *671*.

Cæterum Tuliparum differentiæ fere ſunt ineffabiles, quæ coluntur in hortis; florent vere. CENTAU-

De uſu bulborum Tulipæ ita diſſerit LAUREMBERGIUS. In rem familiarem & ad uſum culinarium hactenus non fecere aſſumptæ Tulipæ. Ante non ita multos annos cœperunt quoque bulbi illarum culinis inferri, & præparari in guloſum neque ingratum ferculum, quo non ſolum creditur corpori laudabile alimentum adjungi, ſed & ſtimulus addi exercitiis venereis. Aſſantur bulbi ſub cineribus, vel coquuntur in aqua, & apponuntur cum aceto, oleo, ſale, pipere. In eum finem ſolent à nonnullis integra jugera conſeri ſeminibus Tuliparum quotannis, aliquot annis ſuccedentibus, ut paulatim ſuccreſcentes bulbuli annuatim poſſint depromi non in gratiam florum ſed ob fercula. HONDIUS autem ſalſe ridet & ludos facit Tulipiſtas, quorum theſaurus & anima eſt in hoc bulbo, quem ipſe nihilo pluris facit, quam rapum, quo venter expletur. Cæterum huic radici adſcribitur quoque virtus digeſtiva & reſolvens.

CENTAURIUM MAJUS.

Eſt radix Centaurii majoris C. B. Pin. craſſiuſcula, longa, recta, carnoſa, fragilis, exterius nigricans, interius vero recens quidem cum varietate quadam coloris dilute ex purpura rubens, in mandendo aliquantulum glutinoſa ac viſcoſa acris adſtringenſue, odorem non ingratum ſpargens.

Centaurium, Centaurea, κενταύριον μέγα, Rhaponticum Vulgare Officinarum, Pseudo Rhaponticum, Groß Taußendgulden-Krauth / Groß Centaur / gemeine Rhapontick / Grande Centauree'.

Eſt planta flore floſculoſo, plurimis ſcilicet floſculis conſtante multifidis, embryoni inſidentibus & calyce ſquamoſo non aculeato comprehenſis. Embryo autem abit deinde in ſemen pappis inſtructum. His notis addenda eſt floris magnitudo inſignis, qua differt à Jacea.

Centaurium majus folio in lacinias plures diviſo C. B. Pin. 117. Centaurium majus juglandis folio C. B. 3. 38. Centaurium magnum Dod. Pempt. 334.

Centaurium majus occurrit in Alpibus Apuliæ, Sabaudiæ & in monte Baldo, lætum ac pingue ſolum & colles herboſos apricos amat. Colitur etiam in hortis.

Tubera

Hanc radicem, ut TILINGIUS in RHABARBAROLOGIA loquitur, Authores vulnerariam faciunt, valdeque illius uſum ad rupturas & pectoris inveterata mala commendant, in quibus malis non ſolum evacuare, quod præter naturam eſt, oportet, ſed partem quoque evacuatam roborare ac confirmare. Ad hæmoptoïcos curandos magno cum fructu adhibetur. In fluxibus alvi & dyſenteria mirabilem effectum præſtat, menſes promovet, profluviumque è contrario cohibet: prodeſt in Hernia, ſanguine coagulato, febribus ſtomachicis: hepar reſerat ac roborat, & in obſtructioni-

ctionibus vaſorum meſaraicorum ſolvendis, ac in morbis hinc ortis curandis non exiguam meretur laudem. Succum Centaurii majoris CAMERARIUS ad Cachexiam laudat. CRATO in obſtructionibus tollendis commendat Syrupum è ſucco Centaurii majoris factum, vel etiam ipſam radicem in vino maceratam, donec vinum ruborem à ſanguineo radicis ſucco contrahat. Syrupi ſumuntur duo vel tria cochlearia pro doſi, Vini vero cochlearia quinque.

Licet Rhaponticum vulgare appellitetur, tamen haud recte Rhapontico vero ſubſtituitur.

℞. Rad. Centaur. major. Gentian. Ariſtol. rotund. Summit. Centaur. minor. fol. Chamædr. Chamæpyt. ana ℥ij. Mſc. f. pulvis PRINCIPIS MIRANDOLÆ, qui tanquam remedium ſpecificum contra podagram & malum iſchiadicum laudatur. Doſis ʒj. mane & veſperi per longum temporis ſpatium. Recenſet autem TOURNEFORTIUS ab hoc ſpecifico nondum magnos obſervatos fuiſſe effectus.

TUBERA.

Sunt corpora globoſa intra terram nata, inſtar pomi, ſed inæqualis figuræ absque caule, foliis, fibris aut capillamentis adnatis, Floris coloris nigri aut obſcure rufi, pulpam intus albam aut ſubflavam habentia, non fungoſam ſed aliquanto compactiorem & durabiliorem minusque obnoxiam putredini, magnitudinis variæ, ſaporis & odoris non ingrati.

Tubera

TUBERA a figura dicuntur. TUBERA NOBILIA, TUBERA EDULIA quoque nuncupantur, Trüfflen/ Erdbeulen/ Grübling/ TRUFFES.

Pertinet, juxta TOURNEFORTIUM, ad vegetabilia terreſtria, quorum flores & fructus vulgo deſiderantur.

Tubera Matthioli 544.

Tubera

Tubera neque quovis loco, neque quovis tempore creſcunt. Amant naſci in locis ſabuloſis, Arbuſtetis, ſylvisque. Vere aut æſtate ſolent effodi. Vere tenerrima ſunt. Quæ e terra æſtate promuntur, ſervari diu poſſunt. LAUREMBERGIUS aliique ſed non adeo bene putant, quod autumno cum imbres crebri cadunt & tonitrua eveniunt, concipiantur in terra, & gigni incipiant; vere autem & æſtate perficiantur, & depromantur ad uſum.

Sues his Tuberibus inhiant & avidiſſime comedunt, unde mediantibus ipſis etiam inveſtigantur. Hodie quoque Canes ad Tubera hæc detegenda adhibentur.

Τραγο-

Tubera hæc olim cruda, ſed hodie non amplius comeduntur, ſed vel ſub cineribus aſſa; vel in aqua, vino, aut pingui jure elixa, & ſale, pipere aliisque rebus condita. Exſiccantur quoque in taleolas tenues diſſecta, & poſtmodum variis junguntur ferculis. Alimentum conferunt non omnino laudabile, ſed craſſum & ſubfrigidum. Stomacho ſunt gravia & concoctioni rebellia. Immodicus eorum uſus colicos infert cruciatus, & apoplexiam atque paralyſin inducere valet. Quidam Venerem ſtimulare credunt. Juxta CARDANUM Tubera cocta & pro emplaſtro impoſita anginoſis adeo proſunt, ut quidam jam morituros hoc auxilio liberarint. Sunt qui putant eſſe forſitan hæc Tubera Dudaim Leæ.

RADICES SALE BLANDO FIXO TENUI VISCOSITATI INCLUSO CONSTANTES.

Tragopogonis pratenſis.

Tragopogonis ſativi Artifi dicti.

TRA-

TRAGOPOGON.

Eſt radix Tragopogonis pratenſis lutei majoris. C. B. Pin. minimi digiti craſſitudine, lacte turgens dulci.

Τραγοπώγων, Κόμη τετραπώγων, HIRCI BARBA, COMA, nomen accepit à pappo cano grandiori, qui è ſummo ejus vertice naſcitur, & hirci barbam imitatur. Poſſet autem non inepte dici Tragopogon, ex mente RAJI, à figura floris nondum aperti, quæ barbam hircinam proxime refert. Bocksbarth. BARBE DE BOUC.

Eſt plantæ genus flore ſemifloſculoſo, plurimis ſcilicet ſemifloſculis conſtante, embryoni inſidentibus & calyce comprehenſis multifido; ſed nequaquam ſquamoſo. Embryo autem deinde abit in ſemen membrana ſeu involucro obvolutum pappis inſtructum, thalamoque affixum. Tragopogon differt à Scorzonera calycis forma.

Tragopogon pratenſe luteum majus C. B. Pin. 274. Tragopogon flore luteo I. B. 2. 1058. Tragopogon Dod. Pempt. 256.

Tragopogon pratenſe luteum minus Mor. H. R. Bles.

In campeſtribus pratis & aggeribus & paſcuis, pingui ſolo congeſtis lætatur. Majo & Junio floret, ſemine paulo poſt cum pappo avolante. Rejuveneſcit tamen poſtea, & de novo floret Julio & Auguſto.

TRAGOPOGON

Radix calefacit & humectat, affectibus pulmonis aſthmaticis & tabidis utilis, glutinat recentia vulnera præſertim ejus ſuccus lacteus, urinam ciet & calculum. Sunt qui plantam tenellam acetariis miſcent; alii radicem quoque coquunt & comedunt, ſed raro admodum.

TRAGOPOGON, ARTIFI.

Eſt radix Tragopogonis purpuro cærulei, quod Artifi vulgo C. B. P. recta, digitali vel minori craſſitudine, quæ tenera præſertim, ut tota planta, lac fundit album, emanans

nans, mox in luteum faceſſens, viſcidum, copioſum, dulce, uſui alimentari præcipue deſtinata.

TRAGOPOGON, ARTIFI, Artiſiſen / Haberwurtz / Habermarck / Braun Bockſbarth / Salſiſitz / SALSIFIC, SERSIFI.
Eſt Tragopogonis ſpecies, nempe
Tragopogon purpuro cærulæum, Porri folio, quod Artiſi vulgo. C. B. Pin. 274. Barbula Hirci purpuro cærulea Tabern. Icon. 599.
Colitur in hortis.

φιλιπένδυλα

Radix cenſetur calida & humectans. Manducatur elixa, & butyro ac aromatibus quibusdam condita. Additur etiam offis, & coquitur cum carnibus. Confert tuſſi, dyſpnoeæ, phthiſi, pleuritidi, ſanguinem mundificat & admodum nutrit. Cocta juxta SEBIZIUM cum braſſica criſpa & macropipere condita nutricibus lac auget: ardorem ſtomachi, quem Sodam vocant, tollit.

Eſt

RADICES SALE BLANDO DIURETICO CONSTANTES.

Saxifragæ albæ.
Filipendulæ.
Fragariæ.
Lappæ ſeu Bardanæ minoris.
Spinæ albæ.
Acetoſæ.
Taraxaci.
Lauri Alexandrinæ.

Aſpho-

Aſphodeli albi.
Papaveris corniculati.

SAXIFRAGIA.

Eſt Saxifragiæ rotundifoliæ albæ C. B. Pin. radix ex plurimis bulbulis coriandri ſeminis magnitudine, purpurantibus, amaris acribus, fibris tenuibus inter ſe commiſſis conſtans, quanquam & aliis præterea fibris longioribus craſſioribusque ſit donata.

Granula hujus radicis, quæ vulgo ſed male pro ſemine venditantur, ob ſal nitroſum fixum cum pauco ſulphure ſociatum, abſtergunt, incidunt, attenuant. Decocta, ut SCHWENCKFELDT habet, craſſa & glutinoſa è pectore educunt, farctus renum & veſicæ extergunt, calculum expellunt & frangunt, in difficultate urinæ non contemnendi uſus. Menſes quoque pellunt.

℞. Semin. ſeu potius granulorum ſaxifragiæ albæ. Rad. liquir. ana ʒvj. ſemin. Naſturt. ℥ß. ſem. raphan. mil. Sol. Urticæ Roman. ana. ʒij. Bacc. juniper. ℥ß. ocul. ♋. ℥j. Lap. prunell. ʒiij. tart. ⊕l. ſal. fabar. ana ʒiß. Cochen. teſtar. ovor. calcin. Croc. pp. ana ʒij. ol. deſt. bacc. Junip. ʒj. Mſc. f. pulvis contra calculum, cujus author Decker; detur ʒß. poſt uſum ſemicupii.

℞. Sem. ſaxifrag. mil. Solis ana ʒiß. Ocul. ♋. ʒiij. Lap. Lyncis, Judaic. pp. ana ʒiß. lap. prunell. ʒß. Sal. Junip. ʒß. °° ſuccin. gtt. v. Sacch. ℥iß. Mſc. f. pulvis contra calculum, qui agnoſcit Wepfferum pro authore.

℞. Nucl. meſpil. ſpec. diatragac. frig. cryſtall. ♀. ana ʒj. rad. ononid. liquir. ſem. melon. ana ℈j. ſem. vel. gran. ſaxifr. raphan. geniſt. alth. ana ℈ß. ſacch. ℥ß. Mſc. ad eundem ſcopum, uſurpatur cuſpidatim.

℞.

℞. Gran. rad. ſaxifrag q v. Spir. Vini rect. qu. S. extrahe l. a. eſſentiam. Datur ad gutt. 15. 20. in affectibus renum & veſicæ, conducit etiam in vulneribus.

FILIPENDULA.

Sunt radices glanduloſæ, olivares aut longiores minusque ventricoſæ, aſphodeli more, foris ex rubro nigricantes, intus albentes, acrimoniam quandam cum adſtrictione dulcedine & levi amaritudine ſapientes, ab extremis fibrarum filamentis pendentes, odoris haud inſuavis.

φιλιπένδυλα a nodoſis radicibus: OENANTHE, SAXIFRAGA RUBRA partim à radice rubra & floribus ante aperturam rubentibus, partim à virtute. Rother Steinbrech. FIL PENDULE.

Eſt planta flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus calyce monophyllo & multicuſpidi ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum fere globoſum, cujus ſemina in capitulum dolii æmulum colliguntur.

Filipendula vulgaris an Molon Plinii C. B. Pin. 163. Filipendula I. B. 3. p. 2. 189. & Dod. Pempt. 56.

In pratis & paſcuis montoſis frequens eſt, interdum etiam in humilioribus ſiccioribus invenitur: floret Majo, Junio, Julio.

CANNACORUS

Succus radicis chartæ cæruleæ affrictus ruborem efficit. Continere videtur Sal alumini perſimile, mixtum plurimo ſulphuri, ſicuti & analyſi per ignem multum acidi terræ & olei exhibet. Attenuat, abſtergit, ſubadſtringit, convenit in tartarea mucilagine pulmonum, renum, veſicæ atque articulorum reſolvenda. Dyſuriæ atque urinæ ſtillicidio prodeſſe aſſeritur. Virtute quoque Lithontriptica gaudere dicitur; convenit in colica flatulenta, & epilepſia, in albo itidem mulierum fluxu atque in tumore hæmorrhoidum, item

in herniis. Doſis radicis ſiccatæ eſt ad ʒß. ʒj. Scrophulas quoque atque ſtrumas diſcutit. Quæ dicta ſunt de radice, eadem quoque foliis competere multi aſſerunt.

℞. Rad. filipend. ʒj propina per aliquot dies in decocto Dauci vel Paſtinacæ Sylveſtris in fluore albo.

FRAGARIA.

Eſt radix fibroſa capillaris, oblonga, ſubruffa, perennis, guſtuque adſtringens.

Conſtat juxta NEBELIUM ſale tartareo fixo, multis particulis terreis & paucis ſulphureis volatilibus mixto, quod in foliis à Sole magis attenuatur, & in floribus ſubtilius eſt, multoque ſimul humore blando ſeu dulci attemperatur. Radicis decoctum, inquit KOENIG, ſpleneticis, hepaticis & ictericis commodum; pectus vulneratum curat, inflammatum hepar reſtinguit; mundat renes atque veſicam; diarrhœam ſiſtit atque menſes nimis fluentes; ſabulum pellit, urinam movet & exulcerationem renum curat. Conducit in cachexia & hydrope, præſertim ab ebrioſitate contractis. Appenſa aut in ore & manu detenta hæmorrhagias ſiſtere fertur. Commendatur etiam in alvi fluxibus.

CANNA INDICA.

Eſt radix Cannæ Indicæ I. B. craſſa, longa, ex albo flaveſcens, per intervalla hinc inde tubera ſeu prominentias faſtigiatas habens.

Virtute

CANNACORUS quaſi diceres planta ad Cannam & Acorum accedens, ARUNDO INDICA, FLOS CANCRI. BALISIER.

Eſt planta flore liliaceo, monopetalo, veluti tubulato, in ſex partes ſecto, quarum una ligulam promit, quæ piſtilli vice fungi videtur, & præterea, quaſi ſtaminis locum teneret, apice donatur. Calyx autem, qui tubulatus eſt, florem complectitur & deinde abit in fructum oblongum vel ſubrotundum, membranaceum, in terna loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum plerumque ſphæricis.

Cannacorus latifolius vulgaris, Tourn. J. R. H. cl. 9. S. 2. g. 8. Arundo Indica florida Cannacorus quorumdam. Lob. Icon. 56. Arundo Indica latifolia. C. B. P. 19. & J. B. 2. 489. tum & Canna ſive Arundo Indica, quibusdam flos Cancri. I. B. 2. 752.

Colitur in hortis. Floret Autumno.

Virtute gaudet deterſiva & aperitiva.

LAPPA ſeu BARDANA MINOR.

Eſt radix Lappæ minoris C. B. Pin. parva, alba, multas undique fibras craſſiuſculas proferens, guſtu ſubamaro & acri.

De

ξάνθιον XANTHIUM, παρὰ τὸ ξανθίζεσθαι, quod flavos reddat capillos, BARDANA MINOR, LAPPA MINOR ob aliqualem florum & fructuum veſtibus adhærentium ſimilitudinem. Vocatur quoque LAPPA INVERSA, STRUMARIA, kleine Kletten/ Spitz-Kletten/ Igels-Kletten/ Bettlers-Läuß. PETIT GLOUTERON.

Eſt plantæ genus flore floſculoſo, plurimis ſcilicet floſculis conſtante ſterilibus, e quibus ſurgit ſtamen apice plerumque bifido donatum. Embryones autem in eadem planta oriuntur à floribus ſeparati, abeuntque in fructum oblongum, plerumque aculeatum, in duo loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum oblongis pariter.

Xanthium. Dod. Pempt 39. Lappa minor Xanthium Dioſcoridis. C. B. Pin. 198. Xanthium ſive Lappa minor. I. B. 3. 572.

Gaudet ſolo læto & pingui juxta moenia & ſcrobes arefactas. Viget Julio & Auguſto.

Ita

De uſu radicis ita diſſerit ETTMULLERUS. E Radice Lappæ minoris in taleolas inciſa ac cocta fit decoctum ſudoriferum ac diureticum, omnibus lignorum exoticorum decoctis æquivalens, hinc ſunt, qui idem decoctum in arthritide & contra luem Veneram laudant. Commendatur quoque ad pleuritidem; cæterum ſymbolizat cum radice Bardanæ majoris; à quibusdam commendatur in lepra incipiente. Externe diſcutit & reſolvit tumores vel ſerum in partibus collectum. Radix in lixivio aut aqua ſimplici decocta in capillis colore flavo tingendis ſingularis eſt, & capillorum proventum promovet.

SPINA ALBA.

Eſt radix Spinæ albæ vulgaris C. B. Pin. tenera, alba, ſubdulcis in adoleſcente planta, quæ qualitates per ætatem mutantur.

Ita dicitur, quoniam albicante lanugine tegitur, &, quia ſpinoſa eſt, audit ACANTHIUM, Weißwegdiſtel/ CHARDON COMMUN, ARTICHAUT SAUVAGE, EPINE BLANCHE SAUVAGE, Eſt ſpecies Cardui.

Carduus tomentoſus Acanthi folio vulgaris Tourn. I. R. H. cl. 12. S. 2. g. 1. Spina alba tomentoſa latifolia vulgaris. C. B. P. 383. Spina alba ſylveſtris Fuchſio. I. B. 3. 54. Acanthium vulgare flore purpureo Tab. Ic. 686.

Carduus tomentoſus Acanthi folio vulgaris, flore albo. Tourn. l. c. Acanthium vulgare flore albo. Tab. Icon. 685.

Provenit fere ubique, præſertim in Germania, ſecus vias & alibi, floret in Auguſtum usque.

ASPHODELUM

In uſu radix , cui adſcribitur vis aperiens & diuretica, carminativa atque ſtomachica , ut & diſcutiens atque reſolvens.

vens. Quidam laudant ad odontalgiam ſunt qui ad motus infantum epilepticos deprædicant.

ACETOSA.

Eſt radix Acetoſæ vulgaris Offic. fibroſa, lutea, ſtrenue ſiccante & adſtringente ſapore.

Commendatur tanquam remedium aperiens non tantummodo, in obſtructionibus viſcerum, ictero, hydrope &c. ſed & tanquam ſubadſtringens in alvi fluxibus, diarrhœa atque dyſenteria. Externe quoque uſurpatur contra ſcabiem. Notandum quod radix ſicca cum aqua decocta eam rubro tingat colore, unde in febribus decocta pro potu ordinario ſæpius cum eadem parantur.

℞. Rad. Acetoſ. fragar. ana ℥j. bulliant in juſculo pulli gallinacei, colaturæ addatur Sal. Prunell. ʒß. exhibeatur ægro pro ſcopo aperiendi.

℞. Rad. Acetos. Cichor. ana ℥ij. fol. card. ſtellat. pimpinell. ana mij. ſeminis Urticæ, Cardui ana ʒj. coquantur, in aquæ ℔jß. Hydropicis conducit, in tres doſes diviſum, hoc decoctum. Addi ſingulis doſibus poteſt Sal. ſtipitum fabarum. ℈ß.

℞. Rad. Acetos. ℔j. ſucc. acetos. rec. expreſſ. ℥iij. Syrup. Acetos. ℥j. ad ℥ij. pro Julepo in febribus.

℞. Rad. Acetos. Tamar. ana ℥j. coqu. in aqu. q. s. ad ℔j. poſtea ℞. flor. roſar. rubr. m. iij. infund. in libr. iij. aquæ calid. additis -ᴧ-. ⊕l ʒß. extrahe TRam, in loco tepido per aliquot horas digerendo, poſtea cola, colaturæ miſce prius decoctum albumine ovi clarificatum, filtra & in colatura diſſolve Syrup. ribium vel berberum q. s. Hæc Tinctura in febribus tertianis ad calorem febrilem extinguendum valde com-

commendatur ab HOFFMANNO, qui eam hauſit ex Quadripartito Botanico SIMONIS PAULI.

℞. Rad. Acetos. paſſul. major. exacin. & concis. ana ℥ij. rad. glycyrrh. hord. mund. ana ℥ß. coq. in Aqu. font. ℔iiij. ad ℔ij. colat. add. Syrup. Limon. ℥j. fiat potus febricitantium Fulleri.

℞. Rad. Acetos. ℥jß. ſcorzon. ℥ß. C. C. uſt. pp. ʒvj Aqu. menſ. iij. fiat decoct. ad caſum quartæ partis; adde Syrup. acetos. Citr. q. s. Eſt decoctum in febribus ardentibus.

TARAXACUM.

Eſt Dentis Leonis Dod. radix oblonga, tenuis, lacteo ſucco turgens, amaricans.

Radix hæc plus quam folia cæruleum mutat in rubrum, indicio, plus acidi in radice contineri, quod tamen multo oleo & terræ immixtum eſt. Aperit, virtute gaudet diuretica, vulneraria & febrifuga. Ob inſignem urinam pellendi vim commendatur hydropicis calculoſis & podagricis. Juxta SCHROEDERUM amuletice curare dicitur affectus oculorum. Ubi haud pauci ſuperſtitioſe incedunt. Nempe ſunt, qui infrorſum per foſſam ſubtus factam evellicant. Sunt qui quoquo modo foſſam in novem ſecant fruſta, novemque diebus de collo ſuſpendunt. Alii integram radicem adhibent. Idem Amuletum & tertianam fugare dicitur. TRAGUS ſcribit quod huic herbæ commode imponi poſſit nomen Ocularıæ, eo quod maculas in oculis tollat, ſi radix ejus æſtate, ſole exiſtente in virgine, effoſſa circa diem Bartholomæi, de collo ſuſpendatur. Juxta CRATONEM decoctum hujus radicis multum valet in rubedine faciei: a quibusdam hæc radix quoque in uſum culinarium recipitur. Adhibe-

hibetur quoque in juſculis ſanguinem depurantibus & ſic dictis refrigerantibus.

LAURUS ALEXANDRINA.

Sunt radices Lauri Alexandrinæ I. B. radicibus ruſci ſimiles, majores vero, à quibus plures turiones aſparagi vel ruſci modo exeunt cibo apti, coloris albicantis, ſaporis dulcamari.

Radices hæ gaudent virtute aperitiva, proſunt in retentione urinæ & menſtruorum, partum facilitant & in paſſionibus hyſtericis conducunt. Laudantur etiam ad hernias. Adhibentur vel in ſubſtantia vel in decocto.

Doſis eſt ad ʒß. ad ʒij.

ASPHODELUS ALBUS.

Sunt Aſphodeli albi ramoſi maris præprimis C. B. Pin. radices numeroſæ ab uno capite exeuntes, oblongæ, exiguis Napis ſimiles, ſed inferiori ſede craſſiores, atque in fibras deſinentes, ſucci plenæ, candicantes, ſaporis non admodum grati.

ASPHODELUM dictum volunt quaſi σπόδελον διὰ τὴν τῶν καιομένων νεκρῶν σποδὸν à mortuorum combuſtorum cinere. Etenim in tumulis veteres Aſphodelum ſerebant, ne deeſſet cibus mortuis. HASTULA REGIA etiam dicitur quod Regii ſceptri effigiem, dum floret, referat. ALBUCUM quoque ſive ALBUCUS vocatur. Affoldillwurtz/ weiſſe Asfodillwurtz/ Asfodill-Lilien/ ASFODELE.

Aſphodelus eſt plantæ genus flore liliaceo, monopetalo, in ſex partes ſecto, ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum globoſum, carnoſum & trigonum, apice dehiſcentem, in tria loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum triangularibus.

Aſphodelus albus ramoſus mas. C. B. Pin. 28. Aſphodelus major flore albo ramoſus. I. B. 2. 625. Aſphodelus 1. Cluſ. Hiſt. 196.

Aſphodelus albus non ramoſus. C. B. Pin. 28. Aſphodelus major flore albo non ramoſus. I. B. 2. 625. Aſphodelus ij. Cluſ. Hiſt. 197.

Sponte ſua naſcitur editioribus ſaxoſisque Luſitaniæ, Hiſpaniæ, Galliæ Aquitanicæ & Narbonenſis locis. Colitur in hortis, floret Aprili, Maioque.

PAPAVER

Ob Sal Nitroſum detergit, incidit, aperit, diſcutit, pellit urinam & menſes. ÆETIUS ad ciendos menſes his verbis commendat. Aſphodeli radix in vino albo veteri decocta, & vino calido meraco cyathi menſura hauſta, menſes ſuppreſſos celerrime ciet. Sanat etiam lateris dolores & tuſſes, convulſa & rupta, ſi ℨj. pondere ex vino hauriatur. Laudatur quoque à quibusdam ad icterum ut & ad calculos renum. Sunt qui vim aphrodiſiacam adſcribunt.

De uſu radicis Aſphodeli ita diſſerit LAUREMBERGIUS. In Italia juvenes, quibus volupe eſt, non planos ſed criſpos cincinnos alere, novacula ſibi abradi curant capillos, calvumque caput bene fricant tuberibus Aſphodeli aut crudis aut coctis ſub cineribus. Renaſcuntur pili eleganter intorti & criſpi. Similiter ocius pilos provocant, & progerminare faciunt hæc tubera, affricata cicatricibus à ſcabie aut vulnere. Fœminæ Italicæ eadem tubera aſſare ſolent ſub cineribus, iisque adhuc calentibus cutem faciei ac manuum confricare, aſperitate & ſcabritie deturpatam brevique omnem turpitudinem tollunt. Emplaſtrum ex iis confectum cum pauco adipe medetur ſcabiei jumentorum. Eadem incocta vino utiliter uſurpantur ad apoſtemata aurium, ulcera fiſtulasque corporis. Paratur etiam exinde cataplasma una cum pice ad abigendum fœtorem pedum. Cinis e radice Aſpho-

deli

deli alopecias ad pilum reducit. Oleum in excavatis radicibus igne decoctum illitum exulceratis pernionibus & ambuſtis conducit, & ſurditati in aurim inſtillatum auxiliatur. Cum alumine uſto ad carnes ulcerum luxuriantes abſumendas inſpergitur; & radices Aſphodeli uſtas FALLOPIUS inter cathæretica mitiora recenſet. Scrophulas tandem curare à FORESTO dicitur hæc radix contuſa & impoſita.

PAPAVER CORNICULATUM.

Eſt Papaveris corniculati lutei I. B. radix longa nigricans, lúteo ſucco ſicut & tota planta eoque viroſo prægnans & amaro.

PAPAVER CORNICULATUM, Μήκων κερατῖτις, à Fructu dicitur, GLAUCIUM, PAPAVER MARINUM, gehörnter Magſamen/ PAVOT CORNU.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, quatuor ſcilicet petalis in orbem poſitis plerumque conſtante, ex cujus calyce biſolio, ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam longam, teretem, bicapſularem valvis ſepto intermedio adhæreſcentibus, ſeminibusque fœtam utplurimum ſubrotundis. Occurrunt & hujus ſpecies fructu unicapſulari quidem ſed quadrifariam dehiſcente.

Hic intelligitur ſequens ſpecies.

Glaucium flore luteo, Tourn. I. R. H. cl. 6. S. 3. g. 4. Papaver corniculatum luteum. I. B. 3. 398. Papaver corniculatum majus, Dod. Pempt. 448.

In calidioribus regionibus ſponte in aſperis maritimis provenit. Colitur in hortis.

NIDUS

Radix hæc calefacit, incidit & abſtergit, iis exiſtit utilis, qui, ut cum SCHWENCKFELDT loquamur, craſſa & arenoſa cum lotio reddunt, & difficulter mingunt.

RADICES

RADICES AMARÆ SALE FIXO CONSTANTES.

Chelidonii majoris.
Succiſæ.
Nidi avis.
Orobanches.
Dipſaci.
Chelidonii minoris.
Gentianæ Cruciatæ.
Anthoræ.

CHELIDONIUM MAJUS.

Eſt radix minimo digito craſſior, fibroſa, rubra, rubrum croceumque ſuccum, ſi recens fuerit, fundens, ſaporis amaricantis & mordacis, odoris ingrati.

Iisdem gaudet cum herba viribus. Hepatis, ut SCHWENCKFELDT loquitur, obſtructos meatus adaperit, morbo regio medetur, urinas movet, Hydropicos ſanat. Aceto decocta adverſus peſtem bibitur. Manſa dentium doloribus confert. Radix in vino infuſa infallibile ad icterum à quibusdam deprædicatur remedium, ſed merito monet KOENIG, ut in doſi non excedatur. Laudatur quoque ad ſcabiem. Externe etiam tanquam amuletum celebratur in peſte, item in dentitione puerorum difficili.

SUCCISA.

Eſt radix Succiſæ hirſutæ C. B. Pin. minimi fere digiti

craſſitudine, cui fibræ longæ albæque circumnaſcuntur; præciſa ſeu præmorſa apparet, ſapore mixto acri & amaro.

Radix hæc, quæ toti plantæ nomen largitur, cœruleum colorem plus quam folia, de quibus infra, mutat in rubrum. Majoribus adhuc viribus prædita eſſe cenſetur, quam herba, iisdemque in affectibus celebratur. In vino poſita & bibita lac augere, & de collo ſuſpenſa oculorum affectibus mederi creditur.

Datur hæc radix ad ʒß. ad ʒj.

℞. Rad. Succis. ℥j. Ariſtol. rotund. ʒiij. Herb. Salv. Beton. Rut. Abrot. Vinc. Pervinc. Sabin. ana p. j. coqu. in aqu. fontan. in colat. diſſolv. Theriac. ʒß. Lumbr. terreſtr. Cinam. ana ℈j. Syrup. papav. errat. ℥ß. Mſc. Decoctum hoc Henr. à Bra apud Foreſtum commendat in arthritide vaga ſcorbutica.

℞. Rad. Succis. Num. 1. Sabin. ramul. Num. 1. Lumbric. terreſtr. Num. 5. Salv Beton. Rutæ ana Num. 5. contundantur cum aqu. flor. Sambuci & exprimantur. Eſt potio Monaſterienſis à KOENIG deſcripta, quæ mucaginem illam ſeu gelatinam, quæ in ſuperficie ſanguinis VS. in Arthritide ſcorbutica ut & pleuritide emiſſi apparet, egregie corrigit, attenuat, impeditque, quo minus cruor in talem cruſtam coriaceam abeat.

℞ Rad. Succis. Vincetox. Pœon. maris. Enulæ, Caryophyll. ana ʒiß. baccar. Laur. ʒj. herb. anthos, ſerpill. Salv. ana gr. XV. Mſc. f pulvis, cujus doſis ʒj. mane & veſperi, in convulſionibus epilepticis

NIDUS AVIS.

Eſt Radix Nidi avis Lugd: craſſis fibris, ſucculentis, fragilibus tota perplexa nidorum avium ſtructuram imitans,

ſa-

ſaporem æque ac tota planta obtinens amarum horridum.

NIDUS AVIS à figura, vocatur etiam ORCHIS ABORTIVA, Vogelneſt/ NID d'OISEAU.

Eſt planta flore polypetalo, anomalo, ſex petalis ſcilicet diſſimilibus conſtante, quorum quinque ſuperiora ita diſponuntur, ut galeam quodammodo æmulentur, inferiori capitato & bifido. Calyx autem abit in fructum ſeu utriculum ſeminibus fœtum minutiſſimis ad inſtar ſcobis. Quibus notis addendæ ſunt radices.

Nidus avis Lugd. 1073. Orchis abortiva fuſca. C. B. Pin. 86. Orobanche affinis Nidus avis. I.B. 2.782.

In ſylvis & montibus locis umbroſis occurrit, florens Majo & Junio.

Virtutes obtinet detergentes, reſolventes atque vulnerarias; rariſſimi autem eſt uſus.

OROBANCHE.

Eſt radix Orobanches majoris C. B. Pin. bulboſa è ſquamis compactilis, cortice nigricante teſta, ſaporis admodum amari.

Provenit

OROBANCHE dicitur, quaſi Orobi angina, à vocibus græcis Ὄροβον ἄγχει, quod orobum & viciam cæteraque legumina, inter quæ naſcitur, ſtrangulare exiſtimetur, ſicut quoque Cannabim, Linum &c. interimere fertur, nullo quidem amplexu, ſed ſolummodo ſua præſentia, hinc & HERBA LUPUS vocatur. Item LEONTOBOTANUS, HERBA LEONINA, LEGUMEN LEONINUM. Dicitur quoque λιμόδορον, veluti λιμὸν famem adferens, frugum enim alimentum ad ſe trahit & adoleſcere non ſinit. Vocatur quoque HERBA TORA quod vaccæ ea devorata, teſtantibus paſtoribus, Taurum ſtatim adeant. HERBA TAURI, quod ea comeſta Tauri in Venerem ruant. Sunt qui CYNAMORION appellant à ſimilitudine

litudine canini genitalis. RAPUM GENISTÆ quoque appellatur, quia quandoque radicibus Geniſtæ adnaſcitur. Sommerwurtz/ Erdenwürger. OROBANCHE.

Eſt planta flore monopetalo, anomalo, perſonato, in duo labia diſtincto, quorum ſuperius galeatum, inferius vero tripartitum eſt. Ex ima parte floris ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum oblongum, unicapſularem, in duas veluti carinas dehiſcentem, ſeminibusq; fœtum utplurimum minutiſſimis.

Orobanche major Caryophyllum olens C. B. Pin. 87. Orobanche flore majore. I. B. 2. 780. Limodoron ſive Orobanche. Dod. Pempt. 552.

Provenit in agris conſitis avena, piſis, fabis, lentibus & aliis, provenit etiam in ſylvis. Majo & Junio floret.

Radix hæc laudatur ſiccata & pulveriſata ad colicam flatulentam.

Doſis eſt ad ℈j. ad ʒj. Quibusdam in locis offertur Vaccis, ut largius lac ſubminiſtrent. Sunt qui ex Orobanche, cujus flores ſuaveolent, aquam deſtillant fluxionibus, convulſionibus epilepticis, ſimilibusque affectibus puerorum utilem.

DIPSACUS.

Eſt radix Dipſaci ſativi vel ſylveſtris C. B. Pin. lævis, candida, impenſe amara.

Radix

Δίψακος, Δίψας ἄκανθα, SPINA SITIENS aut SITIBUNDA, quia ob continuam ſitim aqua in cavitate alarum ipſorum foliorum reperitur. LABRUM aut LAVACRUM VENERIS à foliorum poſitu pelvis vel lavacri ſpeciem conſtituente, humoremque ſemper continente. CARDUUS FULLONUM, cum fullonibus inſerviat. ONOCARDIUM, quaſi Aſini corculum, quoniam Aſini ejus eſu delectantur. CARDUUS CARDARIUS, CARDUUS VENERIS, VIRGA PASTORIS, quia virgis longis paſtores aculeis detractis

tractis utuntur. Kartendiſtel / Kartenkraut / Hirtenſtab / Venusbad / Bubenſtreel / Weberkarten / CHARDON à BONNETIER, CHARDON a CHARDER, CHARDON DE FOULLON, VERGE a BERGER.

Eſt plantæ genus flore floſculoſo, floſculis ſcilicet in capitulum quoddam collectis favi æmulum; capitulum autem componitur ex plurimis foliis imbricatis, ſquamarum inſtar poſitis, & axi medio affixis, e quorum alis ſurgunt floſculi multifidi, embryonis parti ſupremæ inſidentes, & abeuntes deinde in ſemen plerumque ſtriatum.

Dipſacus ſativus C. B. Pin. 385. & J. B. 3. 73. Carduus fullonum ſive ſativus. Lob. Icon. 17. Zahmer Kardendiſtel oder Weberdiſtel.

&

Dipſacus ſylveſtris aut virga Paſtoris major. C. B. Pin. 385. Dipſacus ſylveſtris ſive Labrum Veneris J. B. 3. 74. Labrum Veneris Lob. Icon. 18. Wilde Kardendiſtel.

Prior ſpecies colitur in hortis, altera ſecus itinera & prope ſepes in pagorum areis ac ſcrobium marginibus occurrit. Floret uterque Dipſacus Junio & Julio. Echinata capitula colliguntur Auguſto & quidem ex Dipſaco ſativa, quippe quæ firmiora ſunt: uſurpantur ad pannos de pectendos & alia lanificia.

ANTHORA

Radix abſtergit, viſcera infarctu liberat; contuſa & melle excepta Phthiſicis commendatur. Decocta cum vino in Rhagadibus ani & verrucis abigendis celebratur. Folia Dipſaci capiti impoſita Phreneſin mitigant. Aqua, quæ in cohærentium foliorum ſinu concavo à rore vel pluviis colligitur, caliginoſis & rubentibus oculis prodeſſe dicitur. Maculas faciei emendat & delet. In Echino hujus Cardui vermiculi naſcuntur albicantes, quos de collo ſuſpenſos febres intermittentes inprimis quartanam arcere credunt. Volunt autem ſuperſtitioſi, ut pro febre quartana quaterni, pro tertiana terni debeant aſſumi, qui alias etiam laudantur ad paronychiam.

CHELIDONIUM MINUS.

Eſt radix bulbulis aliquot, modo pyriformibus, modo longis, fere teretibus aut ventrioſis, utrinque acutis, modo rotundis conſtans, ſaporis juxta quosdam inſipidi, juxta alios acris.

Radix hæc inſigne dicitur eſſe remedium contra hæmorrhoides; SYLVATICUS, ut docet KOENIG, radicem hanc granulatam intus comedendam dedit. DODONÆUS ſuadet extus fotum ex ſucco radicis cum vino vel urina ægroti. TRAGUS juxta ſuccum & aquam deſtillatam pulverem radicis collaudat, qui & ulcera ani & ficus & rhagades ſanavit. CÆSALPINUS ejus uſum ad ſcrophulas valere aſſerit. Radix recens contuſa cum pulpa pomi aſſati & nonnihil croci mixta tumorem & dolorem hæmorrhoidum levat, & ſi illæ ſint exulceratæ, pulvis radicis ſiccæ utiliter inſpergitur. Laudatur quoque hæc radix tanquam amuletum ad hæmorrhoides cæcas.

GENTIANA CRVCIATA.

Eſt radix Gentianæ cruciatæ C. B. Pin. longa, rotunda, albicans, ſaporis amariſſimi.

Omnia, quæ deGentiana majore dicta ſunt, etiam competunt huic radici Incidit, aperit, ut loquitur SCHWENCKFELDT; abſtergit, menſes provocat, comitiali prodeſt, febribus medetur, Lumbricos enecat. Contra peſtilentiæ contagia antidotis additur. Vitia pectoris expurgat. Vulneraria eſt præſtantiſſima. Rupturas & ſtrumas exulceratas ſanat. Ex aceto, ruptis & ab alto devolutis, propinatur communi uſu. In proverbio dicitur.

Modelgehr iſt aller Wurtzel Ehr.

AN-

ANTHORA.

Eſt radix Aconiti ſalutiferi ſeu Anthoræ C. B. Pin. ex bulbis olivaribus conſtans, foris fuſcis, intus albis, guſtu amaris, fibratis.

ANTHORA dicitur quaſi ANTITHORA, quia Thoræ ſive Napelli radicis venenatæ antidotum eſt; quidam eam vocant CONTRAYERVAM GERMANICAM, NAPELLUS MOYSIS, Gifft-heyl/Heilgifft/Hertzwurtz/Heilſam Wolffswurtz.

Eſt ſpecies Aconiti & quidem,

Aconitum ſalutiferum ſeu Anthora. C. B. Pin. 184. Anthora flore luteo aconiti. I. B. 3. 660. Antithora flore luteo aconiti. I. B. 3 660. Anthora Zedoaria, Aconitum ſalutiferum, Tabern. Icon. 112.

Provenit in Alpibus, aliisque montibus altis. Junio & Julio flores oſtendit.

Quidam aſſerunt, quod in vicinia Napelli ſemper creſcat. ETTMULLERUS autem contrarius eſt, dum in hæc verba erumpit: hujus Anthoræ flos utut conveniat cum flore Napelli tanta tamen inter has plantas eſt inimicitia, ut juxta ſe ſatæ una interenat; quod pronunciatum tamen aliorum authorum teſtimonio infirmatur.

Cum

Confert hæc radix non tantum ad Napellum epotum, ſed contra cætera quæcunque venena, quin etiam contra viperarum & reliquorum venenoſorum animalium morſum. Commendatur in morbis malignis, febribus peſtilentibus & exanthematicis, imo ipſa peſte. Cordiali gaudet virtute, attenuat, aperit, abſtergit, mucilaginem tartaream per alvum educit. Laudatur ad vermes & ad dolores colicos à flatibus oriundos. Etſi autem hæc radix à multis valde laudetur, circumſpecte tamen & caute uſurpanda eſt.

RA-

RADICES SALE FIXO CUM PAUCO SALE VOLATILI CONSTANTES INCLUSO RESINÆ.

Vlmariæ.
Barba capræ.
Parreira Brava.
Ipecacuanhæ.

VLMARIÆ.

Eſt radix digitum craſſa, infinitis fibris rubentibus capillata, foris nigra, intus ſubfuſca, odoris gravis, ſaporis amari & adſtringentis.

Juxta Acad. Reg. Scient. Paris. analyſi Chymica exhibet liquorem acidum, Sal volatile concretum, olei multum & terræ. Vires obtinet ſiccantes & adſtringentes. Diaphoretica eſt, cordialis atque traumatica, & viribus iisdem cum foliis gaudet. Externe ad vulnera conſolidanda & ſanguinem ſiſtendum facit. WURTZIUS illam in Emplaſtrum contra rupturas recipit.

℞. Pulv. rad. Ulmar. ℥j Myrrh. Thuris ana ʒij. Oſſ. ſep. ʒj. Mſc. f. pulvis ad ulcera virgæ.

℞. Rad. Ulmar. Herb. Scord. abſinth. agrimon. flor. Chamom. ſambuc. farin. fabar, aloen, myrrham, incoque vino & applica contra gangrænam.

BARBÆ CAPRÆ.

Eſt radix mediocriter craſſa, fibroſa, cortice intecta craſſiuſculo,

craſſiuſculo ; ad ruffedinem declinante, cui ſubeſt ſubſtantia lignoſa, cum copioſa medulla alba fatua.

Viribus cum præcedente ſymbolizat radice.

PARREIRA BARVA.

Eſt radix plantæ Mexicanæ vel potius Braſilianæ, quæ juvencula exiſtit ſarmentoſa & tortuoſa, coloris è cineritio nigricantis, cum autem jam plane adolevit, nigricantis coloris, ſæpius bracchium adæquat, & tum Parreiræ Bravæ nomen gerit, ſaporis dulcamari, odoris, ſi blando calori admoveatur, naribus blandientis, liquiritiæ æmuli.

Vocatur RAYS DENOSSA SENHORA ET CIPO DE COBRA.

Cum nihil certi adhuc authores de planta, quæ ſuſtinetur ab hac radice, dixerint, ideo manum de tabula ratione ipſius characteris.

IPECA-

Conſtat, ut LOCHNERUS in Schediaſmate de Parreira Brava docet, particulis ſalinis tam volatilibus quam fixis, ſulphureis itidem oleoſis balſamicis, mollibus, dulcibus, reſinoſis, glutinoſiſque. Ratione particularum ſalinarum incidit, aperit, atque abſtergit, propter eaque in omnibus renum & veſicæ affectibus auxilium præſtat, & in hydrope aliiſque morbis leniendis tanquam diureticum prodeſt remedium. Arenulas & ſabulum cum muco viſcido deſtruit, & calculorum ulteriori geneſi obicem ponit. Ratione vero particularum ſulphureo balſamicarum ſalia acria imprimis ſalſa involvit & deſtruit; criſpationes & dolorificos meatuum urinariorum ſpaſmos eorumque anguſtias inde productas abigit, ſimulque abſtergit, doloreſque demulcet. Specificam quoque vim in comminuendo calculo habere

H aſſe-

aſſeritur, & quidem tum renali tum veſicali. Modus utendi juxta HELVETIUM hic eſt, dum inquit: Radicis Parreiræ contuſæ, Incolæ Braſiliæ Luſitaniæque, unciam unam cum ſalis Armoniaci drachma in menſura aqua decoquunt, cum aliquoties ebullierit, ab igne removent, & ulteriori extractioni, frigorique exponunt. Bibat de hoc filtrato hauſtum, ſingulis quatuor horis repetendo. Adhibetur quoque radix in ſubſtantia ad ʒß. ℈ij. ad ʒj. pro diverſitate circumſtantiarum, cum XV. granis ſalis Armoniaci, quod repetitis vicibus poſt 4. horarum ſpacium, usque dum æger levamen ſentit, fieri ſolet. Poſſunt ſociari huic radici non tantum Acmella, ſpeciesque decocti Nephritici, Linum catharctium, ſed & millepedes, tartarusque nitratus, ut & Cinnabarina. Hæc radix analyſi Chymica ſpiritum acidulum & oleum empireumaticum fœtidum exhibe. Plura qui deſiderat, adeat LOCHNERUM.

℞. 🝆 Scorpion: magn. Matth. ℔j. Balſam. Copayb. ℥v. Balſam: Sulphur. Therebintinati, ℥iv. ſtyrac. liquid. ℥ij, Ceræ flav. ℥vj. Rad. Parreir. Brav. ſubtil. pulver. ℔ß. Sal Armon. ℥ij. Vin. Hiſpan. ℔ij. lento igne omnia coquito, lignea ſpatula ſemper agitando ad totalem Vini Hiſpanici evaporationem usque. Hoc facto ab igne removeto & Balſamum per textum cilicinum expreſſione forti facta trajicito, cum aliquantulum deferbuerit, addito Balſami Peruv. nigr. ℥iij. ſpatula lignea probe miſcendo & agitando. Doſis hujus Balſami ʒj. pondus erit. Laudatur ab Authore Helvetio in averrucandis calculis, & ob vim diureticam in hydrope, præſertim ſi frequentius aſſumatur.

℞. Spec. pro decoct. Nephrit. Foreſt. ℥j. rad. Parreir. Brav. ʒiij. Herb. Acmell. ʒij. Mſc. pro ſpeciebus ad infuſum Theiforme.

IPE-

IPECACUANHA.

Eſt radix exotica nodoſa & quaſi geniculata nunc fuſca, nunc alba, carnoſa compacta nec fragilis, ſubſtantia gaudens reſinoſa, ex America ad nos delata, virtute pollens emetica, adſtringente & alexipharmaca, & per medium ſui tractum fibram aut nervum transmittens, ſaporis amari & nauſeoſi.

Virtus

IPECACUANHA, HYPECACUANHA, HYPPOACANNA, CACOSANGO, BEXUGILLO, BEGUQUELLA, BECULO, BELOCULO, RADIX BRASILIENSIS à loco natali, RADIX DYSENTERICA à virtute. Hypecacuanna/ RACINE D'IPECACUANNA, Mine d'Or.

Tres recenſentur hujus radicis ſpecies, quas VALENTINI in peculiari diſſertatione hoc deſcribit modo.

Ipecacuanha nigra communis eſt ſpecies, è Braſilia ad nos delata, quam fuſe deſcribit PISO, qui primus omnium hujus ſpecifici antidyſenterici mentionem facit. Radix eſt digiti fere longitudinem adæquans, craſſitie calami ſcriptorii, flexuoſa, inæqualis, & quaſi geniculata, plurimis aſperisque circulis aut annulis exaſperata, extus fuſca, intus griſea, ſapore ſubacri & quodammodo amaro & nauſeoſo, linguam maſticata mucilagine quaſi quadam inveſtiens, reſinoſa ſimul & pinguis, unde quoque durabilitas ejus deducenda, ſiquidem reſinoſa diutius aſſervari poſſunt, quam ſalino volatilia. Miteſcere tamen tempore & acrimoniæ aliquid deponere inde patet, quod recentior magis acris & nauſeoſa ſit, quam exſiccata.

Alba, quæ Ipecacuanha Blanca Luſitanis audit, rarior & penes Europæos non æque uſualis. Adfertur pariter ex Braſilia, & in eo differt à priori, quod radicibus gaudeat albicantibus, ad Been album vel radicem Dictamni albi accedentibus, folia autem acetoſæ folio rotundo ſimilia ſunt, licet alii pulegio eadem aſſimilent. Diſcrepant etiam intuitu figuræ & ſuperficiei externæ, ſiquidem gracilior eſt priore nec tot zonulis gaudens, nec adeo amara.

Flava, juxta POMET, ex Peru adfertur per Hiſpanos, quibus Bexugillo audit. Craſſiſſimæ ejus radices tres præter propter lineas æquant

craſſitie. Radices ſunt intortæ annulis quibusdam exaſperatæ & flaveſcentes, per quarum longitudinem nervus ſeu fibra trajicitur ipſis pallidior, hæcque fibra cortice circumdata eſt, lineæ craſſitie, fragili, ſi bene exſiccata eſt, amara, reſinoſa, & in qua virtus medicamentoſa potiſſimum concentrata eſt.

Ex his prima ſpecies in uſum tantum venit, quæ plantam emittit nondum acuratiſſime deſcriptam, id quod & TOURNEFORTIUS, jam agnovit, folia inquiens, flores & fructus Ipecacuannæ herbæ Paris comparant PISO & MARGRAFFIUS, ſed eorum icones comparationi non reſpondent, & rudiores ſunt, quam ut ex his certo dignoſci poſſit, ad quod genus plantarum Ipecacuanha pertineat.

CORONA

Virtus hujus radicis non ſolum à formali textura dependet, unde tota ſubſtantia, ut loquuntur, agit; verum etiam particulis fixis & volatilibus conſtat, harumque intuitu calida eſt & acris, illarum vero adſtringens: utrisque amarities debetur ſaporque nauſeoſus, unde facultas ejusdem tam emetica quam alexipharmaca deducenda. Quæ poſterior vis in Ipecacuanna alba; ſicuti prior, nempe vis emetica, in reliquis duabus ſpeciebus magis obſervatur. Non ſemper ἄνω ſed & quandoque κάτω purgat. Uſus ejus eſt Braſilienſibus, uti PISO in Hiſt. Nat. Indiæ refert, adverſus quamplurimos morbos, maxime vero contra dyſenteriam, quia materiam non ſolum morbificam, utut tenaciſſimam, a parte affecta repellit, eamque per ſuperiora utplurimum expellit, ſed & adſtringendo viſcerum tonum reſtituit. Hoc enim præ omnibus adſtringentibus habet peculiare, quod antequam fluxum ſiſtat, vomitum prius moveat, ſicuti Rhabarbarum prius laxare ſolet quam adſtringere. Virtute quoque alexiteria miasma dyſentericum per poros cutis exterminat, adeoque triplici modo adverſus hunc morbum conducit, vomitum prius, abhinc ſudorem & denique conſtrictionem cauſando: hinc propter inſignes haſce virtutes in dyſente-

ſenteriis inveteratis, etiam illis, in quibus inteſtinum rectum à materia adhærente eſt exulceratum, convenire dicitur. A POMET laudatur quoque in teneſmo, ſi a materia cruda & plus minus acida è ventriculo ad inteſtina derivata, & hinc revellenda oritur. Cum jam in caſtris Dyſenteria quam maxime è ſimilibus cruditatibus malaque diæta propullulet, hinc mirari non ſubit, copias Gallicas cura MARCHIONIS DE LOUVOIS Miniſtri REGIS primarii, ſervatas hocce ſpecifico fuiſſe. Maxime quoque convenit hæc radix in febribus intermittentibus, ubi purgatione opus eſt, & quidem citra recidivæ metum, ſive in ſubſtantia, ſive in infuſo exhibeatur. Nec dubitandum etiam in aliis pariter febribus continuis, ardentibus imprimis malignis diarrhœam in ſpecie conjunctam habentibus, egregie convenire, cum materiam peccantem per vomitum expellendo non ſolummodo diarrhœam ſiſtere, ſed & cardialgiam aliaque ſymptomata alleviare valeat. Accedit inſuper vis ejusdem alexipharmaca. In doſi. diſcrepant Authores. PISO in pulvere dat ʒj. pro doſi. in infuſo ʒij. POMET in ſubſtantia ʒß. in infuſo ʒj. exhibet. HERMANNUS in pulvere ℈j. ad ʒj. in infuſo ʒij. propinat, in febribus utrobique doſin duplicando. Optima doſis videtur in noſtris regionibus hæc eſſe. Infantibus ſcilicet adhuc dum in cunis exiſtentibus ad granum unum aut alterum, Trimeſtribus ad gr. iij. &c. Annulis ſeu annum agentibus ad gr. vj. Bimulis & trimulis gr. vij. viij. & ultra exhiberi poterunt. Infantes videlicet melius vomitoria ſuſtinent ob temperamentum humidius. Adultis exhibetur ad ℈j. ʒß. vel ℈ij. rariſſime ad ʒj. In infuſo autem doſis ſemper adaugenda eſt ad ʒj. ad ʒij. Sunt qui pro augenda virtute emetica, tartarum emeticum admiſcent, ſed male, cum hoc modo facillime partes terreſtres Ipecacuanhæ & fixæ eliminentur ſtatim, atque ſic virtus adſtringens quoque caſtretur. Specificum eſt, uti di-

ctum, remedium in fluxibus alvinis, imprimis dyſentericis. Non temere autem quibusvis ægris dari & absque inſigni præmeditatione nemo ea abuti debet, violento enim etiam, ut cætera vomitoria, motu agit. Ante omnia probe ponderandum, an e re, cum ægri tum ipſius Medici, ſit, exhibere hoc remedium. Dantur enim caſus, ubi merito ab eo abſtinere decet, ne remedio enecuiſſe videamur, quem ſors aut materia occiderat. Fieri hoc poſſet in iis, quibus nimia mali diuturnitate delirium, ſingultus, vomitus cum tenſione dolorifica in infimo ventre, dejectionibus, fæcibus vini aut loturæ carnium ſimilibus, cadaveroſi odoris oborta ſunt, quæ cum certa indicia ſint gangrænæ inteſtina corripientis, hinc fruſtra illos ſalutem ſperaturos cenſet HELVETIUS, hujus remedii reſtaurator, qui & Phthiſicos, atrophia laborantes, eosque, quibus inſignis jam corruptio in infimo ventre accidit, a numero hac arte ſanabilium excipit, quoniam fluxus ventris his ſuperveniens caloris nativi extinctionem & propinquam mortem indicare in praxi obſervatur. Itaque ab hoc remedio dilationem aliquam, curationem neutiquam ſperare poterunt. Rebus autem & viſceribus adhuc integris feliciſſime & cum certa reconvaleſcentiæ ſpe adhiberi poterit, & quidem in ſubſtantia, qua plus agit, quam per varias præparationes, licet é cortice, in quo virtus ejus fere reſidet, reſinoſam aliquam tincturam aliaque obtineri poſſe nullum ſit dubium. Quam primum itaque ad Dyſentercium Medicus vocatus fuerit, ſtatim præſcribat radicem Ipecacuanhæ. Quodſi a prima doſi malum non ſiſtatur, altero die mane, ſecunda ſed paululum imminuta repetatur, & ſi opus eſt tertia quoque perendie exhibeatur. Sic plures curantur ægri, modo malum adhuc ſanabile exiſtat. Poſt abſolutos vomitus, ſtomachicum aliquod atque paregoricum remedium exhibeatur. Malum omen exiſtit, ſi

poſt aſſumptionem medicamenti, nec motus, nec anxietates nec vomitus, nec ſedes nec nauſea ſequantur, æger enim tunc utplurimum perit, quia natura ejus ſuccumbens non poteſt agere in medicamentum, nec medicamentum in naturam. Qui in ſubſtantia hanc radicem aſſumere detrectant, in infuſo vel in decocto uſurpare poſſunt, ſed revera experientia teſtatur non adeo feliciter operari ipſum hoc medicamentum. Sunt qui in clyſteribus etiam applicare conantur, ſed & ita ſuo ſcopo fruſtrantur: neque ii, qui ſuccedanea huic medicamento quærunt, multum ſperare poſſunt. Nam ſi medicamenti hujus vim ſpecificam conſideremus, vix ac ne vix quidem de ſimili ſuccedaneo cogitare licet, nam triplicem illam facultatem Emeticam, Adſtringentem & Bezoardicam non facile in uno eodemque reperias ſimplici, neque etiam facile in unum combinabis corpus. Recte hinc TOURNEFORTIUS pronunciat: quidam, inquiens, vires Ipecacuanhæ æmulari tentarunt, decocto tormentillæ, Biſtortæ & cæterarum radicum adſtringentium, addendo Vinum Emeticum aut Tartarum Emeticum, ſed expectationi ſucceſſus plane non reſpondet, & ſi res feliciter ſuccedat, Emetico potius quam decocto curatio tribui debet, nullus enim ignorat, quin ab emetico ſæpe dyſenteria tollatur. Exhibetur utplurimum cum aqua pane toſto correcta, Brod-Waſſer / in qua per tempus macerata fuit. Poterit etiam exhiberi in juſculis, infuſo The, aquis deſtillatis &c. Notandum tandem merito, quod diæta ſtricte ſit obſervanda ſub uſu hujus remedii. Debet eſſe illa tenuis & parca, alias magis incommodo quam commodo erit corpori. Plura qui cupit, adeat ſupra citatum VALENTINI, cujus verbis ſæpius hic uſi fuimus.

RADICES SALE VOLATILI GAUDENTES.

Scrophulariæ.
Coronæ Imperialis.

SCROPHULARIA.

Eſt radix Scrophulariæ vulgaris I. B. alba, craſſiuſcula & tuberibus inæqualibus ſtrumoſa, ſaporis amari, odoris ingrati.

Radix hæc continet particulas emollientes, reſolventes, digerentes, incidentes, ſale volatili imprægnatas. Incidit, attenuat, emollit & inſigniter reſolvit. Laudatur in ſtrumis & ſcrophulis etiam exulceratis tam interne quam externe; tumoribus quoque duris aliis medetur, convenit ad ulcera rebellia, ad ficus & mariſcas. Imprimis commendatur ad hæmorrhoides cæcas dolentesque recens diſſecta; dentium dolores admota ſanat. Datur vel in pulvere ad ʒj. usque in vino vel alio vehiculo convenienti, vel infunditur in vino. Radix etiam externe de collo ſuſpenditur vel ſupra os ſacrum alligatur aut femori appenditur, imprimis recens, ſic enim fit, ut dolor evaneſcat, ſicut radix exſiccatur. Sunt, qui dicunt radicem ſcrophulariæ in quocunque hæmorrhoidum ſtatu, ſive fluant nimis, ſive ſuppreſſæ & cæcæ ſint, prodeſſe. Sic refert SCHOLZIUS, quod ſi radix in taleolas diſſecta vino injiciatur, de quo vino infuſionis patiens per noctes & dies bibat, poſtea radices ſiccentur & eo modo, quo ſiccantur radices etiam ſiccentur Hæmorrhoides & curentur. Si vero proritandæ, eadem infundenda eſt radix in vino, de quo bibatur, & eo modo quo ſe extendunt rugæ radicis in vino, eo etiam ſe extendunt mariſcæ

&

& ſequitur fluxus. In ſcrophulis & ſtrumis colli accipitur numerus tuberculorum Scrophulariæ impar, & hæ radices filo trajectæ appenduntur collo, ſic enim fiet, ut Scrophulæ brevi poſt evaneſcant.

℞. Rad. Scrophul. Lap. ſpong. ana ʒij. ſal. gemm. oſſ. ſep. ana ʒiß. Zingib. Piper. alb. irid. florent. ana ʒj. ſacch. alb. ℥x. 🝆 Cinam. gtt. ij. Mſc. f. pulv. doſ. mane & veſperi ʒß. ad ʒj. in ſtrumis abſumendis.

℞. Radic. Scrophul. ſucculentæ autumno collectæ ℔iß. contundatur in morterio lapideo cum butyro recenti, deinde in vaſe clauſo ſepeliantur in fimo equino, vel ponantur in MB. per 14. dies noctesque, poſtmodum leni igne liquefiant & colentur, fiatque ſic cum pinguedine humana & cera unguentum contra hæmorrhoides optimum, tam in affectibus hæmorrhoidalibus, quam etiam in tumoribus glandularum duris, ſcrophulis & ſtrumis, & hinc in ulceribus mali moris & fere cancroſis, ut docet ETTMULLERUS.

℞. Succ. herb. & radicis Scrophulariæ 🝆 amygd. dulc. ana p. æq. Miſceantur & f. inſolatio.

CORONA IMPERIALIS.

Eſt radix Coronæ Imperialis Dod. bulboſa, rotunda, craſſa, compreſſa, ex magnis craſſiſſimis & ſucculentis ſquammis compacta, colore interdum albo nonnunquam etiam purpuraſcente, ſæpe pallida, odore fœtido & viroſo.

Sed

CORONA IMPERIALIS a florum diſpoſitione dicitur. FLOS HERBARIORUM, TULIPA GRANDIFLORA, DIADEMA PAPALE. Vocatur etiam TUSAI, TOUSAI, Kayßerkron/ Königskron/ Königlilien/ COURONNE IMPERIALE.

Corona Imperialis eſt plantæ genus, floribus velut in Coronam diſ-

poſitis;

poſitis; ſupra quam eminet numeroſa foliorum coma. Singuli autem flores liliacei ſunt veluti campaniformes ex petalis ſex compoſiti. Piſtillum vero, quod meditullium petalorum occupat, abit deinde in fructum oblongum, alis per longitudinem inſtructum, in tria loculamenta diviſum, ſeminibus fœtum planis mutuo ſibi incumbentibus. His notis addenda eſt radix tunicata, parte ſeſſili fibrata.

Plures quidem ſunt hujus plantæ ſpecies, communior autem eſt.

Corona Imperialis Dod. Pempt. 202. Lilium ſive Corona Imperialis. C. B. Pin. 79. Corona Imperialis ſive Tuſai aliis I. B. 2. 697.

Oblectamenti & ornatus gratia colitur in hortis. Eſt è primis anni floribus, circa finem Martii vel Aprilis initio emergens. Ex Orientalibus regionibus ad nos pervenit.

Poſſet hic flos, ut LAUREMBERGIUS loquitur, ſpecie, magnificentia & admirabili pulchritudine cæteris omnibus palmam præripere, abſque odore ingrato ſi eſſet, qui totam hanc plantam id eſt bulbum folia flores collutulat & dignitatem reddit obſcuriorem.

THAPSIA

Sed ab hoc fœtore Batavæ mulieres etiam auxilium aliquod petunt, ſtabilitum felici ſucceſſu & tuto experimento. In matricis præfocatione bulbum ad nares admovent, in ejusdem prolapſu applicant inferioribus, ſentiuntque affectibus ſeſe protinus liberari. Quidam huic radici adſcribunt virtutem emolliendi, digerendi, reſolvendi & demulcendi.

Eſt

PURGANTES RADICES SALE FIXO RESINÆ INCLUSO CONSTANTES.

Thapſiæ.
Floris mirabilis.

THAPSIA.

THAPSIA.

Eſt radix Thapſiæ Thalictri folio Bot. Monſp. craſſa, longa, exterius nigricans aut cinerei coloris, interius alba, lacteo turgens ſucco amaro, acri, & aliquatenus corroſivo.

THAPSIA appellatur ab Inſula in qua reperitur. TAPSIE OU TURBITH BATARD.

Eſt planta flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis, & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum, ex duobus ſeminibus compoſitum, longis, ſtriatis, ala cinctis ampliſſima foliacea, utrinque introrſum plerumque emarginata.

Thapſia ſive Turbith Garganicum ſemine latiſſimo I. B. 3. 2. 50. Thapſia Thalictri folio Botan. Monſp.

Dicunt hanc plantam etiam reperiri in monte Virgineo Campaniæ, & in monte Gargano Apuliæ.

Thapſiæ radix ejusve ſuccus aut decoctum ſuperne inferneque cum violentia purgat, ideoque caute adhiberi debet. Male à quibusdam Turbith ſubſtituitur. Externe in unguentis laudatur ad ſcabiem & alios morbos cutaneos.

FLOS MIRABILIS.

Eſt radix Jalappæ flore purpureo Tourn. craſſa, Mandrogoræ fere ſimilis, cubitalem longitudinem quandoque excedens, paucis fibris donata, circulos Mechoacæ inſtar, ſi transverſa ſecetur, oſtentans, foris nigra, intus alba, ſapore primum fatuo deinde nonnihil acri & fauces vexante.

Ejus-

JALAPPA dicitur a ſpecie hujus plantæ pro ſcopo purgante admodum communis. SOLANUM MEXIOCANUM, FLOS MEXIOCANUS, MIRABILIS PERUVIANA. Schweitzerhoſen/ BELLE DE NUIT, JALAP.

 Character

Character hujus vegetabilis videatur ſub Gialappa. Ex pluribus autem ſpeciebus flore differentibus communior eſſe ſolet ſequens.

Jalappa flore purpureo. Tourn. I. R. H. cl. 2. S. 3. gen. 1. Solanum Mexiocanum flore magno purpureo ſeu Kermeſino. C. B. P. 168. Jeſminum Mexicanum ſive flos Mexicanus multis I. B. 2. 812. Viola Peruviana. Tabern. Icon. 315.

Ex America ad nos delata hæc planta colitur in hortis, floret Augusto Septembri & Octobri.

Tamnus

Ejusdem cum Gialappa dicitur eſſe virtutis, purgantis ſcilicet & imprimis ſeroſam colluviem expellentis.

Datur in doſi dupla nempe ad ʒij. usque.

RADICES SALE FIXO ACRI CONSTANTES ET VEHEMENTISSIME PURGANTES.

Tamni.
Colchici.
Aconiti.
Napelli.
Aconiti hyemalis.
Chriſtophorianæ.
Aſtrantiæ.
Hellebori Hippocratis.
Cicutæ.

TAMNUS.

Eſt radix Bryoniæ lævis ſive nigræ racemoſæ C. B. Pin. magna,

magna, craſſa, tuberoſa, rotunda fere, foris nigra, intus alba, viridis adhuc ſaporem acrem linguæ imprimit, non tamen ingratum aut amarum, ſiccata vero candidiſſima ſubſtantia accedit ad Dracunculi minoris radicem, nullis circulis donata, quales apparent in Bryonia, quæ facile in pollinem redigi poteſt, nec rara, ut illa, ſed compacta, in eo accedens ad Mechoacam, ab ea etiam diverſa circulis, ſapore quoque eſt non ingrato cum aliqua acrimonia.

TAMNUS, TAMUS, VITIS NIGRA, SIGILLUM MARIÆ. Schwartze Stickwurtz/SEAU DE NOTRE DAME, RACINE VIERGE.

Eſt planta floribus monopetalis campaniformibus, patentibus, & multifidis: ex quibus alii ſteriles ſunt, nulli embryoni adhæreſcentes, alii foecundi embryoni inſidentes, qui embryo deinde abit in baccam plerumque ovatam calyptra membranacea inſtructam, ſeminibusque ſubrotundis fœtam.

Tamnus racemoſa flore minore luteo palleſcente. Tourn. I. R. H. cl. 1. S. 7. g. 2. Bryonia lævis ſive nigra racemoſa. C. B. Pin. 297. Vitis nigra quibusdam ſive Tamnus Plinii folio Ciclamini. I. B. 2. 147. Vitis ſylveſtris. Dod. Pempt. 401.

In ſylvis & dumetis provenit, Majo floret, quibus floribus ſuccedunt racemi uvarum rubentium aut ex rubore fuſcarum.

Κολ-

De viribus hujus radicis ita LOBELIUS. Compertum eſt vel mulierculis vehementius urinam renumque ſabulum, menſiumque ſaburram impellere potu. Incidit & attenuat lentam pituitam, præſertim in thoracis affectibus, virtute quoque purgante gaudet. Sunt qui Tamni viticulas vere primum erumpentes inſtar aſparagorum, quibus ſimiles ſunt, comedi poſſe aſſerunt, aliis harum eſum rejicientibus plane.

Pulvis radicum cum aceto & ſtercore vaccino ad formam ca-

cataplaſmatis redactus podagricos dolores lenit. Conducit quoque hæc radix ad ſugillationes & contuſa.

COLCHICUM.

Eſt Colchici communis C. B. Pin. radix ſive bulbus, ruffeſcens foris, intus albus, ſaporis dulcis ſimulque amari & tetri, odoris gravis & nauſeabundi.

Κολχικὸν, quoniam vel in Colchide reperiebatur, vel quod vi nociva nihil cedebat venenis Colchicis. Ἐφήμερον, EPHEMERUM LETHALE, quia ſpatio diei unius necat. REFUGIUM SERVORUM, quoniam olim ſervi nimis duriter habiti eſu Colchici ſe ſuffocabant. βολβὸς ἄγριος, BULBUS AGRESTIS; Wieſen Zeitloßen/ Herbſtzeitloßen/ Hunds-Hoden/ Wild-Saffran/ Nackende Jungfrauen/ Nackende Huren/ quoniam flores, tempore autumnali, abſque foliis comparent, Herbſt-Blumen/ Winter-Blumen / Wieſen-Saffran / Michels-Blumen / Spinn-Blumen. COLCHIQUE, MORT AU CHIEN, TÜE CHIEN.

Eſt planta flore liliaceo monopetalo ab ipſa radice emergente, ſub tubi tenuiſſimi forma, in ſex partes ſenſim ampliati. Piſtillum autem è fundo floris ſurgit, in capillamenta tenuia deſinens, abitque in fructum oblongum, trigonum, in tria loculamenta diviſum, ſeminibus fœtum ſubrotundis. His notis addenda gemina radix tuberoſa, quarum altera carnoſa eſt, altera fibrata, eodem involucro membranaceo obducta.

Colchicum commune. C. B. Pin. 67. Colchicum I. B. 2. 649. Colchicum. Dod. Pempt. 460.

In pratis, ſolo pingui, Autumno floret, foliisque, quæ emittuntur vere & æſtate perennant, omnibus jam emortuis emergit.

ACONITUM

Bulbus hic præſentaneo periculo enecat ſtrangulando haud ſecus ac fungi noxii ſolent. Pruritus excitatur toto ore non ſecus à ſi quis urtica aut ſcilla uſtulatus fuerit. Interna ſen-

ſentiunt roſionem, ſtomachus cum ingenti gravitate exæſtuat. Invaleſcente morbo cruor ſtrigmentis admixtus per alvum ejicitur. Conducit juſculum ſaturejæ aut origani, potus fimi gallinacei ex aceto, inprimis Lac bubuſum potum. Laudatur hæc radix tanquam amuletum in peſte præſertim, effoſa circa æquinoctium autumnale, qua de re conferri poteſt WEDELIUS de Colchico veneno & alexipharmaco. Fides ſit penes Chriſtoph. Ludov. Wilhelmi, qui in peculiari libello, aſſerit, ſibi in ſommo de Sene ſequens remedium contra peſtem communicatum fuiſſe.

℞. Radicem Colchici & cum cera, terebinthina & oleo in emplaſtrum redige anoque applica, ſic enim virus peſtilentiale juxta hoc inſomnium extrahetur.

ACONITUM.

Eſt Aconiti Lycoctoni lutei C. B. Pin. radix, flexuoſis, numeroſis, nigricantibusque fibris cirrisve implexis, ſatis, jucundo odore præditis conſtans.

Aconitum dicitur ab ἀκόνη, quoniam in nudis cautibus creſcit, Aconitum Lycoctonum Luteum, Luparia, Strangulator Lupi, quoniam Lupos occidit. Napellus Luteus. Wolffs-Wurtz / Geele Wolffs-Wurtz / geele Narren-Cappen / Aconit, Tue Loup.

Character hujus plantæ deſcribitur ſub Napello.

Aconitum Lycoctonum luteum, C. B. Pin. 183. Aconitum folio Platani flore luteo palleſcente. I. B. 3. 652. Aconitum Lycoctonum luteum majus. Dod. Pempt. 439.

In altiſſimis montium vallibus naſcitur in variis Germaniæ & Helvetiæ locis, Junio & Julio floret.

Napellus

Aconitum Homini & reliquis animalibus eſt exitiale. Aco-
nitum

conitum ſumptum ſtatim in lingua inter ſumendum quodammodo dulceſcit, paulò poſt ponticus ſapor oritur. Hinc caput valde perturbatur, & ſequitur ejus gravitas, vertigo, muſculorum temporum convulſio, deliria, tremor, lacrymæ involuntariæ, oculorum rubedo, laterum dolor, pectoris gravitas, ſpirandi difficultas, circa Pylorum morſus, flatus in inteſtinis copioſi, totius corporis tumor, tandemque, niſi citiſſime malefica ejus vis infringatur, mortem affert. Conducunt ante omnia vomitoria, purgantia & enemata, poſtea, docente SENNERTO, ſtatim veneni, quod ſpatio unius diei imo citius interficit, vis alexipharmacis propriis expugnanda, qualia ſunt ruta, abrotanum, centaurium, origanum, marrubium, Chamæpytis, Ariſtolochia longa, coagulum Leporis, Hædi, cum vino vel aceto ſumptum, radix Eryngii, Caſtoreum, Theriaca, Mithridatium. Imprimis commendatur Opobalſamum, ʒj. pondere exhibitum. Conducit vinum abſinthites. Juſculum pingue, Juſculum pulli gallinacei, oleoſa, Lacticinia.

Sunt qui pro uſu externo ſuadent oleum ſcorpionum vel Hyperici, cui aliquid Theriacæ admixtum ſit.

Sunt qui etiam in uſum medicum trahunt. Dicunt enim quod in unguentum cum oleo redacta radix hæc illitu pediculos ac furfures enecet ac expellat. Id quod etiam præſtat, ſi vel in aqua vel in lixivio decoquatur.

Radicis color & quod ventris profluvium ſimul moveat, Pharmacopoeos quosdam nefarios avaritia corruptos induxit, ut has radices pro helleboro nigro divenderent. Minime itaque in una eademque capſula, uti & hic factum eſſe deprehendimus, debent aſſervari radices aconiti & hellebori nigri.

NAPELLUS.

NAPELLUS.

Eſt Aconiti cærulei ſeu Napelli. 1. C. B. Pin. Napi parvi magnitudine, nigra exterius, interius candicans, fibras è lateribus producens, ſæpe & alios napos collaterales adnatos habens, ſaporis primum acris poſtmodum ſtupefacientis.

NAPELLUS vocatur a radice Napiformi, ACONITUM dicitur ab ἀκόνη, quod in nudis cautibus creſcat. CUCULLUS MONACHI a florum figurà. VULPARIA, VULPICIDA, a virtute, Napellenkrauth/ blau Eiſenhühtlein/ Kappenblumen/ blau Kappenblumen/ Mönchskappen/ blau Wolffswurtz/ Teufſelswurtz/ Fuchswurtz/ Würgling/ Ziegentodt / Narren-Kappen/ ACONIT, NAPEL.

Aconitum in genere eſt plantæ genus, flore polypetalo anomalo, ex quinque petalis diſſimilibus conſtante, caput humanum galeatum vel cucullatum quodammodo repræſentante. Petalum enim ſuperius galeæ vel cuculli vice fungi videtur, inferiora duo eam caſſidis partem, quæ maxillam inferiorem tuetur, alæ vero aliam, quæ tempora cingit, exhibere videntur: è floris meditullio ſurgunt ſtyli duo pediformes in petalo ſuperiori recònditi, tum piſtillum, quod deinde abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur vaginæ membranaceæ, ſeminibus fœtæ angulatis utplurimum & rugoſis.

Species Aconiti, de qua hic ſermo, eſt

Aconitum cærulæum ſeu Napellus. 1. C. B. Pin. 183. Aconitum magnum purpureo flore vulgo Napellus. I. B. 655. Napellus Dod. Pempt. 44.

Provenit in Alpibus, Sylva Hercynia, montibus Sileſiæ. Colitur etiam in hortis, floret Auguſto.

Pertinet

Napellus eſt venenum pernicioſiſſimum, ſive comedatur ſive bibatur, tota herba eſt noxia, ſed radix cæteris partibus venenoſior, adeo ut referant nonnulli Medici, eam ſolum ali-

aliquandiu in manu detentam perimere MATTHIOLUS tantam vim deleteriam ei attribuit, quæ nullis antidotis vinci poſſit, niſi ſtatim & ab initio ei occurratur, Qui aſſumſerunt Napellum, iis inflantur & inflammantur labia, ut & lingua, quæ etiam ex ore egreditur, ſicuti quoque oculi intumeſcunt & egrediuntur. Totum corpus lividum fit & tumidum. Vertigine & ſyncope frequenter torquentur, ut & convulſionibus, & tandem ſupervenit mors. Qui evadunt ex eo, facile cadunt in hecticam aut phthiſin. Odor Napelli quandoque epilepſiam cauſari fertur. Olim ſucco hujus plantæ ſagittæ imbuebantur, venenatæque reddebantur.

Antidotum hujus Napelli fabuloſum dicunt eſſe murem Napelli. Perhibent nimirum, uti ETTMULLERUS diſſerit, quod prope radicem Napelli reperiaturmus, qui hac radice veſcatur & optimum præbeat remedium contra Napelli venenum hauſtum. Reſpondeo, inquit, modo dictus author. Mera fabula eſt, nullus enim unquam talis mus circa radicem Napelli fuit repertus. Verum tamen eſt, in montibus Helveticis plures reperiri muſcas, flores hujus plantæ circumvolitantes, quæ muſcæ cum terra ſigillata mixtæ appropriatum hujus Napelli præbent remedium. Verum nec hoc eſt remedium certum, niſi experientia confirmetur. Videntur itaque veteres decepti vocabulo μῦς, quod & Murem & Muſcam ſignificat.

Ut Napelli venenum quamprimum vomitu rejiciatur, omnis danda opera. Statim itaque exhibeatur vomitorium, applicetur clyſma, poſtmodum Theriaca, Orvietanum, Mithridatium, ſalia volatilia Viperarum, Cornu Cervi, Salis Ammoniaci adhibeantur. Quidem ſuadent lapidem Bezoar, terram ſigillatam, ſmaragdum, bolum armenam &c. Cum corroſivum ſit venenum oleoſa, lactinia, butyrum &c.

optime

optime convenire poſſunt.

Juxta HOFFMANNUM in Schroederum Napelli antidotum eſt ſtercus humanum ſiccatum & pulveriſatum adhibitum. Si quis, inquit, Napellum ſumſerit ad granum unum, moritur intra 4. horas & nullo alio remedio juvabitur, quam ſtercore humano, quod recens vel aridum bibendum datur. Obſervandum autem cito obviam eundum eſſe malo huic alias medelam non admittit, ut id exempla teſtantur.

Non obſtante autem Napelli venenoſitate nonnulli quoque hanc plantam ejusque radicem in uſum medicum trahere conantur, imprimis MELCHIOR FRICCIUS, Medicus Ulmenſis in Tractatu, qui inſignitur Paradoxa de venenis. Laudatur itaque ad morbum cutaneum, quem vitiliginem appellant. Commendant in pulverem redactas radices drachmæ unius pondere in febribus tertianis & quartanis, ubi ſimul notant languere quidem ex hac ſumptione ægros, ſed illud non multum eſſe curandum. Externe Napellus pro veſicatorio fuit uſurpatus. Ego neque in me neque in proximo ancipites Napelli vellem experiri vires. Ejusmodi remedia utique ſunt abominanda.

ACONITUM HYEMALE.

Eſt radix Aconiti Hyemalis Camer. tuberibus, ſi adultior eſt, Anemones modo, inæqualibus articulata, alias ſtaphylodendri nucem magnitudine duntaxat adæquans, interius nigra, ſapore acri & fervente.

Radi-

Pertinet hæc planta ad ſpecies Hellebori, eſt nempe.

Helleborus niger tuberoſus Ranunculi folio flore luteo. Tourn. I. R. H. cl. 6. S. 6. g. 11. Aconitum unifolium luteum bulboſum. C. B. Pin. 183. Ranunculus cum flore in medio folio radice tuberoſa. I. B. 3. 414.

3.414. Aconitum luteum minus. Dod. Pempt. 440. Aconitum Hyemale. Camer.

Sponte & copioſe occurrit in agris circa Bononiam in Italia, ut & in montibus Apenninis aliisque. Colitur in hortis, floret Martio.

Radicem hanc cum magna prudentia exhibitam purgare perhibet CAMERARIUS, ſi vero non rite aut nimia quantitate uſurpetur eſſe valde noxiam pronunciat.

CHRISTOPHORIANA.

Eſt radix Aconiti racemoſi C. B. Pin. craſſiuſcula, interius Buxi colore lutea.

CHRISTOPHORIANA quaſi planta St. Chriſtophori, St. Chriſtoffels-Krauth/Schwartzwurtz/HERBE DE St. CHRISTOPHLE.

Eſt planta flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante: ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum mollem, ſeu baccam utplurimum ovatam, ſeminibusque fœtam gemino ordine non raro ſibi adhæreſcentibus.

Chriſtophoriana vulgaris noſtras, racemoſa & ramoſa. Moris. Hiſt. Oxon. p. 2. 8. Aconitum racemoſum an Actæa Plinio, C. B. Pin. 183. Aconitum racemoſum, Actæa quibusdam I. B. 3.660. Chriſtophoriana. Dod. Pempt. 402.

In ſylvis plerumque montoſis frequens occurrit, floret Majo & Junio.

ASTRAN-

Radix hæc inſtar hellebori purgat, ſed exitialis fertur ac non minus noxia quam aconitum. Caveant itaque, ut monet SCHWENCKFELDT, ſibi Pharmacopoei. In decocto aut unguento laudatur ad ſcabiem & ad pediculos enecandos.

ASTRAN-

ASTRANTIA.

Eſt radix Aſtrantiæ majoris Moris. fibroſa, hellebori modo nigra.

ASTRANTIA NIGRA, IMPERATORIA NIGRA, HELLEBORUS NIGER SANICULÆ FOLIO, SANICULA FOEMINA.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante, apice plerumque reflexo, in orbem poſitis & calyci insidentibus. Is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum, quæ ſingula calyptra ſtriata criſpaque involvuntur. Flores vero in capitulum quoddam colliguntur, corona cinctum foliacea. Flores quidam ſteriles ſunt & peculiari gaudent calyce.

Aſtrantia major. Corona floris purpuraſcente. Tourn. I. R. H. cl. 7. Sect. 2. g. 5. Aſtrantia major. Moris. Umb. 7. Helleborus niger Saniculæ folio major. C. B. Pin. 186. Sanicula fœmina quibusdam, aliis Elleborus niger. I. B. 3. 638. Veratrum nigrum Dioſcoridis. Dod. Pempt. 387.

Reperitur in locis montoſis, incultis atque aſperis. Colitur etiam in hortis, in quibus floret Junio & Julio.

HELLE-

Hæc radix virtute convenit cum Helleboro nigro eodemque uſurpatur modo. Atros & melancholicos aliosque humores expurgat per alvum.

HELLEBORUS. HIPPOCRATIS.

Eſt radix Hellebori Hippocratis Tabern. ſeſquipalmaris, fibris nigricantibus tenuioribus conſtans, quam Hellebori nigri radix, à capite magis etiam divulſo pendulis, ſapore amaro præditis, non parvam tamen acrimoniam relinquentibus.

In

HELLEBORUS NIGER FERULACEUS, PSEUDOHELLEBORUS, ELLEBORASTRUM NIGRUM DODONÆI, CONSILIGO TENUIFOLIA, vermeinte ſchwartze Nieſzwurtz/ Böhmiſche Chriſtwurtz.

Eſt ſpecies Ranunculi, nempe

Ranunculus fœniculaceis foliis, Hellebori nigri radice. H. R. Monſp. Helleborus niger tenuifolius, Buphthalmi flore. C.B. Pin. 186. Buphthalmum Dodonæi, aliis Conſiligo tenuifolia. I. B. 3. 637. Helleborus Hippocratis, Tabern. Icon. 721.

In apricis collibus & ſiccioribus Pannoniæ & Auſtriæ gramineis campis prognaſcitur. Provenit quoque copioſe in Bohemia. Colitur etiam in hortis, floret vere.

In quibusdam locis utuntur hac radice pro radicibus Hellebori nigri. Alii tamen eas non pro Veratro nigro uſurpandas eſſe ſtatuunt. Commendantur à quibusdam ad pulmoniam & peſtilentiam arcendam. CAMERARIUS dicit has radices externe admotas certo diſſipare durities ac in ſcirrhum abeuntes collectiones.

CICUTA.

Eſt radix Cicutæ Dod. longa, craſſiuſcula inſtar Napi minimi aut Paſtinacæ, interne alba, & quando caulem facit, interius cava, prius ſolida, odoris ingrati gravis & fœdi.

Radices

Cicuta dicitur quod internodiis ſit cavis & fiſtuloſis: nam (ut docet SERUIUS) in Cannis Calamisque quod interceptum eſt inter duos nodos Cicuta appellatur. Græce dicitur κώνειον, quia cicuta epota ſtultitiam parit, deſumpto nomine ab effectu. Schierling/Wüterich quaſi tyrannus, quod ſcilicet hominem interficiat, Dollkrauth/ Wangenkrauth/ Ziegerkrauth/ CIGÜE.

Eſt plantæ genus flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante cordiformibus, inæqualibus, in orbem poſitis & calyci inſi-

inſidentibus. Is autem abit in fructum fere globoſum ex duobus ſeminibus compoſitum exiguis, hinc gibbis & ſtriatis, inde vero planis.

Cicuta major. C. B. Pin. 160. Cicuta Dod. Pempt. 461. & I. B. 3. 2. 175.

Circa pagos & oppida Cicuta paſſim abundat, locis umbroſis & pinguibus, prope foſſas aggeresque, agrorum pratorumque ſepimenta. Cum floribus, ut habet J. BAUHINUS, Julio, ſemine prægnantem, Auguſto videre eſt, & nonnunquam per totam hiemem virentem foliis ſupra terram expanſis.

NARCISSUS

Radices Cicutæ æque ac tota planta homini eſt nociva & venenata, uti triſtia hoc comprobarunt exempla, dum pro radicibus paſtinacæ aut petroſelini aut etiam cum iisdem fuerunt aſſumptæ. Atrocia ſymptomata mortemque ipſam inferunt. Juxta SENNERTUM aliosque Cicuta inducit oculorum caliginem, vertiginem, amentiam & furorem, quandoque ſtrangulationem, difficultatem ſpirandi vel etiam ſuffocationem, ſingultum, convulſiones, corporis tumorem, frigiditatem, ſtuporem, tandemque virium exſolutionem aſphixiam & ipſam mortem. Reperiuntur equidem nonnulli, qui aſſerunt, quod multi his radicibus innoxie utantur. Sic SCALIGER inquit, in Liguribus Taurinis vulgo ejus radices in deliciis haberi pro acetariis, & valide urinam ciere. Sed ego nollem illos imitari. Plura hac de re vide infra ſub foliis Cicutæ.

RADICES SALE PURGANTE BLANDO CONSTANTES ET VULGO LAXANTES.

Bulbocodii.

Narciſſi.

Narciſſi.
Rhabarbari Monachorum.
Pſeudorhabarbari.
Oxylapathi.
Lapathi Aquatici maximi.
Thalictri.

BULBOCODIUM.

Eſt radix Bulbocodii vulgatioris I. B. bulboſa ex multis tunicis compacta, tactu & guſtu viſcida, cum aliqua dulcedine acrimoniam aliquam relinquens.

NARCISSUS LUTEUS SYLVESTRIS, PSEUDONARCISSUS, CODIAMUM, CODIANUM, Gäl Hornungs-Blum / CAMPANE JAUNE.

Eſt ſpecies Narciſſi.

Narciſſus ſylveſtris pallidus calyce luteo. C. B. Pin. 52. Bulbocodium vulgatius. I. B. 2. 593. Narciſſus luteus ſylveſtris. Dod. Pempt. 227.

Reperitur in Anglia, Belgio, Hiſpania, Germania, in humido ſolo in ſylvis locisque arboribus conſitis, transfertur etiam in hortos, floret Februario.

NAR-

Bulbus in uſum venit, & ejusdem cum Narciſſo ex mente I. B. eſt naturæ, qui author ita loquitur. Experientia inventum eſt (ſi DODONÆUS non fallitur) duas drachmas hujus radicis adhuc recentis, in vino aut aqua coctas cum pauco ſemine Aniſi aut Fœniculi & parva portione Gingiberis exhibitas purgare pituitam lentam & viſcidam per inferiora. Sunt qui plebem ruſticam hoc bulbo vomitiones ciere aſſerunt.

NARCISSUS.

NARCISSUS.

Eſt radix bulboſa exterius nigricans, interius alba, viſcoſa, amara.

Narciſſi

Narcissus nomen indeptus ſeu à puero, qui in eum florem mutatus eſſe creditur, ſeu à νάρκη torpore, quia torpidas capitis gravitates & dolores facit. Narcißen/Mertzen-Blumen Morgenſtern/ Narcisse.

Eſt plantæ genus flore liliaceo monopetalo, campaniformi in ſex partes ſecto, meditullium ejus coronæ inſtar cingentes. Calyx autem, qui plerumque prodit è vagina membranacea, abit deinde in fructum oblongum vel ſubrotundum, trigonum, trifariam dehiſcentem, in tria loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum ſubrotundis.

Ex pluribus Narciſſi ſpeciebus ſequentium tantummodo lubet mentionem injicere.

Narciſſus albus major odoratus. C. B. Pin. 49. Narciſſus latifolius major in latifoliorum claſſe alter. Clus. Hiſt. 156 Morgenſtern.

Narciſſus totus albus major C. B. Pin. 49. Narciſſus cum pluribus floribus totus albus major. I. B. 2. 606. Narciſſus latifolius ſimplici flore proſus albo. 1. Cluſ. Hiſt. 155.

Narciſſus totus albus minor. C. B. Pin. 49. Narciſſus latifolius niveus alter. Clus. Hiſt. 155.

Narciſſus totus niveus multiplex. C. B. Pin. 54. Narciſſus flore ſingulari albo pleno. I. B. 2. 602. Narciſſus pleno flore v. Clus. Hiſt. 161. gefülte Morgenſtern.

Narciſſus flavus tubo rotundo. C. B. Pin. 52. Narciſſus ſeu Pſeudonarciſſus oblonga tuba rotunda, non fimbriata, quaſi abſciſſa, flavo flore Schwert: Mertzen-Blumen.

Narciſſus major totus luteus calyce prælongo. C. B. Pin. 52. Bulbocodium Hiſpanicum. I. B. 2. 594. Pſeudonarciſſus major Hiſpanicus. Clus. Hiſt. 165.

Narciſſus multiplex totus flavus. C. B. Pin. 54. Narciſſus plenus iiij. flavo flore. Clus. Hiſtor. 161. gefülte Mertzen-Blum.

Coluntur apud nos in hortis, florentes Februario, Martio & Aprili.

 Sponte

Sponte proveniunt in quarumdam regionum montanis præſertim locis.

RHABAR-

Narciſſi radix, ut LAUREMBERGIUS diſſerit ex DIOSCORIDE, (forte cruda) ſive eſtur, ſive bibitur, vomitum excitat. Ruſtici bulbos hos toſtos ſub cineribus comedunt, quoties ventriculi roſiones ſentiunt, ſibique metuunt ab hauſto, cum aqua inſalubri, veneno. Nonnulli ei easdem cum croco facultates adſcribunt, in conſumendo, ſomnum excitando, attrahendo. Mihi crocus præferendus eſſe videtur. Prodeſt ambuſtis cum melle trita hæc radix. Præciſos nervos agglutinat impoſita. Educit aculeos infixos. Luxatis malleolis diuturnisque articulorum doloribus trita & cum mello impoſita ſubvenit. Ephelin & alphum cum urticæ ſemine & aceto expurgat. Externe porro commendatur bulbus ad grandia quæque vulnera nervorum contrahenda & conſolidanda.

Vix ullum, teſte ſupra citato LAUREMBERGIO, præſentius eſt remedium, quam pulticula parata ex bulbo foliis & floribus Narciſſi in propulſandis doloribus inveteratis Eryſipelatis. Quæ ipſa quoque puls juvat eos, quibus inter eundum crus aut talus dislocatus, aut aliud membrum è nativo ſitu egreſſum eſt.

Ex floribus Narciſſi maceratis in oleo olivarum, paratur efficax oleum Narciſſinum, cujus uſus in vulneribus recentibus; itemque in colica tam foris illitum quam per clyſterem injectum. Deſtillatur quoque ex his floribus aqua, præſens remedium Epilepſiæ, ſi ea nucha caputque totum calide abluatur. Ad quem porro effectum efficacius cenſetur oleum, quod cum aqua ex floribus exit.

RHABAR-

RHABARBARUM MONACHORUM.

Eſt radix Lapathi hortenſis latifolii C. B. Pin. ultra ulnam longa, interdum longior, digiti craſſitiem parte ſuperiori obtinente, colore externo palleſcente luteo, interno vero citrio ſpecioſe donata, parum amara, acris, nec non ore maſticata adſtringens.

RHABARBARUM MONACHORUM, dicitur, quod à Monachis & Carthuſianis diu pro ſecreto habitum fuerit, quod tandem ſecretum Monachi, qui in Meſuen commentati ſunt, prodiderunt. HIPPOLAPATHUM, RUMEX SATIVUS ET MAJOR, PATIENTIA. Münch⸗Rhabarbara / RHUBARBE DE MOINES.

Lapathum hortenſe latifolium. C. B. Pin. 115. Lapathum majus ſive Rhabarbarum Monachorum. I. B. 985. Hippolapathum ſive Rhabarbarum Monachorum. Dod. Pempt. 648.

Si TRAGO credendum, primum in Hercynia ſylva reperta eſt hæc planta, ac poſtea in Cœnobiis fuit exculta. Vocatque TRAGUS Hippolapathum & Rumicem grandem, ab aliis rumicibus in eo tantum differentem tradens, quod folio & caule magis rubeſcat & procerior ſit, hominis enim proceritatem interdum aſſequitur, caule ſurgens ſtriato rubente, ſuperiora verſus in numeroſos ſacculos diviſo; floribus ſerie longa per totos fere ramos muſcoſis, ſemine ſubſequente anguloſo, folliculis membranaceis circumdato: Folia pedalia & ſesquipedalia lata acuminata, dura, rigida, rubentia, pediculis rubentibus longis appenſa: Colitur jam in hortis Galliæ, Germaniæ, Italiæ &c. Folia Martio, flores Majo, Junioque erumpunt.

LAPA-

Radix hæc eandem fere facultatem purgandi cum vero Rhabarbaro habere creditur, modo in dupla doſi uſurpetur. Scorias enim, loquente TILINGIO, benigne & cum quadam roboratione cum ſucceſſu evacuat. Cum autem conſtet partibus ſubtilioribus, quæ ſunt expurgantes, aliis vero craſſis

& adſtringentibus, juxta modo dicti authoris Rhabarbarologiam, uti poſſumus ſucco expreſſo tanquam laxativo ad ℥ß. ad ℥j. remanentiis autem veluti adſtringente remedio. In vino decocta hæc radix humores bilioſos ſeroſos & pituitoſos expurgat, icteroque medetur. Laudatur quoque hæc radix contrita & ex vino albo pota ad expediendos renes obſtructos & ad calculum pellendum, quin & diebus quandraginta pota contra canis rabidi morſum, ac etiam ſimul vulneri illita prodeſſe fertur. Commendatur quoque decocta in aqua ad cutim ſcabioſam ſanandam. Virtutem cardiacam huic radici tribuit FRANCUS. Hoc verum, quod hoc Rhabarbarum Monachorum nec tam ſincerum nec tam temperatum ſit, ut Rhabarbarum verum, magis quoque adverſo gaudeat ſapore, hinc non niſi in Rhabarbari veri defectu & caritate apud pauperes imprimis uſurpari ſolet.

Doſis in ſubſtantia ad ʒj. ʒij. &c. in infuſis atque decoctis ad ℥ß. & ultra.

PSEVDO RHABARBARVM.

Eſt radix Lapathi hortenſis rotundifolii C. B. Pin. ſurculoſa & longa, cujus ſinguli ſurculi plusquam pollicarem craſſitiem facile aſſequuntur, rugoſi & fibroſi, flaveſcentes intenſe, ſapore amaro.

Quidam

LAPATHUM ROTUNDUM; PSEUDORHA, PSEUDORABARBARUM, LAPATHUM DOMESTICUM ROTUNDIFOLIUM, HYPPOLAPATHUM ROTUNDI FOLIUM, Falſche Rhabarbara mit runden Blättern.

Lapathum folio rotundo Alpinum J. B. 2. 987. Lapathum hortenſe rotundifolium ſive montanum. C. B. Pin. 115. Hippolapathum rotundifolium & Pſeudorha recentiorum. Lob. Icon. 287.

Naſcitur

Naſcitur in Alpium jugis præſertim circa humidiora illa loca, ad quæ armenta æſtivis menſibus aquationis gratia convenire ſolent.

Quidam hanc radicem purgare aſſerunt, ſi ad duplum Rhabarbari exhibeatur. Teſte TILINGIO multi à febribus intermittentibus, hepatis obſtructionibus & ictero mediante hoc Pſeudorhabarbaro curati ſunt.

OXILAPATHUMA.

Eſt Lapathi folio acuto plano C. B. Pin. radix, dodrantalis circiter, craſſitudine digitali, crocea, ſapore amaro.

LAPATHUM ACUTUM, ὀξυλάπαθον, à λαπάζω purgo, acutum, à foliorum forma, RUMEX SYLVESTRIS, Grind-Wurtzel/ Spitzampffer/ Wilder Ampffer/ Wilder Mangolt/ Mangel-Wurtz/ Streiff-Wurtz/ Lenden-Wurtz / Lenden-Krauth/ Buben-Kraut/ Butterweckel-Kraut / quoniam ruſticanæ mulieres noſtrates butyrum, quod in foro vendunt, foliis illius involvunt. PARELLE, PATIENCE.

Lapathum eſt plantæ genus ab Acetoſa ſolo ſapore diverſum. Lapathum enim expers eſt inſignis illius ſaporis acidi.

Lapathum folio acuto plano, C. B. Bin. 115. Lapathum acutum ſive Oxylapathum. I. B. 2, 983. Lapathum ſylveſtre ſive Oxylapathum. Dod. Pempt. 648.

Lapathum folio acuto criſpo. C. B. Pin. 115. Lapathum acutum criſpum, I. B. 2, 988. & Tabern. Icon. 436.

Lapathum minimum, C. B Pin. 115, & Tab. Icon. 437. Lapathum acutum minimum. I. B. 2. 983.

In humidioribus ad aquarum margines, interdum etiam in ipſis aquis, nec minus frequens ad foſſas & ſepes, floret Majo & Junio.

βουβοκάσανον,

Folia ejus nonnihil aceſcunt: radix autem plus ſalis acris & terram continet, facitque rubere papyrum cæruleum.

Siccat, abſtergit, attenuat, aperit, parumque laxat.

Conducunt radices hujus Lapathi decoctæ vel ſeorſim vel cum aliis ſpecificis mixtæ in ictero ſanando. Virtutem habent antiſcorbuticam, celebrantur in hydrope aliisque morbis ab obſtructione oriundis: Laudantur adverſus febres intermittentes, & inſignes dicuntur poſſidere dotes, ad canis rabidi morſum. Non deſtituitur quoque virtute adſtringente unde ad alvi quoque profluvia deprædicatur: Imprimis ejus ſemen ad cochlear dimidium aut unum aſſumptum. Maximopere in ſcabie aliisque affectibus cutaneis tum uſu externo tum interno laudatur, ſanguinem enim egregie purificat. Sola fricatio radicis delet impetiginem. Uſurpatur ad lotiones fotus & linimenta. In ſerpiginibus ſeu herpetibus prodeſt ſi ſubigatur cum aceto. Conducit ad fiſſuras & tumores papillarum. Dicitur quoque hæc radix geſtata prodeſſe adverſus lippitudinem. Odontalgiam ex quacunque cauſa ortam, ex quadam, uti quidam volunt, ſpecifica proprietate tollit radix Lapathi acuti vere collecta ante germinationem, exſiccata & denti dolenti applicata. Sunt qui dicunt, quod Caro quæcunque vetus & dura, ſi cum Lapatho hoc cujuscunque generis coquatur, mollis & tenera evadat. Cæterum ſemen laudatur quoque contra eryſipelas ad ʒj. aſſumptum. Semen ſiniſtro bracchio alligatum ſterilitatem in mulieribus emendare dicitur à MIZALDO: fides ſit penes authorem.

℞. Radices Lapathi acuti recentes in taleolas diſſectas, coquantur cum vel ſine ſtercore gallinaceo, aut in hujus defectu ovillo, ad putrilaginem, ut tantum quendam limum ex iis exprimere liceat, quo ſcabioſæ partes, dum decocto hujus Lapathi abluuntur, ſubinde illinuntur.

℞. Succi Lapathi acuti, Rhabarb. Monach. Rad Chelidon. major ana ʒij. pinguedinis lactis ℥iiij. mixta coque ad ſuccorum fere conſumptionem, tunc Diapompholygos ℥j.

Ceruſſæ

Ceruſſæ ʒij. Aluminis ʒj. thuris ʒß. ſulphur. ℈j. mixta diu multumque agitentur in mortario plumbeo piſtillo ligneo vel plumbeo, quod ſi inter agitandum ſiccius fiat, addantur ſemper pinguedines lactis, ut fiat linimentum mollius conducens in ſcabie aliisque morbis cutaneis.

℞. Rad. Oxylapath. Alth. ana ℥ß. Helen. ʒij. Herb. Ariſtol. Scabios. Nummulariæ, Plantag. ana mß. coquantur ad putrilaginem in S. q. aqu. fluviat: trajiciantur per ſetaceum rarius, addatur dein flor. Sulphur. ℈j. Balſam. Peruv. parum f. l. a. linimentum contra ſcabiem.

℞. Rad. Lapath. acut. Aſpar. ana ℥j. coquantur cum pullo gallinaceo in aquæ q. s. Hauriatur decoctum pro reſerandis obſtructionibus & & roborandis viſceribus.

℞. Rad. Lapath. acut. ℥jv. herb. Urtic. parietar. ana m. ij. Semin. Raphan. ʒij. Cryſtall. ♀r. ʒij. Coquantur in aquæ ℔iß. Decoctum hoc aperiens & diureticum dividatur in tres doſes.

LAPATHUM AQUATICUM.

Eſt radix Lapathi aquatici folio cubitali C. B. Pin. in fibras magis diducta quam radix Oxylapathi, craſſa, foris nigra, intus buxea, cum notabili adſtrictione amaricans.

Radix hæc crocea alvum lenit, icterum diſcutit.

THALICTRUM.

Eſt radix Thalictri magni Dod. fibroſa buxei coloris, ingrati amaricantis ſaporis.

Radix hæc lutea alvum movet ſive in ſubſtantia ſive in decocto. Juxta RAJUM optime ſubſtituitur Rhabarbaro.

Radix

Radix quoque hæc pediculis & atomis ſeu Cirenibus interficiendis additur.

RADICES PARTICULIS DULCIBUS SEU BLANDE VISCOSIS CUM DULCEDINE CONSTANTES,

Bulbocaſtani.
Rapæ.
Rapunculi eſculenti.
Rapunculi ſylveſtris ſpicati.
Siſari.
Ornithogali.
Leucoji bulboſi.
Celery.
Thraſy.
Batatas.
Papas.
Colocaſiæ.
Mandioca.
Yucca.

BULBOCASTANUM.

Eſt radix Bulbocaſtani I. B. tuberoſa, magnitudine nucis juglandis plus minusve, alba, ſolida, guſtu ſubdulci grato.

In

βελβοκάςανον, βαλανοκάςανον, Ανεμόσφορον ἀρκτικὸν quaſi diceres bulbum ad Caſtaneam accedentem, CASTANEA PORCINA, CASTANEA TERRÆ, kleine Erd-Nuß / Schäffernus / Erd-Keſten / Erd-Caſtanien / TERRE NOIX.

Ex planta flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum exiguis, oblongis, nunc lævibus nunc ſtriatis, hinc gibbis, inde vero planis. His notis addenda eſt radix carnoſa & tuberoſa.

Bulbocaſtanum majus folio Apii. C.B Pin.162. Bulbocaſtanum. I.B.3.2.30. Bulbocaſtanon. Dod. Pempt. 334.

Provenit in agris frmuentaceis & vineis in multis Germaniæ locis.

In uſu eſt radix, editur cruda à quibusdam ſed male, ſuavior eſt cocta. Ruſticis vicem ſupplet & panis ſimul & caſei in ſedanda fame. Ob vim ſubadſtringentem ſanguinem ſpuentibus & mingentibus utilis. Virtute quoque aphrodiſiaca gaudere fertur. Semen vi pollet aperitiva.

RAPA.

Eſt radix Rapæ ſativæ C. B. P. carnoſa tuberoſaque, rotunda in ventrem extuberans utplurimum, ſæpe inſignis magnitudinis, quandoque oblonga, candida, ſapore dulci, acri magis minusve vegeto prædita.

Radix

ῥαπὶς, ῥαφὶς, ῥάπον, γογγύλη, rotunda radix. RAPA, RAPUM quaſi Ruapa, quod extra terram ruat, Ruben / RAVE.

Eſt plantæ genus flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, ſeu ſiliquam, ſepto intermedio, cui valvæ utrimque adhæreſcunt, in duo loculamenta diviſam, ſeminibusque fœtam utplurimum ſubrotundis, & in cornu quoddam fungoſum, conſimili ſemine prægnans, plerumque deſinentem. His notis addenda radix carnoſa tuberoſaque.

Rapa ſativa rotunda radice candida, I. B. Pin. 89. Rapum ſativum rotundum I. B. 2. 838. Rapum vulgare. Dod. Pempt. 673.

Rapa ſativa oblonga ſeu fœmina. C. B. Pin. 90. Rapum ſativum oblongum. I. B. 2. 838. Rapum oblongius. Dod. Pempt. 673.

Coluntur in agris pro alimento tum hominum, tum pecudum.

RAPUNCULUS

Radix Rapæ diſcrepat magnitudine, pondere figura & colore, præſertim in ſuperficie externa. Magis eſt culinaris quam Medica. Dulces Rapæ, ſi probe fuerint cum carnibus coctæ, nulla congenerum plantarum minus alunt; ſuccum vero in corpus diſtribuunt mediocri craſſiorem, inflationem pariunt, lac & ſemen augent, ſtimulos injiciunt venereos, urinam pellunt, fauces & pectus leniunt, deſcendunt cito, alvumque reddunt facilem. Viſum quoque roborare dicuntur. Hinc ita canunt SALERNITANI.

Radix Rapæ bona eſt, commedenti dat tria dona,
Viſum clarificat, ventrem mollit, bene bombit.

Crudæ ſunt concoctu difficiles, ſtomacho noxiæ, flatulentæ, tormina ventris efficiunt non crudæ modo ſed & non bene coctæ. Hinc SALERNITANI rurſus

Rapa juvat ſtomachum, novit producere ventum,
Provocat urinam, præſtatque in ventre ruinam,
Si mala cocta datur, tibi torſio ſic generatur.

Item de vi flatulenda dicunt:

Ventum ſæpe rapis, ſi tu vis vivere rapis,

Rapæ habent ſuccum dulcem nitroſum, unde demulcent & ab-

abſtergunt, unde etiam ſuccus & decoctum raparum in tuſſi & bronchiorum aſperitate præſertim cum ſaccharo prodeſt. Decoctum raparum cum paſſulis & caricis hoc in caſu conducit. Optima præparatio, ut ETTMULLERUS vult, pro ſcopo pectoris anticatarrhali eſt, ſi recipiantur rapæ & decoquantur ad mollitem, aqua hujus decoctionis abjiciatur, & alia affundatur, & de novo exacte coquatur. Decoctum hoc paucis paſſulis vel harum rob aut pauco ſaccharo cando edulcoratum egregium eſt remedium pectorale & urinarium. Tanquam medicamentum domeſticum raporum decoctum commendatur in malo hypochondriaco. Valet etiam in febre quartana & ſcorbuto. Raporum decoctum tam crudarum quam prius aſſatarum copioſius hauſtum laudatur in ileo & ſtranguria. Rapæ à quibusdam ſolent condiri ut Braſſica.

Externe in pernionibus decoctum raporum tam recentium, quam exſiccatorum vel frigore antea conglaciatorum laudatur. Alii nude recipiunt rapa & cocta in aqua ſimplici cataplaſmatis inſtar applicant. Alii rapam frigore conglaciatam imponunt pernionibus. In pernionibus exulceratis fit eluitio cum decocto raparum & poſtea unguentum tutiæ imponitur, Alii recipiunt rapam & excavatæ infundunt olei roſarum & terebinthinæ ana q. s. & hæc invicem coquunt, vel ebullire ſinunt, & tali unguento partes a frigore læſas inungunt. Rapæ etiam contra dolores dentium valent, ſi aſſatæ poſt aures applicentur. In aphthis multum valet ſolum Raporum juſculum ſaccharo edulcoratum. Rapum extrinſecus adhibetur in ulceribus crurum, ut & in mammarum tumoribus, in tumoribus ſcrophuloſis & ſcorbuticis. In lacte decoctæ rapæ doloribus podagricis medentur. Succus laudatur ad ambuſta. Ingrediuntur rapæ quoque pediluvia in tuſſi ferina & imprimis ſemicupia in nephritide & calculo.

℞. Rad. Rap. Rad. Raphan. hortens. ana N° I. terantur in mortario, addatur farin. Sinapi ℥j. pulv. caryophyll. ℥iij. 🜊 ſemin. lin. 🜊 jugland. ana q. s. Remedium eſt in pernionibus gangrænam & ſphacelum minitantibus.

℞. Axung. porcin. ℥ij. 🜊 Chamom. Rut. roſar. violar. ana ℥j. 🜊 tritic. expreſſ. Urin. ana ℥ß. Oeſip. ſev. cervin. ana ʒiij. Ciner. cancr. fluviat. Oliban. ana ʒij. Mucil. rad. althææ, ſem. Lin. fœnu græc. ana ʒvj. Succ. Rapar. expreſſ. ℥viij. Mixta bulliant ad humiditatis conſumptionem & cum cera citrina f. l. a. unguentum, cui circa finem immiſce vitell. ovor. N.° iij.

Unguentum hoc de Rapis Mynſichtianum ſciſſuras, ulcera apoſtemata, quæ ſunt aperta, manuum, pedum & aliorum membrorum à frigore corroſivo facta curat. Quotidie autem bis vel ter locus affectus eſt inungendus.

℞. Rapar. excorticat. tenuiſſ. incis. ℔iij. Sacch. optim. pulver. ℔j. f. S. S. S. in fictili vaſe, ſtent in frigido ſimul cum pondere ſuperpoſito per hor. 12. f. colatura, ſumatur per cochlearia in tuſſi.

RAPUNCULUS ESCULENTUS.

Eſt Rapunculi eſculenti flore cœruleo C. B. Pin. radix, minimi fere digiti craſſitudine, alba, dulcis.

In

RAPUNCULUS, RAPUNCULUM, quaſi parvum Rapum, Rapunzel/ RAPONCE, REPONCE.

Eſt ſpecies Campanulæ, & quidem

Campanula radice eſculenta flore cæruleo. H. L. Bat. Rapunculus eſculentus. C. B. Pin. 92. Rapunculus vulgaris campanulatus. I. B. 2. 795. Rapunculum. Dod. Pempt. 165.

In aggeribus foſſarum, inque arvis non cultis naſcitur, in hortis etiam

etiam ad acetatiorum uſum ſeritur & colitur, ut grandior evadat. Floret æſtate.

Ineunte vere radix vel cruda vel elixata modice delibratur, & cum oleo ſale & aceto aptatur in acetaria. Hoc edulium, ut SEBIZIUS loquitur, appetitum excitat, ſtomachum juvat, urinam ciet, nutricibus copiam lactis gignit. Cum longo præſertim Pipere devorata lactis ubertatem facere perhibetur.

RAPUNCULUS SPICATUS.

Eſt radix Rapunculi ſpicati C. B. Pin. forma & ſapore ſimilis radici Rapunculi eſculenti.

RAPUNCULUS ALOPECUROIDES, Wald-Rapunzel. RAIPONCE SAUVAGE.

Eſt planta flore monopetalo quidem & ad campanæ formam accedente, ſed ita patente & inciſo, ut ſtellatus videatur. Piſtillum plerumque bicorne eſt, calyx vero deinde abit in fructum in tria loculamenta diviſum, & ſeminibus fœtum exiguis utplurimum.

Rapunculus ſpicatus, C. B. Pin. 92. Rapunculus ſpicatus ſive comoſus cæruleus, I. B. 2, 809. Rapunculum Alopecuron, Dod. Pempt. 165.

In montibus, alſioſis pratis convallibusque nemoroſis provenit. Junio ſpica viget.

σίσαρον,

Uſurpatur hæc radix ut Rapunculus eſculentus.

SISARUM.

Sunt Radices Siſari Germanorum C. B. Pin. ex unō capite plures pendulæ, glanduloſæ, teneræ & fragiles, rugoſæ, cortice tenui pallidoque obductæ, pulpa candida, digi-

tali craſſitudine, pedales quædam, quædam breviores multo, dulci & grato ſapore nonnihil aromatico.

σίσαρον, Siſer, Siſarum Germanorum, Gierlin/ Zuckerrüblin/ Klingelrüblin/ Klingelmöhren/Zuckermöhrlin/Zuckerwurtzel/ zahme Garten-Rapuntzel/ CHERUI.

Eſt planta flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis, & calyci inſidentibus. Is abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum anguſtis, hinc gibbis & ſtriatis inde vero planis. His notis addendæ ſunt radices napiformes ab uno capite pendentes.

Siſarum Germanorum. C. B. Pin. 155. Siſarum multis. I. B. 3. Part. 2. 153. Siſarum. Dod. Pempt. 681.

Colitur in hortis hæc planta.

Radices magis ſunt culinares. Coquuntur vel per ſe, vel cum carnibus, vel cum lacte, vel in acetaria recipiuntur, vel friguntur in butyro. Dulces ſunt eſui idoneæ, ut SEBIZIUS loquitur, orique ſuaviſſimæ; facile coquuntur, alunt mediocriter, non ſunt mali ſucci neque enim tarde deſcendunt. Obtinent aliquid flatulenti & ad Venereum actum impellunt. Virtute gaudent diuretica. Lac augent, & ſpecificum Mercurii vivi antidotum eſſe perhibentur.

ORNITHOGALUM.

Eſt radix Ornithogali lutei C. B. Pin. bulboſa, alba, guſtu viſcoſo & ſubdulci non amaro, & adſtringente.

Orni-

De nomine ita ratiocinatur LAUREMBERGIUS. Ὀρνιθόγαλον, ſi vocis compoſitionem ſpectes, ſonat Lac Gallinæ aut Lac avis. Etymologiæ rationem ego me non intelligere fateor. Solent quidam homines lautiſſima ſorte fruentes Lac Gallinæ ſibi polliceri, ſed figurata loquendi licentia. Quid revera flos hic cum lacte aut cum gallina

na commune habeat, præter nudum nomen, nondum repeꝛio. Si quis per jocum alicui daturum ſe ſtipularetur Lac Gallinæ, poſſet hanc plantam ex horto aut agris peritam proferre & offerre. MARCELLUS putat colorem candidum floris lacti æmulum, ei appellationi anſam dediſſe. Verum neque flos Ornithogali lactei eſt candoris, quippe foris viridis intus quadantenus albus: neque omne Ornithogalum lacteis, ſed, quod apud nos frequentiſſimum eſt, luteis floribus exornatur. Hactenus LAUREMBERGIUS. Vocatur alias Bulbus agreſtis, Bulbus ſylveſtris, βολβὸς ἐδώδιμος, BULBUS ESCULENTUS, EDULIS, BULBUS LEUCANTHEMUS, CEPA STELLATA, CEPA AGRARIA, Geele Feld-Zwiebel / Acker-Zwiebel/ Wild-Zwiebel. OIGNON CHAMPESTRE OU SAUVAGE.

Eſt plantæ genus flore liliaceo, ex petalis ſex in orbem poſitis compoſito, quorum meditullium occupat piſtillum, quod deinde abit in fructum ſubrotundum, in tria loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum ſubrotundis. His notis addenda eſt radix bulboſa aut tuberoſa, qua differt à Phalangio.

E ſpeciebus Ornithogali plurimis, hic intelligitur,

Ornithogalum luteum. C. B. Pin. 71. Bulbus Sylveſtris Fuchſii, flore luteo, ſive Ornithogalum luteum. I. B. 2. 623. Bulbus ſylveſtris. Dod. Pempt. 222.

Provenit ad agrorum & ſylvarum cæduarum margines. In agris etiam frumentariis reperitur, floret vere & brevi exareſcit.

LEUCO-

Ornithogali radicis uſus, juxta ſupra citatum authorem, eſt inter fercula & in arte culinaria præcipuus. Ad panum materiam à quibusdam aſſumitur. Paratur exinde ſapidiſſimum acetarium. Bulbuli coquuntur in aqua, detracta cuticula apponuntur cum pipere, aceto, oleo, Sale. Bulbos hos pori impenſe expetunt, neque facile ſe abigi patiuntur ab agris, in quibus eorum proventus. Imponitur hæc radix recentibus vulneribus, utilis eſt ad ulcera manantia & depaſcentia. Infantibus quoque lactantibus convulſione laborantibus commendatur in lacte.

LEUCOJUM

LEUCOJUM BULBOSUM.

Eſt radix Leucoji bulboſi vulgaris C. B. Pin. ſeu bulbus multis candidis tunicis (extima tamen fuſca) conſtans, ſapore viſcido, acrimonia vix notabili.

Leucojon, λευκόϊον, quaſi dicas λευκὸν ἴον albam violam. Dicitur quoque Leucojum Bulbosum, Narcisso Leucojum, quaſi planta ad Leucojum & Narciſſum accedens, Viola Alba, Hornungs-Blumen/ Schnee-Tröpfflein/ Schnee-Violen/ St. Dorothea-Blumen/ Perce Nege.

Eſt plantæ genus flore Liliaceo, ex petalis ſex, nunc æqualibus, nunc inæqualibus, compoſito, & veluti campaniformi pendulo. Hujus autem calyx abit deinde in fructum ſubrotundum, in tria loculamenta diviſum, ſeminibusque foetum etiam ſubrotundis. His notis addenda eſt radix bulboſa.

Narciſſo Leucojum vulgare. Tourn. I. R. H. cl. 9. S. 5. g. 2. Leucojum bulboſum vulgare. C. B. Pin. 55. Leucojum bulboſum hexaphyllon cum unico flore rarius bino. I. B. 2. 590. Leucojum hexaphyllon. Dod. Pempt. 230. Hornungs-Blum.

&

Narciſſo Leucojum trifolium minus. Tourn. loc. cit. Leucoiium bulboſum trifolium minus. C. B. Pin. 56. Leucojum bulboſum minus triphyllon. I. B. 2. 591. Leucojum bulboſum triphyllon. Dod. Pempt. 230. Schnee-Tröpfflein. Coluntur in hortis. Sponte proveniunt in quorumdam montium pratis humidioribus & ſilvis. Florent Februario.

Apium

Radix hujus plantæ laudatur pro ſcopo emolliendi digerendi atque reſolvendi. In vino decocta vel in cereviſia laudatur ad febres. Flores commendantur ad cataractam, ſi exinde aqua deſtilletur, quæ aqua etiam laudatur in lentiginibus. Flores hi etiam, dicente SCHWENCKFELDT, in vino decocti propinantur adverſus laterum dolores.

CELERY.

CELERY.

Eſt radix Selini ſive Apii dulcis, aut Celery, longa nunc, nunc tuberoſa, quandoque inſtar rapi magna, albicans, ſaporis ſubdulcis & acris, odoris fragrantis aromatici.

Celery

APIUM PALUSTRE IN HORTIS CULTUM, CELERY ITALORUM, APIUM DULCE, Selery/ Zelery. CELERY.

Ad Apium pertinere nullum quidem eſt dubium, attamen quale ſit, inter ſe non concordant ſcriptores. Plurimi tum Galli tum Germani tum Angli &c. putant Scerely ſive Celeri non eſſe niſi Apium paluſtre in hortos translatum, diligenti cultura mitius minusque ingratum redditum. PARCKINSONIUS pro nova ſpecie proponit Seleni ſive Apii dulcis titulo, cujus tamen ſententiæ, RAJUS inquit, non accedo, quoniam Apium dulce ſive Celery in hortis noſtris ſatum & cultum poſt aliquot annos in vulgare Paludapium degenerat. Sed his ſimilibusque aſſertis non obſtantibus, cum plures dentur Celery ſpecies, eas ab Apio paluſtri, præter unam, eſſe diverſas mihi perſuadeo. Habemus nempe,

Apium hortenſe latifolium. C. B. Pin. 153. Apium hortenſe maximum. C. B. Prodr. 81. Apium hortenſe magnum, vulgari hortenſi ſive Petroſelino ſapore idem ſive Anglicanum quibusdam. I. B. 2. 99. Stangen-Zelery/ Welſcher Zelery.

Apium paluſtre, & Apium officinarum in hortis cultum. Apium vulgare cultum. Wurtzel-Zelery.

Apium tuberoſa & nodoſa radice, Selinum tuberoſum. I. B. 3. 2. 101. Apium dulce Celery Italorum. H. R. Par. Selinum ſive Apium dulce Parck. Theatr. 925. Knollen-Zelery/Ruben-Zelery/Köhlruben-Zelery.

Apium folio Petroſelini. Selery mit Peterſilien-Blättern/Peterſilein-Zelery.

Mihi certe ob diverſam radicum formam videtur non eſſe unam tantummodo ſpeciem, licet ad unicum pertineant genus. Prima & tertia ſpecies ſunt nobiliores & guſtu magis abblandientes, unde utplurimum in acetaria præ reliquis recipiuntur. Secunda & quarta ſpecies

cies coctioni magis inſerviunt,& quoniam pluribus radicibus gaudent, à plebe præferuntur. Ex hiſce ni fallor ſatis apparet, Authores præjudicio fuiſſe occupatos.

Celery in uſum alimentarem atque Medicum cedit. Comeditur radix cum caule interiore dem Hertzſchoß. Uſurpatur autem Celery vel crudum vel coctum, imprimis per culturam dealbatum. Lavatur aqua & in patinam imponitur, apponiturque intinctus ex pipere ſale & oleo olivarum. A quibusdam coquitur in aqua ſicut turiones aſparagi, & poſtmodum ſuperfunditur oleum & acetum ſal atque piper. Cum carnibus quoque variis, Gallinarum vel aliorum animalium, coquitur ad majorem conciliandam gratiam. Cæterum virtutibus correſpondet cum apio atque Petroſelino, ſed magis aromaticum eſt & virtute aphrodiſiaca inſigni gaudet. SIMON PAULI ejus uſum nimium diſſuadet, præſertim iis, qui calculo atque Epilepſiæ ſunt obnoxii.

THRASI.

Sunt bulbuli Thraſi I. B. Cyperi modo circularibus zonis præcincti, parvam æquantes avellanam, candida, dulci, compacta, veſca carne, ex radicum fibris penduli.

Na-

THRASI VERONENSIUM, quoniam in agro Veronenſium in Italia naſcitur, audit: appellaturquoque DULCICHINUM, DULCINIUM, CYPERUS ESCULENTUS ANGUSTIFOLIUS, JUNCUS AVELLANA, σχοινοκάρυον, MARGARITA ÆGYPTIA, GRAMEN AMYGDALINUM, Süſſer Wilder Galgan/ Arabiſche oder Indianiſche Zucker-Wurtzlen.

Eſt ſpecies Cyperi & quidem

Cyperus rotundus eſculentus, anguſtifolius. C. B. Pin. 14. Dulcichinum, Dod. Pempt. 340. Traſi. I. B. 2. 504.

Pro-

Provenit uti dictum circa Veronam, reperitur tamen etiam in Hiſpania, Ægypto &c.

BA-

Natura tuberculorum horum, uti LAUREMBERGIUS diſſerit, humectans eſt & calefaciens, habentque id commune cum omnibus fere tuberoſis & bulboſis, ut ſint flatulenta aliquatenus. Uſus eorum partim in cibo, partim in medicaminibus. Venetiis, Veronæ, locisque accolis inter bellaria & menſas ſecundas Dulcinia apponuntur cruda. Maſticantur & ſugendo elicitur ſuccus: pellis cum reliqua duriori ſubſtantia abjicitur, quæ nimis tenax & eſui prorſus inepta. Paratur exinde egregium irritamentum ad venerem, dum tubercula elixata piſtaque in mortario cum aqua Erucæ aut juſculo galli exprimuntur, donec reddant lac aut ptiſanam. In eum finem communis plebecula Veronæ, Paduæ, Venetiis & alibi, plenos cophinos quotidie venum exponit.

Præterquam autem, quod emulſio è nucleis Thraſi parata emaciatis & elumbibus vires reſtaurat, etiam nobile remedium præſtat adverſus Thoracis affectus, aſthmata, tuſſes itemque dolores laterum. Imprimis vero commendabilis eſt ad tollendum urinæ ardorem, nec non ignem ſacrum & eyſipelata. Enimvero acredinem & fervorem ſanguinis humorumque cæterorum mitigat. Cremor ſeu ptiſana ita paratur. Contunduntur probe tubercula in mortario, additis pauculis granis ſeminum melonum, affunditur juſculum galli aut pullorum & piſtillo ſufficienter comminuuntur omnia, poſt exprimitur ſuccus & cum momento ſacchari fit emulſio, utiliſſima emaciatis, tuſſientibus, pleuriticis, ardore urinæ laborantibus & eryſipelate.

Cruda tubercula maſticata, & poſt ore aliquandiu retenta, ſiſtunt humores acres è cerebro profluentes in pectus.

BATATAS.

Sunt Tubera glanduloſa radicis Americanæ, utplurimum oblonga, ſpithamam quandoque æquantia, grandis raphani aut rapi nonnumquam craſſitudine, filamentis nonnullis tanquam murium caudis inſtructa, colore ruffo aut albo.

Batata, Batatas, Camotes Amotes, Ajes, in America & Hiſpania vocantur, Glandes Terrestres Malacenses a Malaga provincia, in qua copioſus earum proventus, etiam nuncupantur.

à Rajo ad Convolvulos refertur, licet herba cucumeris aſinini faciem fere præ ſe ferat, & vocatur;

Convolvulus Indicus Batatas dictus Raj. Hiſt. 728. Batatas Camotes Hiſpanorum Cluſii. C. B. Pin. 71. Siſarum Peruvianum ſeu Battata Hiſpanorum Gerard.

Sponte naſcitur in America, unde in Hiſpaniam primo, deinde in alias Europæ regiones delata eſt.

Solanum

De uſu harum glandium terreſtrium ita loquitur LAUREMBERGIUS. Glandes Malacenſes cibum præbent multi nutrimenti, mediæque velut ſubſtantiæ & bonitatis inter fructus & carnes. Flatuum quidem origini occaſionem præbent, ſed id vitium corrigitur coctione & vini meracioris hauſtu.

Coquendi eas & præparandi eadem eſt ratio, quæ Adenum Canadenſium. Elixantur aut aſſantur calidis cineribus, detractaque pelle eſitantur cum juſculo vervecum, caponum &c. aut cum vino, aqua roſacea & ſaccharo: aut cum oleo, aceto, ſale, pipere &c. aut cum Damaſcenis in vino coquuntur.

Poſſunt ex iiſdem parari conſervæ, morſelli, placentulæ, aliaque tragemata gratiſſimi ſaporis, Cydoniorum carni

ni præparatæ nil cedentia. Breviter fundamentum præbent glandes Malacenſes omnis generis eduliis & pharmacis adparatis, uti loquitur ſupra dictus author.

Batata recens contuſa & affuſa paucula aqua macerata fermentando fit potus, quo utuntur Americani.

PAPAS.

Eſt radix Solani tuberoſi eſculenti. C. B. Pr. tuberoſa, aliquando pugni magnitudine, aliquando oblonga, aliquando minima, rarius ſingularis membri virilis forma, inæqualis, quibusdam veſtigiis donata, unde germina anno inſequenti emerſura ſunt, cute fuſca aut atrorubente tecta, medulla ſive carne firma & alba.

SOLANUM TUBEROSUM à radicis forma, PAPAS AMERICANUM PERUVIANUM, ADENES VIRGINIANÆ HALICACABUS GLANDIFER, TARTUFOLI quorundam, Papas von America, Grůbling=Baum/ Tartuffel=Baum.

Eſt ſpecies Solani vocaturque.

Solanum tuberoſum eſculentum, C. B. Pin. 167. Prodr. 89. Papas Americanum. I. B. 3. 621.

In America præſertim ejus provincia Virginia provenit, colitur apud nos in hortis.

Planta

De Tuberibus hujus radicis filamentis adnaſcentibus ita diſſerit LAUREMBERGIUS: quicquid de viribus Adenum Canadenſium annotatum, id æque adenibus Virginianis convenit. Coquuntur eodem ritu. Eſitantur ad voluptatem, ad vires reparandas, ad venerem concitandam. Indi, ut habet C. BAUHINUS, radicibus his panis loco utuntur, quem Chunno vocant, radicem ſcilicet evulſam ſolique expoſitam ſic-

ſiccant, ſiccatam in partes diffringunt, ex quibus edulium Chunno nuncupatum admodum diu durans conficiunt.

COLOCASIA.

Eſt Culcas ſive Colocaſſia Proſp. Alpin. radix magna, craſſa, Chinæ radicibus ſimilis, ſapore ſubamaro, acri cum aliqua viſcoſitate, quæ cocta dulceſcit.

Planta hujus radicis ad Arum refertur: eſt nempe,

Arum maximum Ægyptiacum quod vulgo Colocaſia. C. B. Pin. 193. Colocaſias I. B. 2. 790, & Clus. Hiſt. LXXV. Culcas, Faba Ægyptia Proſp. Alpin. de plant. Ægypt. c. 33.

Provenit in Ægypto, apud nos colitur in hortis. Apinus aliique putant hanc plantam florem non edere. Hoc certum, quod in hortis, in quibus colitur, non floreat.

Vocatur

Ægyptiis & maxime nota & maxime in uſu eſt hæc planta, quando omnes radices hujus plantæ in jure coctas atque aliis multis modis in cibis paratas continuo eſitant, non ſecus quam noſtri rapas, hinc etiam coluntur in agris. Eas autem tum crudas tum coctas libentiſſime Veneri indulgentes mandunt, tum quia putant ſemen multum gignere, tum libidinem prævalide movere.

MANDIOCA.

Eſt radix Americana Rapi magnitudine, aut ſi anni terræque temperies ſicca fuerit, ſeſquipedem quandoque vel duos interdum etiam tres pedes longa, craſſitiem habens bracchii, vel etiam cruris humani, quando ſatis adoleverit,

rubens

rubens & lactefcens, quæ in farinam redacta & in panem coacta, cum optimo pane ſimilagineo certat.

Planta hujus radicis

Vocatur planta Manihot, Mandioca, Yucca, Cassavi, Mamiiba & Manduba Brasiliensibus, cujus radix Mandihoca.

Juxta Tournefortium & Plumerium Manihot eſt planta flore monopetalo, campaniformi, plerumque patente multifido, cujus piſtillum deinde abit in fructum ſubrotundum, tribus capſulis fœtum ſimul junctis oblongis, quæ ſingulæ nucleum condunt oblongum.

Manihot Theveti Juca & Caſſavi, I. B 2.794. Ricinus minor obtuſo folio caule verrucoſo, flore pentapetalo albido, ex cujus radice tuberoſa, ſucco venenato turgida, Americani panem conficiunt, Sloane Cat. Plant. Jamaïc. 41. Manihot Indorum ſive Yucca foliis Cannabinis. C. B. Pin. 90. Plucken. Phytogr. Tab. XXV. fig. 1.

Plures dantur ejus ſpecies. Omnium autem, ut PISO docet, ſtirpium radicibus & caulibus ſolum Mandihocæ nomen inditum & alimentoſis, medicamentoſis venenatisque qualitatibus, licet impari inter ſe gradu, pollent.

Refertur

E terra evulſæ radices vix per triduum durant etiamſi fideliter horreis recondantur. Mundatæ & à cortice, quem tenuiſſimum habent, liberatæ, molæ truſatili a duobus hominibus circumactæ admoventur, ferrique cuſpide conteruntur, & contuſarum radicum farinam excipit alveus. Raſura deinceps torculari vel prelo ſubjicitur, quo magna vi humor ille ſuperfluus & noxius exprimitur, ut ſicca atque absque ulla humiditate maneat. Mox cribro Urepeba dicto percolatur. Exinde plane facto fictili aut æneo injicitur, in quo ſubſtructo igne circumagitatur tantiſper, donec coquatur. Semicocta vero & adhuc mollis eſculenta eſt, & vocatur Farinha relada, quod eſt farina cocta non exſiccata.

Reli-

Reliquum quod ſupereſt & reſervare volunt ſupra majorem vel minorem ignem pro arbitrio miſcent atque exacte ſiccant. Farina enim hæc quo plus exſiccata & excoxta, eo durabilior eſt. Optime tamen ſiccata & fideliter ab aëre defenſa ultra annum vix ſervari poteſt, nam ſi vel leviſſima uligo eam infecerit, corrumpitur, unde non parvam militum ſtragem in caſtris excitatam vidit GUILELMUS PISO, ex quo hæc deſumta. Quapropter, ut pergit modo dictus author, noſtri, Barbaros imitati, eam in bolos, quos vocant Bejus, paſtillos & liba cogunt ſuperque craticulas modico igne induratam in penu aliquandiu recondunt.

Ex hoc frutice expreſſo manat liquor Maxipuera Barbaris dictus, qui vaſi infuſus poſt duas horas fundo adhæreſcit, ex quo alia fit farina melior priori ac majori affluentia floris, quam cremorem de Tipioca vocant. Ex aqua farinæ in fundo ſubſidente bolos quoque conficiunt Tipioceto dictos optimi ſaporis. Tum gummi quoddam ſeu potius Amylum ex ea fit, atque eidem uſui inſervit. Hic liquor Manipuera, quod dulcis ſit ſaporis ab animalibus avidiſſime hauſtus vi quadam venenata ea ſtatim extinguit, ex radice tamen non expreſſus (quod mirum) cætera animantia excepto homine nutrit. Præterea radice à ſole exſiccata alia fit farina & pollen albicans, imo & panis ſimilagineus & biſcoctus, qualis è tritico (cui & ſimillimus eſt) pinſitur. Hoc alimentum integrum & non comminutum pro jumentis & pecoribus, quibus in pabulum cedit, reſervatur.

Porro radix hæc quatuor aut quinque dierum ſpatio in aqua macerata, & emollita, Mandiopila dicitur, quæ aſſata maxime ab agreſtiori Indorum & Barbarorum multitudine expetitur & manducatur.

Parant porro ex hac farina pultes, emulſiones, atque ptiſanas ſanis & ægris ſaluberrimas. Tabidis, dyſentericis,

febrici-

febricitantibus, animo deficientibus, veneno infectis, ad vires ex violento exercitio fractas reſtituendas, ſudores immodicos compeſcendos utiles. Quascunque etiam hæmorrhagias mitigant. Mandioca raſa vulneribus & ulceribus antiquis impoſita ea mundificat atque attemperat.

Notant, quod ſuccus hic è radice expreſſus omnibus animalibus venenum ſit præſentaneum, poſtquam tamen 24. horas ſteterit, qualitatem ſuam malignam deponat & amittat. Notant porro quidam quod Mandihoca, in terra firma prognata, non ſit venenoſa, uti illa, quæ in inſulis provenit.

Panis, qui exinde conficitur, Gallis dicitur CASSAVI, CASSAVE, pain de MADAGASCAR. PISO dicit, quod raro aut pauco utantur Braſiliani potu inter prandendum, quod farina hæc aquam nimis imbibat & ſtomachum inflet. LEMERY vero refert, panem hunc cauſari ſtrangulationem in faucibus, unde ſemper debeat humectari juſculo aut aqua.

YUCCA.

Ex radix Juccæ glorioſæ, craſſa, tuberoſa, grandis, ſucceſſu temporis in multa capita protuberans, intus candida, foris rufa, rapi ſubſtantia, ſed duriore, ſucciplena, ſapore ſubdulci.

Refertur à RAJO ad herbas bulboſis affines.
Yucca foliis Aloes. C. B. Pin. 91. Yucca nova glorioſe elata & opinata planta Lob. advers. part. alt.

RAPUM

De hac radice RAJUS ita diſſerit. Nullius in Medicina uſus imo venenata eſſe dicitur, ſed perperam; cum non ſolum ad vitæ ſuſtentationem conducat, ſed etiam ex radice

in farinam comminuta panis eſculentus conficiatur. Radix inſuper ſine omni injuria, imo cum commodo comeditur absque ulla ejus præparatione. Dr. PALMER ex dictatis HERMANNI. Non eſt autem hæc planta ex cujus radice panis in America uſitatiſſimus Caſſavi dictus ſit, ut nonnulli per errorem crediderunt.

RADICES AQUOSIS CRASSIS SEU MUCILAGINOSIS CONSTANTES.

Acanthi.
Betæ rubræ.
Craſſulæ majoris.
Martagonis ſeu Lilii montani floribus reflexis.
Arundinis.
Squammariæ.

ACANTHUS.

Eſt radix Acanthi ſativi Dod. foris nigra, intus albicans, ſaporis glutinoſi viſcidi.

Succus hujus radicis commendatur ad ambuſta, ipſaque radix præbet podagricis ſolatium cum furfure in vino cocta; exinde quoque paratur annulus pro amuleto in peſte.

BETA RUBRA.

Eſt radix Betæ rubræ radice Rapæ, C. B. Pin. craſſa, ventricoſa, interdum Napi inſtar, interdum productior, intus foriſque ſaturo ſanguineo colore infecta, ſaporis grati.

Rapum

RAPUM RUBRUM, rothe Rüben/ Betterave.

Beta rubra radice, Rapæ. C. B. Pin. 118. Beta radice rubra craſſa, I. B. 2. 961. Rapum rubrum, Fuchſii.

Colitur in hortis, & in uſum ſuppeditat radicem.

Rapum Betæ rubræ, ut SEBIZIUS loquitur, in aqua elixatur aut aſſatur ſub cineribus, delibratur, ſecatur in taleolas, conjicitur in acetum, & (quandoque) cum coriandro & raphano Ruſticano conditur, condimentique inſtar cum carnibus manditur: conditæ etiam hæ radices cum Butyro frixæ non ingratum quoque conſtituunt ferculum. Licet autem magis culinaris ſit hæc radix, attamen ſuccus ejus ſternutationem ciet & mucum prolicit. Sunt qui dicunt aquam deſtillatam ex hac radice, refrigerare & in dyſenteria conducere. SCHWENCKFELDT aſſerit, quod hæc radix, deraſo cortice, ano glandis modo ſuppoſita, alvum ad excrementorum expulſionem invitet, præſertim exiguo ſale aſperſa.

CRASSULA MAJOR.

Eſt radix Telephii vulgaris, C. B. Pin. tuberculis glanduloſis ſtrumoſa, nullo nec ſapore nec odore excellens.

Radix

ἀνακάμψερος, ANACAMPSEROS, quod Veneficæ olim πρὸς τὸ ἀνακάμπτειν τὸν ἔρωτα, iſt eſt ad amorem revocandum ea utebantur FABA INVERSA dicitur, quia radix ima innummeris tuberibus ſcatet, quæ ſabarum implent magnitudinem. TELEPHIUM à Telepho Rege Miſorum, qui vulnus ab Achille inflictum hac planta ſanavit. HERBA St. JOHANNIS, SCROPHULARIA, HERBA CRASSULA, CRASSULA MAJOR, à foliis. Bruchwurtz/ quoniam adverſus hernias uſurpatur. A ſanandi facultate vocatur Wundkraut/ à radicum forma, Zumpenkraut/ Fotzwein / Fotzzwang/ quoniam genitalia adſtringit & eorum ulcera curat, A ſimi-

militudine foliorum, Bohnenblatt/ Fette Henne/ Donnerbohnen/ ORPIN, REPRISE, JOUBARBE DES VIGNES, GRASETTE, FEVE EPAISSE.

Eſt plantæ genus flore & fructu Sedi, à quo differt ex ſententia RAJI, quod a prima ſtatim germinatione excauleſcat, cum folia ſedi in globulos oculi bovilli æmulos congerantur.

Anacampſeros vulgo Faba craſſa. I. B. 3. 681. Telephium vulgare. C. B. Pin. 287. Telephium alterum ſive Craſſula. Dod. Pempt. 130.

Anacampſeros purpurea. I. B. 3. 682. Telephium purpureum majus. C. B. P. 287. Telephium floribus purpureis. Lob. Icon 389. Naſcitur locis umbroſis.

LILIUM

Radix hæc vulneraria gaudet virtute inſigni, easdemque cum foliis vires poſſidet. Contuſa, modice cocta tumores ſuppurat. Per curam transplantatoriam herniæ inguinali affricta & denuo ad creſcendum terræ commiſſa, culta & ab injuriis præſervata illam in pueris ſanat. Alii dicunt, quod puer httherniosus debeat in hortum deduci, & inter pedes ejus Telephium plantari, ſic enim, dum creſcit hoc, decreſcere herniam autumant.

Radix Telephii recens appenſa, aut ſaltem aliquot ejus nodi, prout nodi plures vel pauciores in ano protuberant, cum filo in dorſo inter ſcapulas, hæmorrhoidum dolores illico levat, ſimulque cum marceſcente radice tabeſcit & evaneſcit omne tuberculum. WEDELIUS hocce amuletum multis præconiis celebrat. Nos, inquit RAJUS, ut non negamus Amuletis aliquamvim ineſſe poſſe, ita iis non multum fidimus.

MARTAGON.

Eſt radix Lilii montani floribus reflexis C. B. Pin. bulboſa, ex

ex ſquamis acuminatis luteis compactilis, ſubdulci & viſcido ſapore, nauſeam movente, odoris ingrati.

LILIUM SYLVESTRE, MARTAGON CHYMISTARUM & VULGI, LILIUM INTORTUM, HEMEROCALLIS, quaſi unum diem ſervans florem, quæ tamen proprietas ipſi non competit. CYMBALUM a LAUREMBERGIO nuncupatur à figura. Lilien von Calvarien/ Goldwurtz/ Türckiſcher Bund.

Pertinet ad Lilium.

Ex pluribus ſpeciebus frequentior eſt,

Lilium floribus reflexis montanum flore rubente, C. B. Pin. 77. Lilium flore nutante ferrugineo majus & minus. I, B, 2. 692. Lilium ſylveſtre. Dod. Pempt. 201.

Amat montoſa herbida, colles & prata. In noſtra Alſatia in monte, vallis, a Petra nomen habentis, altiſſimo copioſe reperitur, ſponte naſcens. Colitur in hortis, floret Julio.

ARUNDO

In Medicina easdem virtutes nonnulli Martagoni, ut cum LAUREMBERGIO loquar, adſcribunt, quas Lilio albo. Sunt, qui aſſeverant radices intus ſumptas expellere urinam usque ad ſanguinem. Menſes quoque promovet. Ictero ſubvenit tum interne in potu, tum externe pro amuleto. Impoſita hæc radix œdemata & durities emollit atque maturat. Lixivio capillos flavos reddit, & defluentes replicat. Quidam Circumforanei ex hujus plantæ bulbis aquam deſtillant, qua medentur ambuſtis vel contuſis membris.

ARUNDO.

Eſt radix Arundinis vulgaris C. B. Pin. geniculata, longa, novos ſubinde ſurculos oculosque continuo auctu protrudens, albicans, & cava, ſaporis graminei.

ARUNDO ab areo dicitur, eo quod cito areſcat. Græcis κάλαμος vocatur παρὰ τὸ καλῶς ἀμᾶσθαι, κάλαμος καρχάκιας, ARUNDO PALUSTRIS, ARUNDO VALLARIS, aut VALLATORIA, Rohr/ gemein Rohr/ Waſſer-Rohr / Teichrohr/Schilff. CANNE ou ROSEAU.

Eſt plantæ genus ſola magnitudine a gramine diverſum.

Arundo vulgaris ſive Φραγμίτης Dioſcoridis. C.B. Pin. 17. Arundo vulgaris paluſtris. I. B. 2. 485. Arundo paluſtris, Canna ſepiaria Tabern. Icon. 254,

Provenit ſponte in foſſis, paludibus, lacubus, cæterisque ſtagnantibus aquis. Julio profert paniculas aliquantum purpureas, quæ maturæ in pappos avolant.

Squam-

Vilis quidem & ignobilis planta, uti SIMON PAULI loquitur, ſed cujus radix multis aliis præponenda, ubi extergere & attenuare animus eſt. Vim porro dicitur habere exſiccantem & calefacientem, ideoque hydropicis conferre. Perhibent porro radicem hanc, per ſe aut cum bulbis ſuis illitam, ſpicula aculeosque extrahere. Luxata lumborumque dolores cum aceto mulcet. In pulverem ſubtiliſſimum trita fiſtulis & ulceribus inſperſa prodeſt. Sunt, qui hanc radicem in aqua aut vino decoctam & epotam menſes & urinam ciere, atque ſtranguriam curare aſſerunt. Laudatur quoque ejusmodi decoctum ad furfures capitis abigendos. Cineres arundinis cum aceto inunguntur ad tollendam Alopeciam. Radix in oleo communi incocta, ſi percoletur, aliquoties in die & parum auribus inſtilletur, dolores earumdem ſedantur. Imprimis autem hæc radix commendatur ad delendas variolarum maculas. Notandum quoque, quod multi prætendant, radicem Arundinis ſubſtitui poſſe radici Chinæ, quippe cui non multum abſimilis exiſtit.

Olim calami ſcriptorii ex arundine efformabantur, ut & fiſtulæ muſicæ.

Folia

Folia Arundinis recentia conclavibus inſperguntur ad æſtum mitigandum.

Ἀνθήλη, paniculæ lanugo, ſi aures intraverit, exſurdat. Adeo enim tenaciter adhærens affigitur, ut avelli non poſſit.

℞. Ciner. Arundinis ℥j. Ciner. Ranar. uſtar. ʒvij. Sem. Eruc. ʒv. ſem. urtic. ʒiij. pulveriſentur ſubtili modo & cum ſ. q. olei Laurini f. unguentum, quo pars calva illinatur, ſi barba defluxerit.

℞. Rad. Arund. ℥ij. rad. Ariſtol. ℥j. Sem. ſinapi ℥ß. Cepar. toſtar. N°. ij. Stercor. Columb. ℥ij. omnia ſimul cum melle in emplaſtrum redigantur, & bis in die imponantur contra venenatos ictus & ad ſpicula aliaque infixa extrahenda.

℞. Succ. expreſſ. rad. Arundin. ſevi aſinini, mellis ana part. æqual. contra maculas à variolis relictas.

SQUAMMARIA.

Eſt radix Squammariæ Officin : multiplex, mira ſquammarum denticulatarum congerie ſtipata, alba, mollis & ſuccoſa, ſaporis aquoſi, parum amari atque acerbi.

De

SQUAMMARIA atque DENTARIA a radice appellatur. ANBLATUM à vocibus germanicis ohn ſine & Blat folium, quaſi planta foliis carens, unde OHNBLATUM potius dici deberet juxta TOURNEFORTIUM. OROBANCHE RADICE DENTATA, MALUS HENRICUS. Zahnwurtz / Schuppenwurtz / Creutz-oder Streubelwurtz / Freiſchlichwurtzel / St. Georgenwurtzel / St. Georgenkrauth / Ohnblatt.

Anblatum eſt planta flore monopetalo anomalo, tubulato, perſonato, in duo labia diſtincto, utplurimum indiviſa. Ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum in calyce plerumque reconditum, bifariam dehiſcentem, ſeminibusque fœtum utplurimum ſubrotundis.

Anblatum

Anblatum flore è rufo candicante. Cord. Hiſt. 89 & Tourn. Cor. I. R. H. p. 48. Anblatum Cordi ſive Aphyllon. I. B. 2. 783. Orobanche radice dentata major. C. B. Pin 88. Malus Henricus Geſn.

Reperitur in montibus & pratis, floret Aprili, locis umbroſis præſertim.

De uſu hujus radicis ita loquitut J. BAUHINUS. Præſtans eſt ad rupturas, ſi in pollinem redacta duarum drachmarum pondere in juſculo, in quo ſymphitum bullierit, quadraginta diluculis continuis ſumatur. Imponi quoque poteſt fracturæ, debiteque liganda pars. Eadem ratione hauſta vulneribus internis variisque affectibus à defluxione ortis prodeſt. Magnus uſus aquæ deſtillatæ in fluxionibus & epilepſia. Adſtringit, refrigerat & abſtergit. Datur pulvis in potu ad affectus matricis & colicos.

DENTARIA.

Eſt radix Dentariæ quinquefoliæ I. B. è ſquammatis denticulis compacta, alba, nitida, ſaporis acris amaricantis.

DENTARIA dicitur à forma radicum, VIOLA DENTARIA, SANICULA DENTARIA, SYMPHYTUM DENTARIUM. Weiſſe Haſelwurtz/ Zahnkraut/ DENTAIRE.

Dentariæ ſpecies hæc vocatur

Dentaria pentaphyllos ſoliis aſperis. C. B. Pin. 322. Dentaria quinquefolia. I. B. 2. 900. Viola Dentaria prima. Dod. Pempt. 162. Dentaria vij. πενταφυλλος ij. Clus. Hiſt. CXXII.

Provenit in montibus ſylvoſis, colitur in hortis.

πολυγόνατον,

Radix abſtergit, glutinat, cohibet, roborat, ut docet SCHWENCKFELDT. Datur ruptis & ad interna vulnera cum thoracis, tum inteſtinorum: Pulvis hernioſis eſt ſalubris. Ovibus datur à paſtoribus.

RADICES

RADICES CONSTANTES MUCAGINE TENUIORE PAUCIS FIXIS SALINIS.

Sigilli Salomonis.
Scandicis.
Brancæ Urſinæ.

SIGILLUM SALOMONIS.

Eſt radix Polygonati vulgaris C. B. Pin. digiti craſſitudine pyxidata commiſſura inæqualis, & tuberoſa, candore marmoreo, ſapore ſubdulci.

Πολυγόνατον, POLYGONATUM, quaſi diceres plantam geniculatam, propterea, quod radices & caules geniculati ſeu articulati ſint, impreſſis pluribus ſigilli inſtar veſtigiis, unde & SIGILLUM SALOMONIS audit. Weißwurtz/Gelenckwurtz/ GENICULATA, GENICELLA, GENICULUM, Schminckwurtz à virtute, SEAU DE SALOMON.

Eſt planta flore monopetalo campaniformi tubulato, calycis experte & multifido, ex cujus fundo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum mollem, plerumque globoſum & ſeminibus fœtum utplurimum ſubrotundis.

Polygonatum latifolium vulgare. C. B. Pin. 303. Polygonatum vulgo Sigillum Salomonis. I. B. 3. 529. Polygonatum. Matth. 954.

Polygonatum anguſtifolium non ramoſum. C. B. Pin. 303. Polygonatum anguſtifolium. J. B. 3. 531. Polygonatum alterum. Dod. Pempt. 345.

In ſylvis, locis umbroſis & juxta margines naſcitur, nec modo in montanis ſed & in planis. Majo ac Junio floret, Auguſto fructus colligi poſſunt.

Principia hujus radicis ſunt ſubtilia, ſalina acidulata, & mucilaginoſa, unde abſtergit, moderate incraſſat & adſtringit. Magis autem externum quam internum uſum habet ad inflammationes, congeſtiones, ſtaſes recentes, tumores tractabiles & ſugillationes. Quo in caſu vel radix aut ejus pulvis cum vino ſubigitur, & calidiſſime applicatur, vel decoctum radicis in vino vel aqua cum duplicatis linteis imponitur. Notat autem ETTMULLERUS, quod, cum hæc radix ſit acris, addi poſſit æqualis portio radicis ſymphyti majoris, & ſub forma cataplasmatis uſurpari, quo modo ad omnes ſugillationes confert.

Radix enim hæc, teſte SENNERTO, vel recens, vel tempore hyberno vino macerata, & contuſa cataplasmatis forma appoſita, unica ſæpe nocte ſuggillationem tollit, adeo ut parti affectæ nativus color redeat. Imprimis autem radicis hujus uſus eſt coſmeticus ad maculas ac puſtulas cutis & faciei, impetigines varioſque colores. Præterea à quibusdam hæc radix laudatur ad fluorem album mulierum; decoctum ad hernias commendatur. Ab Anglis commendatur ad venerem confortandam ſaccharo incruſtata, ut docet HOFFMANNUS in clav. Schrœd. Hernioſo infuſum polygonati in vino per menſem bibitum cum radice extus impoſita profuit; contuſa tumoribus & doloribus podagricis & iſchiadicis conducit. Pulvis hujus radicis cum aqua roſarum egregium conſtituit coſmeticum, teſte ETTMULLERO.

℞. Rad. Sigill. Salom. part. I. Symphyt. maj. part. ij. contuſa coqu. in cataplasma cum vino vel aqua. Colaturæ adde flor. Chamom. ſemin. anis. ana pro lubitu; imponatur brachio tumenti & ſuggillato poſt ineptam venæſectionem.

℞. Rad. virid. ari ℥iß. Sigill Salom. ℥iv. comminutis affunde aqu. flor. Sambuc. Lilior. albor. flor. Fabar. ana ℥iv. acet.

acet. ℥ij. Alum. ℥vj. fell. taur. n. 1. ſtent in digeſt. 8. diebus & quotidie agitentur. In hac aqua panni linei madefacti parti ſuggillatæ imponantur.

℞. Tragac. alb. ℥ß. Diſſolv. aqu. Roſar. in formam linimenti, poſtea add. Rad. Sigill. Salom. pulv. ℈iv. Camphor. ℈ij. Mſc. f. linimentum juxta Mynſichtum contra livorem faciei. Loco affecto illinitum permaneat usque dum per ſe areſiat, cutim contuſionibus verberibus, aliisque violentis ictibus fœdatam priſtino nativoque colori reſtituit.

℞. Phaſeol. albor. Mic. pan. albis. ana ℔j. Cucurb. long. tener. virid. rec. N.° 1. rad. Sigill. Salom. ℥iij. conſcinde tenuiter & macera tota nocte in lacte caprino deſtillato, adde recentium ſeminum melon. mundat. ℥v. Nucl. perſic. excortic. ℥iij. Pinear. excort. ℔ß. in mortario lapideo ſingula ſeorſim contunde & tunc omnia commiſce, & adde duarum columbarum pulpam carnis ex pectore mediocriter coctam & in fruſta conſciſſam. f. coctio in MB. ex cucurbita vitrea. Eſt aqua delens omnes faciei maculas, FRID. HOFFMANNI. Mane & veſperi ter quaterve abluatur facies, & ſponte ſiccetur, præcipue in parte maculoſa.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Aqua Sigilli Salomonis, Weißwurtz-Waſſer / *Eau de Seau de Salomon.* Cosmetica eſt, lentigines & maculas faciei delens. Commendatur quoque à quibusdam interne ad ſanguinem congrumatum, item ad calulum menſes & partum pellendum.

℞. Aqu. rad. Sigill. Salom. Lilior. albor. ana ℥iv. magiſt. cosmet. Clav. ʒij. camphor. ℈ij. Mſc. Inſervit hæc aqua coſmetica etiam contra lentigines.

SCANDIX.

Eſt radix Scandicis vulgaris C. B. Pin. exigua, interdum culta minimi digiti craſſitudine, dulci ſapore prædita.

σκάνδιξ, Herba Scanaria, Acus Pastoris, Acula dicitur à ſemine acum referente. Nadel-Körffel/Nadel-Möhren/Hechel-Kam/Venus-Strehl/ Aiguille de Berger, Peigne de Venus.

Eſt planta flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum compoſitum ex duabus partibus acum referentibus ſemine fœtis.

Scandix ſemine roſtrato vulgaris. C. B. Pin. 152. Pecten Veneris, I. B. 3. 2. 71. Scandix, Pecten Veneris, Dod. Pempt. 701.
Inter ſegetes Majo viget.

χαμαι-

Gaudet virtute aperitiva; decoctum ejus veſicæ, renibus & jecinori confert. Radix hæc cum malva tuſa omnia corporis infixa extrahere perhibetur ob ſignaturam.

BRANCA URSINA.

Eſt radix Brancæ Urſinæ Germanicæ I. B. craſſa, rugoſa, carne alba, ſuccum continens croceum, fervido & ſubamaro ſapore linguam vellicans.

Radix decocta imponitur ad emolliendos & deprimendos tumores, præſertim Matricis, Hepatis & Lienis. Incidit præterea, & tenuium eſt partium. Radix porro hæc ſuaviſſimum podagricis præbet ſolatium. Cum furfure in vino cocta contuſorum oſſium dolorem lenit, luxatis membris & tumoribus ſcirrhoſis impoſita multum convenit. Succus prodeſt ad ambuſta.

RADICES

RADICES PARTICULIS TERREIS CONSTANTES.

Aſtragali arvenſis.
Acori adulterini.
Nucis.
Cynosbati.
Echii.
Britannicæ.
Auriculæ urſi.
Plantaginis aquaticæ.
Cervicariæ majoris.
Medii.
Caryophyllatæ Alpinæ.
Aſteris Attici.

GLANS TERRESTRIS.

Sunt Chamæbalani leguminoſæ I.B. radices glandiformes ex filis tenuibus longiſſimis pendulæ, craſſiuſculæ, oblongæ, pulpa candida, dulci.

Glan-

χαμαιβάλανος quod in glandis effigiem radicis extremum turbinetur. ASTRAGALUS ARVENSIS, NUX aut FICUS TERRÆ Panis porcinus, Erdnuß/Erfeigen/ Erdmandlen/Grundeichslen/Ackereichlen/ Knolwurtz/ GESSE SAUVAGE, GLANDS DE TERRE, TARNOTES.

Eſt ſpecies Lathyri, planta videlicet flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum vagina membranacea obvolutum, quod deinde abit

abit in ſiliquam, nunc terretem nunc compreſſam, ſeminibus fœtam angulatis. Addantur caules cum coſta elata & margine foliato, ut & folia bina tantum conjugata nervo innaſcentia, in claviculas abeunti.

Lathyrus arvenſis repens tuberoſus, C. B. P. 344. Chamæbalanus leguminoſa, I. B. 2. 324. Terræ glandes. Dod. Pempt. 550.

Sine ulla induſtria creſcunt glandes terreſtres, & ſemel ſatæ perennant ſine interitu. Propagari poſſunt partim per ſemina, quæ in terram conjecta infra glandes ſupra herbam ferunt leguminoſam; partim per glandes radicis.

Glandibus terreſtribus ſapor eſt ſubdulcis glandis aut caſtaneæ adſtringens. Eſitantur vel elixæ vel coctæ ſub cineribus. Ad fluxus mulierum immodicos & ſanguinis profluvium ex veſica commendantur. Laudantur ad augendos conatus venereos. Nimium comeſtæ flatus generant, gravant ventriculum, interdum etiam cum nauſea.

LAUREMBERGIUS aſſerit, quod ex floribus Chamæbalani deſtilletur aqua, quæ aquam roſaceam egregie mentitur, ut pro ea ſubſtitui poſſit.

ACORUS ADULTERINUS.

Eſt radix Acori adulterini C. B. Pin. complicata, in obliquum acta, fere inſtar Biſtortæ, multis capillamentis fibrata, intus ſubrubra, ſubſtantia poroſa, ſapore ſtrenue adſtringente prædita, odore autem ut tota planta carens.

Radix

ACORUS VULGARIS, PSEUDO-ACARUS OFFICINARUM, IRIS PALUSTRIS LUTEA, PSEUDO IRIS, GLADIOLUS LUTEIS LILIIS, GLADIOLUS PALUSTRIS. Geel-Lilgen/Schwertel-Lilgen/Gelber Waſſer-Schwertel/Gelber Schwertel/ ACORUS FAUX.

Eſt ſpecies Iridis, & quidem

Iris

Iris paluſtris lutea. Tabern. Icon. 649. Acorus adulterinus. C. B. P. 34. Iris paluſtris lutea, ſive Acorus adulterinus. I. B. 2. 732.
In paluſtribus & piſcinis ubivis fere Aprili Majo & Junio floret.

γογγύλη

Radix hæc vere & autumno legitur, & in umbra ſiccatur.

Exſiccat, parum calefacit, attenuat, adſtringit, roborat, reſolvit, vi peculiari ad nervoſi generis & cerebri affectus commendatur, ut & ad dyſenteriam aliosque fluxus alvi ac uteri ſiſtendos. Exterius etiam ad dyſenteriam præcavendam de collo ſuſpenditur. Menſtrua & ſanguinis quoque profluvia ſiſtit. In aqua fortiter decocta aciditatem ſuam occultam, referente KOENIG, & adſtrictionem detegit; quapropter etiam ejus infuſum à PARACELSO Arthriticis commendatur. Succum expreſſum in vomitu cruento, diarrhoeis dyſenteriis & hæmorrhagiis ſummopere laudat LANGIUS, ita ut appellarit ſuum nectar adſtringens. Radix quoque hæc appenſa ſingulare amuletum dicitur contra affectus nervinos, & in ſpecie ſpasmum ac convulſiones, ut & contra catarrhos. Volunt autem ſingulari conſtellatione colligatur, & appendatur.

℞ Radic. Pſeudoacori ſuccul. q. v. exprime ſuccum, vel ſi minus ſuccul. fuerit in aqu. decoq. poſtmodum ſuccum vel decoct. blande inſpiſſa & additione Sacchari q. ſ. in Syrupi conſiſtentiam redige, qui pro ſcopo adſtringente in ſupra dictis morbis admodum prodeſt. Datur cochleatim.

NUX.

Ad ranas in homine exiſtentes radix nucis juglandis ſuperiori cortice detracto, in aqua & vino bullita peculiariter prodeſt

prodeſt juxta GABELCHOVERUM. Decoctum radicis laudatur ad quartanam. Radices porro juglandis, ut cum aliis docet ETTMULLERUS, ſuccum dant efficaciſſimum. Scilicet menſe Februario (vel etiam Martio) foditur usque ad radices, harum maxima pars perfoditur, unde emanat ſuccus, qui commendatur in doloribus dentium chronicis, quin & podagram curat, & nephriticos dolores ad miraculum placare dicitur, tam externe illitus, quam interne hauſtus, ubi per urinam malum eliminat. Adhæc ſingulariter convenit in cephalalgia, docente BARTHOLINO. Laudatur porro in febribus, tam intermittentibus quam continuis & malignis. Ut autem eo melius aſſervari queat, deſtillatur in aquam. HEINRICUS AB HEER cum CARDANO aſſeverat, ſi quis canitie deformis unica tantum nocte illinat ſcrotum ſucco ex radice juglandis expreſſo, canitie depoſita nigerrimo colore capitis pilos iri infectos totum annum duraturos. Fides ſit penes authores.

CYNOSBATUS.

Eſt radix lignoſa, prædura, intus medullari carne repleta, extus vero cutanea & corticoſa ſubſtantia, ſatis denſa, & aſpera, colore ruffo prædita.

Radix hæc apud veteres jam decantata fuit in morſibus animalium rabidorum, & exinde proveniente Hydrophobia. Offertur tum interne, ubi vel cruda comeditur, vel cum lacte propinatur, vel in decocto uſurpatur; tum externe, ubi morſibus applicatur. Ad ſpicula aliasqueres infixas extrahendas quoque laudatur.

℞. Rut. Salv. bellid. min. ana mß. radic. Cynorrhod. Scorzon. ana q. s. Inciſis contuſisque additur allii parum ⊖ mß. Mſc. pro cataplasmate vulneri imponendo; hac tamen

men obſervata cautela , ut vulnus antea per mixturam ex aqua & vino & ſale factam probe mundificetur.

ECHIUM.

Eſt radix longa , pollicari craſſitudine, lignoſa, guſtu nullo eximio.

Sunt, qui aſſerunt, ſi radix hæc animali fuerit appenſa, cujus ulcus aliquot vermibus ſcateat, per ſe & ſua ſponte vermiculos iſtos deciduos futuros, atque ulcus ejuscemodi relicturos. Radix quoque ad ʒß. & ultra exhibita laudatur contra epilepſiam.

BRITANNICA.

Eſt radix Britannicæ antiquorum veræ, craſſa, rotunda, lata ac ſpongioſa (dum annoſa eſt) & ſucculenta, manus circiter longitudine, in varias partes craſſiuſculas non adeo longas inferius diviſa, & radiculis fibroſis cincta, colore recens effoſa in loco natali exterius nigro, intus candido, qui mox in luteo rufeſcentem, qualis eſt Rhabarbari veri, mutatur, per ſiccitatem plane fuſca, ſaporis potenter adſtringentis, & grato amarore quodam aromatico linguam , gingivas labia & fauces contrahente.

Radix hæc potenter admodum adſtringit & quidem fortius quam folia. Non minus etiam, uti docet MUNTINGIUS, exſiccat, quam Alumen, Ærugo, Æris flos &c. Radices aridæ per ſe eſitatæ, ut & herbæ pulvis jecinoris & ſplenis emphraxim, nec non alvi duritiem habentibus nocent. Validius enim æquo in ejusmodi corporibus adſtringunt. Quo circa per ſe Dyſentericis, Cœliacis, Lientericis, Diarrhœis nimiis , vomitibus , cognatisque malis utiliter præ-

bentur. Aphthis quoque, oris ulceribus, ac dentium doloribus applicando ſuccurrunt. Quemadmodum autem radix per ſe ſumpta alvum ſiſtit, & ſanorum viſcera nimis conſtipando lædit, ita ex vino aut aqua mulſa, vel ſero minus nocet radicis decoctum. Quinimo contra magnos Lienes, Hepaticos, Stomachicos, Stomacaccios, Scelotyrbicos, & Paralyticos atque convulſos uſus eſt incredibilis.

℞. Radicum Britannicæ ℥iv. Herb. Britann. man. ij. Centaurii minoris, Betonicæ, Cichorii, Bugulæ, Majoranæ, Chamædris, Chamæpitys, Linguæ Cervinæ, Meliſſæ, Rorismarini, Epithymi, Fumariæ ana man. ß. florum ſtœchadis, ſeminis aniſi, fœniculi ana ℥ß. Zingiberis ʒij. Corticum Citri, Aurantiorum ana ʒiij. Sacchari ℥vj. Vini albi optimi libr. vij. Incidantur, contundantur, ac in vino per noctem macerentur, mane lento igne ad tertiæ partis conſumptionem in Mariæ Balneo per bihorium decoquantur, colentur poſtea. Hujus decocti doſis ℥iij. mane jejuno ſtomacho per 14. dies continuos ſumendæ ad prædictos morbos.

℞. Radicum Britannicæ ℥iij. Herbæ Britannicæ Man. iij. Beccabungæ, Naſturtii aquatici, Cardui benedicti ana man. ij fumariæ, aquilegiæ, Chelidonii majoris, Raphani ruſticani, Rutæ murariæ ana man. ß. incidantur & coquantur in vini albi libr. viij. aut aquæ hordei vel lactis caprini libr. xij. Quod ſi fiat, hujus media pars ægro ſufficiet. Colaturæ nondum frigefactæ adde ſacchari libr. ß. Piperis longi pulveriſati, Macis, radicis Galangæ, Gentianæ, tormentillæ ana ʒiß. Denuo parumper coquantur & in vitreo vel ſtanneo vaſe decoctum ſervetur. Hujus capit æger mane ℥iv. Poſt conſumptionem vero, ſi opus fuerit, detur purgatio.

℞. Radicum Britannicæ ℥iv. vel hyberno tempore foliis virorem negantibus ℥vj. Glycyrrhizæ ʒij Zinziberis ʒj. foliorum Britannicæ man. ij. Sacchari ℥iv. Vini Gallici optimi

libr.

libr. jv. Incidantur & contúndantur groſſo modo, macerentur per noctem atque ad tertiæ partis conſumptionem vel per ſesquihoram in duplici vaſe lento igne decoquantur. Coletur poſtea & fiat decoctum, cujus doſis ℥iij. mane jejuno ſtomacho per 14. dies continuos aſſumendæ. Valet non ſolum contra prædicta mala, verum etiam contra hæmorrhoides earumque dolores atque ardores internos, item contra anginam, contra alvi fluxus, diarrhœam & dyſenteriam &c.

℞. Radicis Britannicæ ℥viij. Galangæ majoris ʒiij. Cyperi rotundi ʒij. Thuris, Maſtiches, Myrrhæ ana ʒj. Oxyſacchari ℥ij. Syrupi de abſinthio ℥ß. Incorporentur pro dentifricio, quo gingivæ illinuntur ad dentes firmandos & oris ſcorbutum profligandum.

℞. Radicum Britannicæ recentium ℥ij. Herbarum Britannicæ man. j. Nicotianæ, Buxi ana man. ß. Butyri vetutiſſimi ℥iv. Cereviſiæ primariæ vetuſtæ, Aceti ana libras ij. Coquantur ad medietatem, poſtea dum frigefactum fuerit, recipe Butyrum eique probe commiſce pulveris radicum Britannicæ & ſeminis Britannicæ ana ʒj. & fiat unguentum utile ad omnem ſcabiem.

Optimum & adverſus Scorbutum plane inveteratum præſentiſſimum remedium.

℞. Croci ℥ij. Macis, Glycyrrhizæ, Cinamomi optimi, Piperis nigri, radicum Gentianæ ana ℥iij. Britannicæ ℥vj. Omnia groſſo modo pulveriſata immiſceantur Vini Hiſpanici aut alii generoſi libris ſedecim, Aceti Sambucini vel alterius fortiſſimi libr. iij. Ovor. vitell. recent N°. iij. Macerentur ſimul in vaſe lapideo vitreato probe obturato, per horas 72. in cinere calido, fimo equino, vel arena calida, eò tamen modo, ut ultra caliditatem tepidum non procedatur. Reponatur deinde & uſui ſervetur.

Hujus decocti tres, quatuor, quinque vel ſex etiam uncias pro natura ſubjecti ſumat æger, mane jejuno ſtomacho per dies quatuordecim vel viginti aut plures. Bibat etiam quotidie ad extinguendam ſitim vinum Rhenanum optimum. Vel ſi Cereviſiæ ſit aſſuetus, ſumat non recentem ſed defœcatam beneque coctam: ac quoties illam æger bibit, toties ipſi hujus vini cochlearia tria exhiberi neceſſe eſt.

Notandum tamen, quod ſi in ejusmodi ægro ſiccitas quædam, tuſſis vehemens vel Tabis ſuſpicio adſit. Piperis loco ſumat Glycyrrhizæ ℥vj. Vini uſu ferme conſumpto, vini reliquiis adhuc ſemel vel bis tantum Vini addi permittitur.

Hoc vino non ſolum brevi temporis ſpatio inveteratus ſcorbutus morbus, præſertim ſi absque febri vel inflammatione ſit, verum etiam reliqua ſcorbuti genera omnia, inveteratæ Herniæ, Paralytici atque venereo morbo infecti feliciſſimo ſucceſſu curantur. Hæc omnia MUNTINGIUS untingius habet, qui plura ſcire cupit, eumdem adeat.

AURICULA URSI.

Eſt radix Auriculæ Urſi Offic. digitum circiter craſſa multis candidis oblongisque fibris prædita, guſtu quadantenus exſiccante & adſtringente.

Gaudet virtute quoque vulneraria, Uſurpatur à Venatoribus ad arcendam vertiginem; præſertim radix Auriculæ urſi flore luteo.

PLANTAGO AQUATICA.

Eſt radix Plantaginis aquaticæ I. B. fibroſa, albicans.

Radix hæc in vino præſertim decocta, iis, qui calculo renum & veſicæ moleſtantur, ſolatio exiſtit. Pulvis ex radice

ad

ad ℥j. ſumptus arcanum quorumdam conſtituit pro hæmorrhoidibus. Radicem inſuper hanc dextra manu geſtatam, donec incaleſcat, è veſtigio dolorem hæmorrhoidum ſanare aſſerit PRÆVOTIUS.

CERVICARIA MAJOR.

Eſt radix Cervicariæ majoris Dod. alba, Rapūnculi ſapore, non minus grato, adſtringente.

Radix hæc alba, tenera in acetariis uſurpari poteſt verno præſertim tempore: Cæterum virtutibus reſpondet cum foliis, de quibus infra.

MEDIUM.

Eſt radix Violæ Marianæ ſive Medii I. B. veſca dulcis, alba, longa, craſſa.

γογγύλη ἄγρια, VIOLA MARIANA, MEDIUM, Mariens Glöcklein nuncupatur.

Eſt ſpecies Campanulæ, frequentior autem eſt ſequens ſpecies. Campanula hortenſis folio & flore oblongo cæruleo. C. B. Pin. 94. Viola Mariana Dodonæi, quibusdam Medium. I. B. 2. 804. Viola Mariana Dod Pempt. 163.

Teſtante J. BAUHINO, naſcitur, ut ajunt, in ſylvis & montibus, nec non in apanis quibusdam tractibus Italiæ ac Germaniæ. Colitur in hortis, floret Junio, Julio, & Auguſto.

CARYO-

Eodem authore ex DODONÆO docente Radix hæc refrigerantis & nonnihil adſtringentis eſt potentiæ, eſui ut aliorum ſylveſtrium Raporum apta eſt, & non incommode acetariis additur.

CARYOPHYLLATA ALPINA.

Eſt radix Caryophyllatæ Alpinæ luteæ, ſatis craſſa, nigra, fibrata, valde odorata, & adſtringens.

CARYOPHYLLATA MONTANA, CARYOPHYLLATA MAJOR, Groſze Benedicten-Wurtz/ Alp Benedix-Wurtz/ Berg-näglin-Kraut.

Characterem ſub Caryophyllata vulgari vide. Eſt

Caryophyllata Alpina lutea. C. B. Pin. 322. Caryophyllata montana flore luteo magno. I. B. 2. 398. Caryophyllata montana Dod. Pempt. 137.

Reperitur in ſummis alpium, montium Pannonicorum, & Bohemicorum jugis, inter gramina, vel ſub fruticibus. Floret Junio.

Ejusdem cum Caryophyllata vulgari eſt naturæ & uſus. Calefacit, ſiccat & roborat. Menſtruorum profluvia immodica in pulvere ſumpta cohibet.

ASTER ATTICUS.

Eſt Aſteris Attici Dod. radix tenuis, fibroſa, ſapore amaro, nonnihil aromatico, & calefaciente, & juxta quosdam nonnihil Caryophylli reſipiente.

Ἀςὴρ Ἀττικὸς, βȣβώνιον, ἀλίβιον, INGUINALIS, INGUINARIA, quod inguinum tumoribus medeatur. Sternkraut/ Blau Schartenkraut/ Bruchkraut. PETITE ESPARGOUTTE.

Aſter eſt plantæ genus flore radiato, cujus ſcilicet diſcus ex plurimis floſculis, corona vero ex ſemifloſculis componitur. Embryones autem deinde abeunt in ſemina, pappis inſtructa, thalamoque affixa.

Aſter Atticus cæruleus vulgaris. C. B. Pin. 267. Aſter Atticus purpureo flore. I. B. 2. 1044. Aſter Atticus Dod. Pempt. 266.

Naſcitur aſperis incultis collibus & convallibus, floret Auguſto, &c.

Radix hæc una cum foliis, modice calefacit, digerit & reſiccat docente SCHWENCLFELDT. Tuſa rabioſi canis morſibus auxiliatur, turgentia guttura diſcutit, & inguinibus illinitur.

CAPUT SECUODUM.

DE CORTICIBUS.

CORTICES CONSTANTES SALE VOLATILI OLEOSO.

Caroli ſancti.
Culilavvan.
Maſſoy.
Mollis.

CAROLUS SANCTUS.

ESt Cortex Radicis Americanæ, coloris candicantis, odoris aromatici, ſaporis amari acris.

Virtute

Vocatur Radix Carlo Sancto: Radix Indica, Racine de St. Charles, Racine Indienne. Adfertur ex Provincia Mechoacan Americæ.

Cortex

Virtute pollet ſudorifera; Medetur ſcorbuto, catarrhis, epilepſiæ, prodeſt ad facilitandum partum, ſtomachum roborat, gingivas firmat, in herniis conducit & in Lue Venerea laudatur. Uſurpatur vel in ſubſtantia vel in infuſo & decocto.

CULILAVVAN.

Eſt cortex arboris Amboinenſis, extus albicans aut cinereus, paucis ubivis tuberculis conſitus, intus coloris lateritii, craſſiuſculus, prope radicem digitum quandoque craſſitudine adæquans, odoris & ſaporis Caryophyllacei, acris cum exigua adſtrictione.

Cortex Caryophyllodes ab odore & ſapore dicitur. Vocatur quoque Kulilavan, Culilavvan, Coelitlavvang, Coelilavvan, Salackal, Salackor, Sindoc, Tedeio, Haumo. Amboiniſche oder Malaiſche Nägel-Rind. Ecorce Giroffle' d'Amboine.

Vocatur

Sal volatile oleoſum in hoc cortice & odor & ſapor probant. Virtute gaudet ſtomachica, carminativa atque cephalica, concordat viribus cum Caſſia Caryophyllata. Maſticatus anhelitum oris reddit gratum. Cum cortice Maſſoy in pulmentum redigitur, & corpori inungitur tempore hyberno, ad frigus arcendum. Aſſerunt enim hoc modo corpori gratum conciliari calorem. Laudatur propterea etiam ad perniones.

MASSOY.

Eſt cortex arboris in nova Guinea provenientis, aromaticus, odoris & ſaporis fragrantis & grati.

Virtute

Vocatur etiam CORTEX ONINIUS.

Virtute correſpondet cum cortice præcedente, niſi quod mitior ſit, & partium paulo craſſiorum. Cum hoc cortice trito, & cum aqua in pultem redacto, incolæ corpus inungunt tempore frigido aut pluvioſo. Eximie enim calefacit, punctiones & tormina ventris ſedat. Præprimis autem uſurpatur cum Culilavvan.

CORTEX MOLLIS.

Eſt Cortex Mollis Clus. ex viridi nigricans, multis veluti maculis cinereis conſperſus, odoris haud ingrati.

MOLLE vocatur etiam LENTISCUS PERUVIANA a ſimilitudine & patria, Peruvianiſcher Maſtixbaum.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, cujus piſtillum abit in fructum Piperis grani æmulum.

Molle Clus. in Monard. 322. & 352. Lentiſcus Peruana. C. B. Pin. 899. Molle. I. B. 534.

Abundanter naſcitur in convallibus & locis Peruanæ regionis.

Τρίβολος.

Referente CLUSIO hic cortex adeo commendatus eſt, ut ejus decocto crurum dolores & inflationes ſumma cum utilitate foveantur, laſſitudines quoque hoc decoctum ſolvit. Pulvis ejus vulneribus inſperſus ea mundat, deinde carnem generat, & perfecte curat. Dentes eodem pulvere fricati ſtabiliuntur, gingivæ abſcedentes ſanantur. Ex ramulis hujus arboris fiunt dentiſcalpia utiliſſima.

Ex Cortice hoc vulnerato extillat Gummi ceræ depuratæ inſtar, (ut I. B. deſcribit,) lenta alicubi, nonnihil friabilis, flaveſcens undique, odore pingui reſinoſo & aromatico vehe-

menti, quæ candela admota in clarum incendium exardeſcit, liqueſcitque, manducata non adhæreſcit, ſed lenteſcens magis magisque colorem album contrahit, ſapore ſatis grato obſcure amaro. Magnam habet ſimilitudinem cum Gummi Elemi, excepto quod magis candeat. Si in lacte diſſolvitur caliginem oculorum abſtergit: ſi ad ℨiß. aſſumitur egregie alvum ciet.

Fructus hujus arboris, quæ ſunt baccæ, pingues rugoſum oſſiculum nucleatum continentes, ſapore baccarum juniperi acri cum amarore aliquo, cum aqua decoctus, pro coctura modo ſuppeditat aut vinum aut potionem admodum bonam aut acetum aut mel. LOBELIUS & alii dicunt quod ex his fructibus torcularis preſſu exprimatur latex fulvi ex atro coloris craſſamenti ovorum olei fere, & divinæ fragrantiæ, ſimillimi ipſius ſeminis odoris inter tundendum, & ſaporis Xyloaloes optimæ notæ. Hic liquor recens expreſſus albeſcit & ſpumat, in laneam veſtem fuſus & ſimplici ablutione aquæ lotus, notam non relinquit. Ex magmate ſeminis iterum tuſo & pauca aqua roſacea aſperſa preſſu forti latex unguinoſus reſinaceus elicitur, qui maculam non relinquit, quin etiam in aquam injectus & agitatus celerrime liquatur, diluitur & lactis modo albeſcit. Quibus notis colligit prædictus author, Mollem arborem eſſe veri Balſami ſpeciem.

CORTEX CONSTANS SALE FIXO DIURETICO.

Cardui Stellati.

CAR-

CARDUUS STELLATUS.

Eſt Cortex radicis Cardui ſtellati, ſive Calcitrapæ I. B. digitum vel magis craſſæ, mollis, ſuccoſæ, colore, albeſcentis, pedem longæ, ſaporis Cinaræ.

Τρίβολος φυλλάκανθος, SPINA STELLA, CARDUUS STELLATUS, STELLARIA, CARDUUS MURICATUS à capitum ſpinis diſpoſitis inſtar ſtellæ. CALCATREPOLA, CALCITRAPA, à calcitrare, quoniam pecudes, dum ab hujus cardui ſpinis punguntur, calcitrant. Sterndiſtel / Radediſtel / Wallendiſtel / CHAUSSE TRAPE, CHARDON ETOILE.

Ad Carduum pertinet, & eſt

Carduus ſtellatus ſive Calcitrapa. I. B. 3. 89. Carduus ſtellatus foliis Papaveris erratici. C. B Pin. 387. Spinaſtella. Tabern. Icon. 701. Hippophæſtum, Col. Phytob. 107.

Naſcitur circa urbes, oppida & pagos, planis & campeſtribus locis in Gallia, Germania, aliisque locis. Floret Julio & Auguſto.

ABIES

TOURNEFORTIUS refert, radicem hanc papyrum cæruleum in rubrum inſigniter mutare. Urinam valde dicitur pellere, hinc laudatur etiam ad movendum & præcavendum calculum, item in colica Nephritica. Quam virtutem præſertim expertus eſt DN. DE LAMOIGNON, Intendens, uti loquuntur, Regius in Languedocia, & quidem felici cum ſucceſſu, dum modo mox deſcribendo hunc corticem adhibuit. Hunc virum illuſtriſſimum poſtea multi imitantes non parum levaminis ſenſerunt. Non autem tantummodo curative uſurpatur, ſed & præſervative, dum purgato corpore ante Novilunium hoc remedium in uſum trahitur per inſigne temporis ſpatium.

CAMERARIUS aliique non tantum corticem radicis, ſed & ipſas radices ad eundem ſcopum laudant, quas porro ob-

ſtructiones reſerare ſudorem ciere & ſanguinem purificare aſſerunt.

℞. Cortic. radic. Calcitrap. pulver. ℨj. infunde in Vini albi ℥v. per noctem, mane hauriatur vinum cum cortic. Neceſſarium autem porro eſt, ut altero mane ſequens bibatur potio.

℞. Folior. pariet. p. j. Lign. Saſſafr. Sem. aniſ. ana ʒj. Cinamom. ʒß. aut ℈ij. Coquantur in aquæ font. ℥viij. parum. Stent per noctem in digeſtione, mane bulliant leniter & potio haurienda edulcoretur s. q. Sacchari.

CORTICES PARTICULIS TERREIS CONSTANTES.

Abietis.
Aceris majoris.
Aceris minoris.
Alni.
Laricis.
Mori.
Caprifolii.
Populi.
Pinaſtri.
Piceæ.
Salicis.
Suberis.
Ulmi.

CORTEX

CORTEX ABIETIS.

Eſt Cortex Abietis fœminæ I. B. lævis, candicans, reſinoſus, ambiens Lignum album reſinoſum, odoratum, fibras rectis ita intertextum, ut aſſulatim per longitudinem ſcindi poſſit.

ABIES ab abeo, uti RAJUS loquitur, Grammaticis dicta putatur, ut a facio facies, à ſpecie ſpecies, quod in altitudinem tendat. Ἐλάτη pariter Græcis dicitur, παρὰ τὸ ἐλᾶν, ὅ ἐστιν εἰς ὕψος ἀναπέτασθαι. Quidam vocant hanc arborem SAPPINUM. ABIES FOEMINA, ABIES ALBA quoque audit. Dannenbaum/Tanne/Thanne/Thannenbaum/ weiße Thannen/SAPIN.

Eſt arbor flore amentaceo, plurimis ſcilicet apicibus conſtante, ſed ſterili: embryones enim inter folia ſpicæ à floribus ſeparatæ naſcuntur, abeuntque in ſemen foliatum pariter reconditum ſub ſquamis, quæ axi affixæ conſtituunt fructum. Is autem nihil aliud eſt quam ſpica, quæ craſſior evaſit. His notis addenda ſunt folia ſingularia, non bina, ut in Pinu. Abietis porro apices in duo loculamenta dividuntur, transverſa dehiſcunt, pulveremque fundunt minutiſſimum ſæpe lunatum, ut microſcopii ope facile patet.

Abies Taxi folio fructu ſurſum ſpectante. Tourn. I. R. H. cl. 19. S. 3. g. 1. Abies conis ſurſum ſpectantibus ſive mas. C. B. Pin. Abies fœmina, ſive ἐλάτη θήλεια. I. B. 1. 231. Abies Clus. 34.

Arbor hæc procera & excelſa in montibus altis naſcitur, hinc VIRGILIUS ita canit,

Fraxinus in ſylvis pulcherrima, Pinus in hortis,
Populus in fluviis, Abies in montibus altis.

Reperitur in Gallia, Germania, Bohemia, Helvetia, Alſatia etiam noſtra copioſe admodum. Floret Majo & ſemper viret.

Cortex Abietis exſiccat atque adſtringit, hinc valet in alui fluxibus atque dyſenteria: diaphoreticus præterea eſt atque antiſcorbuticus. Uſum Ligni Abietini quod concernit,

ACER de

de eo ita loquitur AXTIUS. Ad uſus quotidianos ſæpiſſime expetitur, & non ſolum materiam nobis præbet ad ignem accendendum ſed ad plura utenſilia adhibetur. Exinde enim facimus dolia quæ picantur, cupas, capedines, truas, capulas aliaque plurima vaſa cereviſiaria, culinaria. Facimus ex illa ſcandulas, aſſeres; nec minus adhibetur ad extruendas domus aliaque ædificia. Fiunt ex illa mali altiſſimi, & alia ad naves pertinentia. Vinetorum quoque pedamenta & pali ex Abiete fiunt. Bene autem notandum eſt monitum JOH. BAUHINI, quando ita loquitur. Situlæ novæ & tubuli fontium novi ex Abiete & ſimilibus lignis, dum ſunt recentes, odioſum ſaporem aquæ imprimunt, idem faciunt pyxides abiegnæ, cum condita, tabellata trochiſci & ſimilia imponuntur: præſertim ſi calor accedat, ita faſtidioſum & ingratum odorem, non tamen ullius pernecabilis malignitatis participem, contrahunt, ut ab eo contenta vindicari non poſſint: id quod equidem obſervandum Pharmacopœis. Notat inſuper prædictus author, vulgus Tigurinum offendi, ſi quis geſtet in pileo ramum abietis tranſiens per urbem. Digitis vulneratis fotum lixivii facti ex cineribus Abietis, addita radicis Althææ parva quantitate, FELIX WURTZ conferre ſcribit.

Fit interdum, ut exedantur abietes à vermibus ſeu carie, qui pulvis Wurm-Meel commendatur contra intertriginem infantum.

Viſcus Abieti innaſcens ſingulariter dicitur eſſe expertus in arthitide & podagra, ſi ſingulis mane ʒß. ad ʒj. uſurpetur. Theophraſtus & Plinius Viſcum Abietis appellant ſtelin.

Ex incineratione Abietis Pini, Quercus &c. promanant decantati CINERES CLAVELLATI die Potaſche / CENDRES GRAVELEES, dum nimirum ex cineribus Abietis paratur lixivium & in lebetibus cupreis amplis coctione ad ſiccitatem

ſal iſtud concreſcit, vi abſterſiva, ſaponaria intus in corpore egregia præſtans. Plurium concretorum vegetabilium ſolvens eſt egregium alcalinum.

CORTEX ACERIS MAJORIS

Eſt Cortex Aceris majoris Dod. rubens, ſaporis adſtringentis cum amaritudine.

Cortex hic in aceto decoctus, & in ore detentus, odontalgiæ medetur. In aqua aut vino decoctus prodeſt ad ſcabiem.

Lignum Aceris majoris albicans ab arculariis & menſariis ad varia utenſilia expetitur.

CORTEX ACERIS MINORIS.

Eſt Cortex Aceris minoris. Dod. durus & incanus, ſaporis adſtringentis, non ſine amarore.

Acer vocatur etiam γλεῖνος, κλινότροχον, Opulus Campestris, Teutſch Ahorn/Leinbaum/Maßholderbaum/Erable.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ex duabus quandoque tribus, capſulis compoſitum, in alam foliaceam deſinentibus & ſemine fœtis ſubrotundo.

Acer campeſtre & minus, C. B. Pin. 431. Acer vulgare minori folio. I. B. 166 Acer. minor. Dod. 840.

Gaudet præruptis & ſylvoſis, humili ſtatu contenta vix ſupra hominis altitudinem attollitur caudex, reliquum non niſi virgæ & exigue rami aut certe bracchia haud magna nec alta, non tamen frutex eſt potius, quam arbor. Aliquibus tamen locis etiam in proceram arborem grandeſcit. Floret Aprili & Majo.

Quod

Cortex hic virtutibus convenit cum cortice Ulmi. Juxta

PLI-

PLINIUM radix Aceris contuſa jecinoris doloribus utiliſſime imponitur. Lignum perennis eſt durationis, quod cum maxime annoſum fuerit, undique criſpatur. Plerumque lautioribus dicatur ſupellectilibus.

CORTEX ALNI.

Eſt Cortex Alni vulgaris I. B. ſcaber, fuſcus, ambiens lignum molle ruffeſcens, ſapore amaro cum adſtrictione & ingrato.

Quod juxta CURTIUM amne alatur, aut quod ipſa hæc arbor herbas alat, κλῆθρα Græcis dicitur. Erle/ Erlenbaum/ Elſe/ Elſenbaum/ Ellern/ Ellerbaum. AUNE.

Alnus eſt arbor flore amentaceo, cujus julus conſtat ex glomeribus florum filamento adhærentium, quilibet floſculus eſt quadripartitus, omnes autem ſunt ſteriles. Fructus enim in eadem arbore ſeparatim naſcitur & incipit ſub forma globuli conſtantis ex ſquamis, ſub quibus latitant embryones. Globuli autem hi abeunt in pomum ex pluribus ſquamis conflatum, in quarum interſtitiis reperiuntur ſemina plana.

Alnus rotundifolia glutinoſa viridis, C. B, Pin. 428. Alnus vulgaris, I. B, 1. 2. 151.

Gaudet, ut loquitur I. B. utplurimum aquis, ut haud fere alibi quam humectis & uliginoſis naſcatur locis, potiſſimum vero frigidis & opacis vallibus ad fluminum ripas, unde & fluminea, fluctibus apta & amica fretis dicitur.

λάριξ.

Cortex Alni refrigerantem & adſtringentem obtinet virtutem, unde ejus præſertim interioris in affectibus oris gingivarum & faucium uſus celebratur in gargariſmatibus & collutionibus oris. Alias ex cortice alni color niger conficitur, quo plures ad tingendum utuntur.

Folia quoque Alni viridia ad inflammationes & tumores ad-

adhibentur. Vetuſitis vulneribus proſunt. Pedum plantis, ſuppoſita defatigatis levamen præſtare dicuntur. Folia Alni, uti ferunt, viridia, roreque madida conclavibus inſperſa ac poſt horæ ſpatium rurſus amota, purgato conclavi, pulices fugant, nam hiſce foliolis hærentes exigi poſſunt. Notum alias quod Lignum Alni inſerviat ædificiis, & præſertim illorum fundamentis extruendis, quoniam non facile etiam ſub aqua corrumpitur.

CORTEX LARICIS.

Ex Cortex Laricis Dod. craſſus, ſcaber fuſcusque, cingens materiem firmam ſatis & ſolidam in rectum fiſſilem, fulvam vel ſpadiceam, criſpantibus ſaturatioris coloris callis, pectinibus rectis, odoratam, flammeſcentem, odorem quoque jucundum naribus aſpirantem.

Cortex

λάριξ, LARIX, teſtante ROLFINCIO vox Barbara eſt forte nomen traxit ἀπὸ τȣ̃ λαρινȣ̃, quod pingue ſignificat ob reſinæ abundantiam. Modo dictus auctor putat eſſe vocem Gallo-Græcam ab Alpinis Gallis huic arbori impoſitam. Quidam derivant à Caſtello Laricino vel Larigno, ſed inverſe. Lerchenbaum/ ubi tamen deberet dici, Larchenbaum/Lerchendanne/Larchendanne/Lorchbaum. MELEZE, LARICE.

Eſt arbor flore amentaceo, plurimis ſcilicet apicibus conſtante, ſed ſterili, embryo enim inter folia teneri fructus naſcitur, abitque deinde in ſemen foliatum, pariter reconditum ſub ſquamis, quæ axi affixæ fructum conſtituunt. Is autem aliud nihil eſt, quam tener fructus, qui craſſior evaſit. His notis addenda ſunt folia confertim plura quam bina ab eodem exortu prodeuntia.

Larix folio deciduo conifera. I. B. 1. 265. Larix. Dod. Pempt. 868

Naſcitur in montibus Delphinatus, Alpibus Rheticis, Tyrolenſi-

bus, Sudetibus Sileſiacis, ſylva nigra, Hercynia, &c. Colitur in hortis, floret Aprili & Majo. Coni Autumno matureſcunt. Po-

Cortex Laricis, ut SCHWENCKFELDT loquitur, ſiccat, adſtringit, ad cicatricem perducit. Tritus ambuſtis medetur & intertriginibus prodeſt. Lignum hoc cortice tectum juxta STUMPFFIUM contra elephantiaſin, juxta SIMLERUM contra lepram valet.

Vetus eſt opinio à PLINIO quoque literis prodita, quod lignum Laricis neque ardeat, neque carbonem faciat. Sed hoc relatum falſum eſt vel exinde, quod in uſum foci adhibeatur, & teſte J. BAUHINO in Alpibus ad ferrarias fodinas carbones exinde fiant. Hinc etiam experientia teſtatur falſum eſſe aſſertum & VITRUVII & PALADII, dum ajunt: Larix utiliſſima, ex qua ſi tubulos ſuffigas tegulis in fronte atque extremitate tectorum præſidium contra incendium tuliſti. Neque enim flammam recipiunt, aut carbones creare poſſunt. Hoc interim verum eſt, quod materies Laricea ſit firma & ſolida, diutiſſimisque ſolis ardoribus & aliis aëris injuriis reſiſtat, nec findatur facile aut vitium contrahat, nec picis aut alterius inductione opus habeat.

Extillat quoque ex Larice, in Delphinatu, prope Brianſonium, ſpecies quædam mannæ, *Manna Brianſonenſis* dicta, quæ purgante gaudet virtute, uti ſub Manna videre eſt.

In vetuſtiſſimarum Laricum caudicibus album quiddam corio ſimile reperitur, quod pro conſtringendis ac agglutinandis vulneribus & ſanguine compeſcendo mire commendatur.

Larix etiam, notante HOFFMANNO in Schrœder; habet muſcum ab aliarum arborum muſco non multum differentem, ſed odoris vehementis & cerebrum facile vacillantis, ex quo errhinum præparari poteſt.

CORTEX

CORTEX MORI.

Ex Cortex Mori Dod. rugoſus, craſſus, lentus, materiem robuſtam & meditullitus flavam cingens, ſaporis amari.

Dicitur abſtergere, adſtringere, Hepatis ac Lienis obſtructiones reſerare, alvum adſtringere & tineas latas necare. Eligitur autem præprimis cortex radicis.

CORTEX CAPRIFOLII.

Eſt cortex acris, ſalſus, ſtipticus & fœtidus, adeo, ut juxta KOENIGIUM, ſal ejus ſali armoniaco affine ſit, mixtum tamen oleo fœtido & terræ. Cortex ut & ſurculi Caprifolii vel ſoli, vel cum aliis ſudoriferis in aqua decocti, uſurpari poterunt in cura Luis Venereæ. Conducit quoque tale decoctum in arthritide vaga.

CORTEX POPULI.

Eſt cortex Populi albæ C. B. Pin. albus, lævis.

POPULUS ALBA, weiß Pappelbaum/ weiß Pappelweiden/ Bellen/ weiß Alberbaum/ PEUPLIER BLANC, PEUPLIER à LARGE FEUILLE.

Characterem vide ſub Populo nigra

Populus alba majoribus foliis. C. B. Pin. 429. Populus alba λευκη. I. B. 1. 160. Populus alba. Dod. Pempt. 835.

Loca amat uliginoſa & humida hæc arbor, quæ habet folium bicolor ſuperne candicans, inferiore parte viride.

virtus

Cortex Populi albæ gaudet virtute detergendi: adhibe-

tur in malo iſchiadico, & difficultate urinæ, tum externe tum interne. Prodeſt ad ambuſta. Traditur etiam conceptum prohibere & abortum procurare.

CORTEX PINASTRI.

Eſt cortex Pinus ſylveſtris vulgaris ſive Pinaſtri, in inferiore parte arboris plenus rimarum atque ſcaber, colore quodammodo cineraceus, in ſuperiore autem parte plenus ſquammarum & rubicundus, in ramis tenerioribus lauri modo liveſcens; ambiens lignum exterius albicans interius rubeſcens, quod gratum ſpirat odorem & durabile eſt in aquis.

πίτυς, πέυκη ἄγρια, Pinus ſylveſtris, vocatur etiam Pinaſter, Teda, Piceaſter. Fichte/ wilder Fichtenbaum/ Kienbaum/ Kienholtz Hartzbaum Kyfer/ Kiefern/ Kyferholtz/ Förnholtz. Pin Sauvage.

Characterem ejus vide ſub Pinu ſativa, eſt autem.

Pinus ſylveſtris vulgaris Genevenſis & Tæda. I. B. 1. 253. Pinus ſylveſtris. C. B. Pin. 491. Pinus ſylveſtris montana Camerar. Epit. 40.

In ſylvis montoſis large provenit.

πίτυς,

Cortex hic refrigerat, ut loquitur SCHROEDERUS, ſiccat & adſtringit, adeoque uſus præcipue (externe) in dyſenteria, fluore menſium (in ſuffiendo). Aër hypocauſti, in quo cortices picei ſiccantur, paralyticis & arthriticis conducit. Lignum Pinus ſylveſtris à quibusdam æquiparatur ratione virtutum Ligno Saſſafras; & ejus decoctum laudatur ad Luem veneream. Alias inſervit ad ignem accendendum, facile enim flammam concipit. Alias pinus materiem exhibet ad tabulas parandas, non ſolum pulchram ſed & ſuaviter odoratam, aſſeres & alia, quæ ex ligno pinaſtri conficiuntur. Lignum Pi-

naſtri pulchritudine præſtat fabris Lignariis & pulchrius politur & elegantius apparet, præſertim vernice obductum. Propter gratum odorem & durabilitatem in aquis ad tubos in aquarum ductibus expetitur. Nam tubi iſti, ſi terra obruuntur, triginta durant annos. Hæc arbor inſignem quoque copiam reſinæ fundit. Qua de ſuo loco agetur. Ex hac porro arbore præſertim provenit quoque Teda, δὰς, δάνιον, das Kienholtz/ Kühnholtz. Quid ſit Tæda ſub Pice jam dictum, quippe quæ exinde obtinetur. Alias ſylvicolæ tedam in aſſulas oblongas ſcindunt & loco facis aut candelæ accendunt. De candelis his ligneis ita canit MICHAEL PHARETRATUS,

Ruſticus ad ſeros hyberni luminis ignes
Igne ſibi ferro tedas inſpicat acuto,
Nec curat, quamvis hypocauſti limina, poſtes
Atque trabes fumo nigræ & fuligine fiant.

Quales faces jam olim in uſu fuiſſe ritus nuptiales declarant, in quibus tedæ accendebantur. Teda hæc non deſtituitur quoque viribus medicis, nam in aceto decocta collutione dentium dolores ſopire fertur. Paratur quoque exinde Fuligo, de qua infra. Cum ex Pinaſtro, Picea & Abiete multis in locis fiant quoque Carbones, pauca quoque de iisdem diſſeram. Sunt autem Carbones, definiente, AXTIO, ligna ſemiuſta omni humiditate vi ignis privata. Conficiuntur, uti modo dictus author loquitur, ſequenti modo. Carbonarii Die Kohler lignum pinaſtrorum picearum aut abietum (vel etiam aliarum arborum) in cumulos congerunt, hos ceſpitibus undique tegunt & accendunt, quum itaque lignum omni humiditate eſt privatum, acervos totos terra ope-

operiunt, ita ut ignis ſuffocetur, & totus extinguatur, deinde eximunt carbones & divendunt. Carbonum uſus notiſſimus coquis, fabris ferrariis, Aurifabris & pluribus aliis imprimis etiam Chymicis, quippe qui in accendendo igne fere nonniſi carbonibus utuntur. Rariſſime enim ligna, & non niſi ad ſpiritus acidos fortiſſimos eliciendos, uſurpant. Notandum autem utique, quod carbones pro diverſitate materiæ, ex qua fiunt, diverſi etiam ſint. Ex materia dura præſtantiores fiunt quam ex molli. Hinc carbones ex Pinaſtro Picea & Abiete ut & è Tilia, molliores weiche Kohlen ſunt, citius deflagrant, tantum pondus non habent, & ſunt rariores. Meliores ſunt carbones querni & fagini, ponderoſi quippe ac denſi, harte Kohlen/ ob duritiem diutius ignem ſervantes. Hi ultimi itaque potiſſimum in laboratoriis Chymicis uſurpantur; Ex quibus porro exeſſe debent carbones lignoſi adhuc & nondum probe exuſti aut etiam madidi. Habent hoc mali carbones præſertim ex Pinaſtro & Abiete &c. producti, quod effluvia emittant in conclavibus clauſis ſumme noxia, imo homines interimentia. HELMONTIUS talia effluvia per vocabulum gas expreſſit. Habemus celebre exemplum in GLAUBERO apoplectico exhinc facto. Plura ejusmodi funeſta proſtant exempla, qualia collegit FRIDERICUS HOFFMANNUS, in dem gründlichen Bedencken von dem ſchädlichen Dampff der Holtzkohlen. Liceat unius, quod ipſemet obſervavi, mentionem injicere. Ante 25. circiter annos cum aliquibus Dnn. Commilitonibus ſtudioſis in proceſſibus Chymicis elaborandis me exercebam: accidit die quodam, ut cum omnes fere fornaces igne calerent, tempore hyberno, alius quoque ſtudioſus amicus, noſtros labores ſpectaturus, ſub veſperam nos viſeret. Hora ſexta Commilitones Medici mecum ad Collegium practicum ſe conferebant, relicto altero, cui ſerio injunctum fuit, ne feneſtras

&

& januam laboratorii clauderet. At poſtquam nos diſceſſeramus, ſpreto noſtro conſilio & monito laboratorium undique occludit, & fumo Nicotianæ hauriendo ſe addicit. Cum hora 7. è Collegio rediremus, ecce feneſtræ & janua clauſæ, quibus apertis ipſum humi jacentem, alto ſomno quaſi obrutum & ſtertentem deprehendimus. Mox itaque illum in aërem liberum transferebamus, & debitis auxiliis rurſus excitabamus. Cum is, cui hoc accidit adhuc ſit in vivis, ejus nomini parcendum eſſe ducimus. Rationem effectus noxii horum effluviorum hanc reddit modo dictus HOFFMANNUS, quoniam ejusmodi gas non tantum organa reſpiratoria conſtringendo aditum aëri, tantopere ad vitam & circulationem ſanguinis neceſſario, præcludat, ſed etiam gas ſulphuris carbonum, fibras muſculares pulmonum ſpasmodice afficiat, & ſimul ſe in humores quoque inſinuando vim narcoticam ſtupefacientem & ſuffocantem inducat, id quod prolixius probatum ibidem legere eſt. Illud adhuc recenſere non inutile eſſe judicamus, quomodo ejusmodi hominibus, qui a fumo carbonum læſi, ſed nondum extincti ſunt, ſit ſuccurrendum. Ante omnia in aërem liberum temperatum, frigidum magis quam calidum transportentur, mox totum corpus fricetur linteaminibus, & adminiſtretur Venæſectio. Ori & naribus ſpiritus urinoſi volatiles indantur, & ſi hæc non operentur, mediante folle lente & caute aër per os & nares infletur, quo auxilio non ſolum gas noxium commovetur & expellitur, ſed & motus cordis atque pulmonum renovatur. Si adſunt Lypothymiæ, facies aqua frigida conſpergatur, quoniam hoc modo expanſi à ſanguine canales ſanguiferi conſtringuntur, ſicque circulatio rurſus promovetur. Nocent in hoc caſu ſuaveolentia, item opiata & narcotica.

CORTEX

CORTEX PICEÆ.

Eſt Piceæ majoris primæ ſive Abietis rubræ C. B. Pin. cortex rubeſcens, nullo modo fragilis ut in abiete, ſed lentus & flexilis.

πίτυς, πεύκη, PICEA, dicitur etiam ABIES RUBRA, à corticis colore, ἐλάτη ἄῤῥεν ABIES MAS, rothe Tanne/ Pechthannen/ Schwartz-Thannen/ Fichten/ Fichten-Baum/ Ficht-Thannen/ Föhren/ SAPIN ROUGE, PESSE, GARIPOT, PIN SAUVAGE.

Eſt ſpecies abietis nempe

Abies tenuiore folio fructu deorſum inflexo, Tourn. I. R. H. cl. 19. S. 3. g. 1. Picea major prima, ſive Abies rubra. C. B. P. 493. Picea Latinorum, ſive ἐλάτη ἄῤῥεν, Abies mas Theophraſti. I. B. 1. 238. Abies. Dod. Pempt. 866.

Naſcitur in montibus & ſylvis.

Dignoſcitur Picea ab Abiete quoque foliis & conis. Folia ſunt dilutæ viriditatis, nec ita ut in Abiete pectinum modo diſpoſita, ſed ex duobus ſurculorum lateribus & ex ſuperiori parte prorumpunt, nec inferior prorſus eſt nuda, ſed illa ad latera flectuntur, ut intuentibus inferior pars nuda videatur, quæ autem in ſuperiore parte creſcunt, non ita ad latera flectuntur ut inferiora. Abiegnis anguſtiora ſunt, breviora, curviora, acuta & pungentia. Coni ſunt teretes ſpithamæ longitudine, extremitatibus ramulorum annexi, & deorſum pendentes.

SALIX

Cortex hic ſiccat & adſtringit. Juxta SCHWENCKFELDT Coriariis expetitur ad denſanda coria. Vulgo vocant Loh/ Lauh. Noſtri Coriarii adhibent corticem Quercus. &c.

Reliquæ hujus arboris partes ſymbolizant cum Abiete ejusque partibus, non autem tam frequenter uſurpatur. Illud de ligno notandum, quod materies ejus facilis ſit fabris ſed in opere deterior, ut quæ pro aëris conſtitutione intumeſcit, detume-

detumeſcitve, ſubinde in ædificiis crepitans. Lignum hoc porro accenſum imprimis reſinoſum fumum edit atrum & omnia, ad quæ pertingit, nigrore afficientem. Arbor hæcce copioſam quoque fundit reſinam. Nam quando cortex vulneratur in magna copia effluit, ſicuti etiam totus conus, præſertim ſi recens ex arbore venit, plenus eſt reſina, & gratum ſpirat odorem.

CORTEX SALICIS.

Et Salicis vulgaris albæ arboreſcentis. C. B. Pin. Cortex cineraceus aut rubeſcens, fragilis.

SALIX Latinis à ſaliendo dicta putatur, quod ea celeritate creſcat, ut ſalire videatur, Græcis dicitur ἰτέα παρὰ τὸ ἰέναι quod cito in altum abeat. Weiden/ Weidenbaum/ Felbinger/ Felber / SAULX, SAULE.

Eſt arbor flore amentaceo, plurimis nempe ſtaminibus in ſpicam congeſtis conſtante, ſed ſterili. Embryones autem iis ſalicis ſpeciebus innaſci ſolent, quæ floribus carent, ſpicati pariter; abeuntque deinde in fructum ſeu capſulam corniformem bifariam dehiſcentem, ſeminibusque fœtam pappis inſtructis.

Plures reperiuntur Salicis ſpecies, quæ etiam promiſcue uſurpantur, ſequentes potiſſimum in uſum Medicum venire cenſentur, & quæ de his dicuntur, reliquis applicari poterunt. Salix vulgaris alba arboreſcens. C. B. Pin. 473. Salix maxima, fragilis, alba, hirſuta. I. B. 1. 212. Salix Dioſcoridis. Lob. Ic. 136.

&

Salix vulgaris rubens. C. B. Pin. 473. Salix Amerina Lugd. 274.

Creſcunt imprimis locis madidis circa paſcua rigua, florent Martio & Aprili.

SUBER

Salix deſtillatione multum olei & phlegmatis, parum au-

tem ſalis fundit. Non deſunt tamen multæ partes terreſtres. Ratione harum terreſtrium particularum cortex adſtringit. Prodeſt Hæmoptycis. Uſtus & aceto ſubactus clavos calloſque illitu tollit, vitia cutis in facie emendat magis tamen admiſto ſucco ſuo. Valet in vino decoctus æque ac folia ad fovendos nervos: de virtute cineris hujus corticis contra clavos ita diſſerit SIM. PAULI. Medicamentum hoc longe effectu præſtantius obſervabis, ſi huic ſtercoris ovilli probe aceti deſtillati fecibus ſubacti & fermentati tantillum remiſcueris, ut ad conſiſtentiam unguenti redigas, & certo experimento marceſcere verrucas clavosque comperies. Quod ſi vero idem ditioribus commendandum, odor & color adſcititius ſolertia artis pharmacevtices huic conciliari poteſt. Laudatur porro cortex contra hæmorrhagias. Decoctum corticis a quibusdam commendatur contra podagram, item contra furfures capitis Quidam dicunt, quod cortex radicis Salicis barbam conſervet & nigram faciat cum oleo diſſolutus. Celebratur quoque uti & folia in balneis contra ariduram infantum atque tabem, præſertim ſi, ut ſuperſtitioſi credunt, ex veneficio ſeu faſcino laborent. Prodeſt ad nimium menſium fluxum. Juxta KOZACK odontalgia diuturna aufertur, ſi ſalici ſaltem per corticem vulnerato, aſſula ſanguine ex loco dolente tincta inſeratur , ſuperinducto iterum cortice, quo tegitur prædicta aſſula. Succus hujus corticis ad eosdem ſcopos deprædicatur : laudatur quoque ad rubedinem oculorum, & ad lachrymas involuntarias, item ad dolores aurium : In radice ſalicis cum oleo eſt mirabilis proprietas conſervandi & confortandi capillos, ne cadant, juxta BAYRIUM.

Lignum Salicis leviſſimum eſt, habet candorem rigoremque, & in ſculpturis facilitatem. Lentitia ſua commodiſſime inſervit ad ciſtas, corbes, cunas & ejusmodi reliqua, quæ

flexili

flexili crate conſtant, ne dicam jam de aliis uſibus ſatis in vulgus etiam cognitis. Juxta RAJUM lignum hoc ad cultros menſarios exacuendos & poliendos alii cuicunque non ligno tantum, ſed & coti a quodam præfertur.

CORTEX SUBERIS.

Eſt Cortex Suberis latifolii I. B, craſſus, fungoſus levis; arte ita paratus, ut in tabulis diverſæ craſſitei unitis, parum aut minime nodoſis, levibus admodum & aqua innatantibus, facile ſectionem admittentibus compareat, coloris ex gryſeo flaveſcentis.

SUBER dicitur a ſuo, quoniam inſuitur ſolo calceamenti, ob ſiccitatem pedum conſervandam. φέλλυς καὶ ὕψος, quia aquis ſupernatat & ſemper ſummum petit. Pantoffelholtz-Baum / Sohlen-Holtz / quaſi crepidarum lignum, Korck-Baum / Korck-Holtz / à crepitu quem cortex ejus ſub pedibus edit calceis inſutus, LIEGE.

Eſt arbor à Quercu & Ilice diverſa, cortice craſſo, fungoſo, levi, omnibus noto.

Duæ ejus ſunt ſpecies.

Suber latifolium perpetuo virens. C. B. Pin. 424. Suber latifolium. I. B, 1, 103. Suber latifolia. Lob. Icon. 159.

&

Suber anguſti folium non ſerratum. C. B. Pin: 424. Suber folio longiore & anguſtiore. Lugd. 22.

In regionibus calidioribus Italia, Hiſpania in montibus Pyrenæis, Aquitania &c. ſponte provenit.

ULMUS

Incolæ regionum, in quibus Suber occurit, circumſcindunt arborem, qua ſtipes telluri committitur ad lignoſam usque materiam, aut usque ad novum ſubtus naſcentem cor-

 ticem,

ticem, pariterque in ſummis humeris, antequam in brachia dividat ſeſe arbor, mox à ſummo ad imum finditur & detrahitur cortex. Hic deinde in fruſta diſſectus diverſæ magnitudinis & craſſitiei aquæ committitur labipibusque oneratur, ut hoc mediante quaſi prelo denſior minusque poroſus evadat, & admodum planus reddatur. Quo facto exſiccatur, & per omnem fere terram diſtribuitur, & divenditur. Arbores interim non intereunt, ſed novo cortice teguntur, qui in tantam craſſitiem excreſcit, ut ulnam & ultra, ſi fides authoribus eſt habenda, ſuperet.

Duplex generis uti POMET, LEMERY, VALENTINI &c. docent, datur SUBER, alterum ALBICANS, SUBER GALLICUM, das weiße und Frantzöſiſche Pantoffelholtz/LIEGE DE FRANCE, alterum vero exterius NIGRICANS ET HISPANICUM, das ſchwartze oder Spaniſche Pantoffelholtz/ cujus nigredinis cauſam in maceratione cum aqua marina quærunt.

Uſus ejus eſt ad anchoralia navium, piſcantium tragulas, cadorum aliorumque vaſorum, ampullarum vitrearum obturamenta, fœminarum calceatum hybernum &c. Nec mergitur hic cortex, nec ſinit mergi.

Adſtringit hic cortex & ſimul detergit, hæmorrhagias, item alvi fluxus & dyſenteriam ſedat, vel in ſubſtantia in pulvere cuſpidatim uſurpatus, vel in aqua aut vino decoctus. Commendatur etiam ad Gonorrhœam & menſtrua alba. Cinis quoque ſuberis laudatur ad hæmorrhagias, & ad dolorem colicum ſi ad ʒj. ſumatur. Externe hi cineres cum oleo roſaceo & vitello ovi ad dolores hæmorrhoidum ſedandos applicantur. In olla tecta calcinatus ſic dictum *Nigrum Hiſpanicum*, *Noir d'Eſpagne*, ſuppeditat.

℞. Suber. pulver. Lign. Quajac. pulver. Cortic. ejusd. Salſaparill. Cinamom. Coriandri correct. C. Cerv. uſti ana ℈j.

℈j. ex pulveriſatis ſubtiliſſime cum ſaccharo & aqu. Lactuc. q. s. f. Rotulæ, quas LANZONUS in Gonorrhœa pluries feliciter eſt expertus.

℞. Suberis pulveriſati, Cortic. Lign. Quercus, rad. ſymphyt. major. ana ℔ß. Coqu. in aqua fabrorum & vapor divaricatis cruribus pudendo excipiatur, ſæpiusque repetatur.

℞. Suberis pulv. radic. ſymphyt. maj. ana ℥iiij. torment. biſtort. ulmar. ana ℥ß. Herb. agrimon. man. iij. ſalv. beton. roriſmar. myrt. origan. puleg. ana man. ij. flor. balauſt. man. j. Alum. ℥j. coqu. in aqu. fabror. pro inſeſſu. Hoc balneum ut & præcedens fotus conducit in incontinentia urinæ a ruptione & dilaceratione colli veſicæ & cervicis uteri.

ULMUS.

Sunt Cortices Ulmi I. B. externus & internus. Externus in ramis Junioribus ex cinereo rubet, nunc lævis eſt, nunc profundiſſimis ſulcis eminentiſſimisque porcis ſecundum longitudinem exaratur, pro vetuſtate in rimas finditur & admodum rugoſus & inæqualis evadit. Interior albus eſt, lentus admodum & tenax, ut in longum facile ſine ruptura detrahi poſſit. Ambiunt lignum ſolidum firmum, ſubflavum.

Ulmus,

ULMUS Græcis πτελέα dicitur, Ulmbaum/ Ilmenbaum/ Ruſten/ Rüſtbaum/ Rüſtholtz/ Yffenholtz/ Ulmerbaum/ Lindbaſt/ Effenbaum/ ORME.

Ulmus eſt arbor flore monopetalo, campaniformi, ſtaminibus inſtructo, a cujus fundo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum membranaceum ſeu foliaceum veluti cordiformem, in cujus meditullio capſula pyriformis poſita eſt, membranacea pariter, ſemine fœta ejusdem formæ.

Ulmus campeſtris & Theophraſti. C. B. Pin. 426. Ulmus. I. B. 1. 139. & Dod. Pempt. 837. Ulmus vulgaris cum ſamarris ſive ſeminibus ſuis Parck. Theatr. 1404. Ulmus vulgatiſſima folio lato ſcabro. Gerard. Emacul. 1480.

Ulmus lucos aquasque deſiderat. In ſylvis etiam noſtratibus haud infrequens etiam inter Querceta aut ad marginem. Provenit etiam in montibus & ſaxoſis locis, naſcitur quoque & pinguibus lutoſisque campis. Germinat inter primas, mox Sole in Arietem tranſeunte florere conſuevit, ſemen Majo matureſcit. Folia mox poſt ſolſtitium æſtivum convertit, quo argumento ruſtici ſolſtitium tranſactum ſciunt.

FRANGULA

Ulmus, ut KOENIG diſſerit, partes tenues incidentes, ſeu ſal volatile terreſtribus particulis copioſis involutum habet, unde etiam cortex non ſaltem adſtringit, ſed & fibras roborat, & phlegma viſcidum incidit. Cortex uterque ad lepram laudatur, ſi vel tritus cum aceto illinatur vel ſi faſciæ loco circumvolvatur. Cortex porro ad ℥j. in aqua vel vino infuſus, & infuſum potum alvum purgat, pituitamque & aquas educit. Cortex porro hic, ſi in aqua communi decoquatur, donec aqua conſiſtentiam fere Syrupi acquirat, decocto autem admiſceatur tertia pars aquæ vitæ (per quam intelligitur Spiritus Vini ſimplex ex vino deſtillatus) ſingulare eſt remedium adverſus dolorem iſchiadicum, ſi pars affecta eo ad ignem aliquandiu foveatur. Cortex etiam vulnera glutinat. Radices eandem vim habent vulnera glutinandi, nam decocto earum (aut potius corticis radicum juxta DIOSCORIDEM) quidam perfundunt fracturas, unde eas celerius obducto callo conſolidant. Idem decoctum articulorum durities emollit & nervorum convulſiones reſolvere dicitur. Decocto radicum innatans pinguedo illita pilos defluxos reſtituit. Cortex inſuper radicis contuſus & muria us-

que

que adeo ſubactus, ut malagmati ſimilis ſit, illitus podagricos dolores mulcet.

Decoctum corticis medii ulmi ad ambuſta valet. Balneum exinde paratum laudatur in contracturis & membrorum ſpaſmis. Decoctum porro hoc cum verbaſco commendatur ad hæmorrhoides dolentes.

Lignum Ulmi vel in ſicco vel in aquis diutiſſime durat, at viciſſitudinum ſiccitatis & humiditatis minus patiens eſt, Ligna noſtratia reliqua præter Cornum firmitate fere omnia vincit. Ulmorum olim eximius uſus fuit ad maritandas vites. Hodie lignum multum quoque partim ab opificibus uſurpatur, partim in culinis deſideratur. Plura videantur in JOH. BAUHINO.

℞. Cortic. Ulmi ℥vj. radic. Glycyrrhizæ ℥ß. paſſul. maj. No. 20. flor. roſar. rubr. p. ij. fiat. decoct. in colat. Solv. Oxymell. Simpl. Mell. roſar. ana ℥ij. f. gargariſma ad faciliorem expectorationem in faucibus. In gingivis putridis poteſt cum aqua calcis coqui.

CORTICES SALE FIXO ACRI CONSTANTES ET VEHEMENTISSIME PURGANTES.

Frangulæ.
Nucis juglandis.

CORTEX FRANGULÆ.

Eſt cortex medianus tum arboris tum præſertim radicis frangulæ, flavus aut ex flavo vireſcens, croceo colore tingens, amaricans.

Cortex

FRANGULA ita dicitur, quod facile frangatur, ALNUS NIGRA BACCIFERA, ARBOR FOETIDA, Läußbaum/ Hundsbaum/ Faulbaum/ à fœtido tum colore, tum ſapore, tum odore. Zapffen-Holtz/ quod epiſtomia ex hoc ligno conficiantur, Schießbeeren. AULNE NOIRE, BOURGENE.

Eſt Arbuſcula flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis inter diviſuras calycis monophylli poſitis conſtante: è calycis autem fundo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu baccam mollem, duobus plerumque ſeminibus fœtam planis & ſubrotundis.

Frangula. Dod. Pempt. 784. Alnus nigra baccifera. C. B. P. 428. & I. B. 2. 560.

In ſylvis humidioribus uliginoſo ſolo fruticat.

IN

Cortex hic ſale acri & irritativo gaudet. Incidit, attenuat, aperit, violenter purgat tum per ſuperiora tum per inferiora. Uſurpatur tum recens, qui violentior eſt, tum exſiccatus in umbra, qui mitior. Datur ad ʒj. in infuſo ad ʒij. ʒiij. &c. Ob violentiam à quibusdam adduntur corrigentia, Cinamomum nempe, Zingiber, Spica, Aniſum &c. Alii ruſticis hoc remedium relinquunt. Gaudet inſuper etiam virtute adſtringente & roborante, ita ut propterea quidam appellent RHABARBARUM RUSTICORUM. Decoquitur ad hydropem, cachexiam, icterum & obſtructiones viſcerum. Vulgus corticem luteum flori lactis incoquit, contra ſcabiem præſentiſſimum remedium. Novi attamen, inquit SCHWENCKFELDT, ejus uſu Agricolas hydropicos factos & pene ſuffocatos fuiſſe, repentina malignæ materiæ repercuſſione. Ea propter ab ejus uſu abſtinendum eſſe ſuadeo, niſi prius corpus probe evacuatum fuerit. Quidam hunc corticem vel in aceto vel Butyro decoquunt, & in ſcabie uſurpant.

℞. Corticum frangulæ ſubluteorum ℥ij. Cort. Rad. Cappar. ℥ß. fol. Senn. Al. S. S. ℥j. Epithym. ʒiij. fibr. helleb. n. pp. ʒij.

ʒij. Lign. Saſſafr. Sanct. Lentiſc. ana ℥iij. herbar. fumar. acet. ana p. iij. flor. violar. borrag. Sambuc. ana p. v. Sal. ♀, Geniſt. ana ʒß. Conciſa contuſa incl. nodulo, qui in Vinum immergi debet, pro cacochymicis atque cachecticis.

IN OFFICINIS EXTAT.

Unguentum de Rhamno & Frangula Mindereri, Rauden/oder Grindſalb/ *Onguent de Rhamno & frangula* ou *contre la Galle.* Ad cutis vitia ex ſcabie utile eſt, tutius longe ex mente authoris omnibus mercuriatis.

CORTEX NUCIS JUGLANDIS.

Eſt cortex arboris Juglandis nucis medianus, viridis.

Virtute gaudet, decerptus dum adhuc ſucculentus eſt ſiccatusque, emetica, ut SCHROEDERUS loquitur.

Doſis eſt ad ʒß. ad ʒj.

Cortex hic interior, uti cum aliis docet HOFFMANNUS, de arbore ejusque radice decerptus in forma orbiculari, ac per horam in aceto infuſus atque pulſibus in utriusque manus carpo ac plantis pedum in febribus ardentibus loco veſicatorii applicatus prodeſt.

℞. Cort. med. ramor. nuc. jugland. ℥ß. lap. prunell. ʒiij. contunde cum acet. deſt. vel ſimplici vel antipeliſtentiali quodam, & aq. roſar. q. s. fiat cataplasma revulſorium in febribus ardentibus ad pulſus manuum, ut docet HOFFMANNUS.

CAPUT TERTIUM
DE
LIGNIS.

LIGNA SALIBUS OLEOSIS AROMATICIS CONSTANTIA.

Buxi.
Ebenum.
Thuyæ.
Quajaci Patavini.

LIGNUM BUXI.

Lignum Buxi eſt coloris pallide flaveſcentis , conſiſtentiæ ſatis compactæ & ponderoſæ, ſaporis amaricantis, odoris, ut videtur, expers.

Conſtare partibus reſinoſis vel ex perpetua fruticis arboriſue pateſcit virore. Vires obtinet penetrandi, atque ſudorem movendi. Multi (aliis licet contradicentibus,) non omni absque ratione Ligno Quajaco ſubſtituunt, commendantque ad Luem Veneream morbosque affines. Virtute porro adſtringente gaudere quidem aſſerunt , & propterea alvi profluvia ſanare. Juxta HOFFMANNUM in CLAVE AD SCHROED. ſciendum eſt, ex Buxo diverſos una vice deſtillari poſſe Spiritus. Deſtilla ſcilicet bonam quantitatem Buxi & prodibit ſubacidus Spiritus , in hunc convenientem Corallorum rubrorum quantitatem injice , ut alter Spiritus naturæ non acidæ ſolus adſcendat , Spiritus gravi odore &

ſapore

ſapore admodum penetranti absque omni tamen aciditate, à priori acido longe diverſus. Solutio Corallorum rubrorum cum priori acido facta tincturam rubram præſentat. Alter non acidus peculiare ſalinorum corporum genus conſtituit, dum nullam effervefcentiam in acidis relinquit nec in alcalibus producit. Sunt, qui cum QUERCETANO raſuram Ligni in aqua aliqua appropriata contra epilepſiam & vermes commendant. Dicitur quoque obtinere virtutem narcoticam, & propterea dentiſcalpia ex eo facta magnifiunt, ſicuti quoque decoctum aut lixivium hujus Ligni pilos copioſiſſimos producere fertur. Fabuloſum utique videtur, quando ſuperſtitioſi quidam pronunciant, Buxum facere non ſolum ad reprimendam voluptatem veneream, ſed & ad ipſum fugandum Diabolum, ita ut in proverbium abierit Germanicum.

Wir wollen ihn mit Buxbaum beſpicken/
Und dem Teuffel zum Neuen Jahr ſchicken.

Ne dicam de eo, quod TRAGUS Buxum cum Diabolo fugiente & Gallo depingere fecerit. Haud pauci ex hoc Ligno parant oleum, cui inſignem virtutem anodynam adſcribunt & propterea ad odontalgiam laudant, ſi cum goſſypio applicetur. Commendatur quoque in epilepſia, verminatione &c. Sunt qui pro oleo Heraclino Rulandi habent, aliis authoribus maxime contradicentibus. Notum alias eſt, quod hoc lignum compactiſſimum, putredini atque cariei non admodum obnoxium, inſerviat ad pectines pyxides, cultrorum manubria, Fiſtulas, Inſtrumenta Mathematica & ſexcenta alia præparanda.

LIGNUM EBENUM.

Eſt Lignum omnium ponderoſiſſimum, compactum politum, coloris nigri aut ſaltem ad nigredinem accedentis, ſaporis mordacis, odoris nullius niſi accendatur, ubi aliqualem cum gravitate tamen conjunctam ſpirare ſolet fragrantiam.

Eben Holtz. BOIS EBENE.

Quæ Lignum hoc juggerit arbor naſcitur in inſula Orientali à Mauritio Duce Aurantiorum appellata. Reperitur etiam in Regno Calecut, inſula Ceylon, Braſſilia &c.

Arbor Ebenus, teſtante HELBIGIO in Ephem. N. C. juglandem plane refert, præterquam quod Ebeneæ niger cortex albis mixtus ſit punctis, & folia, juglandinis paulo minora, praſinum ferant colorem, Menſibus Septembris & Octobris poma gerit oblonga, viridia & juglandes magnitudine ſuperantia, quorum acidula caro cibum aut nucleum ceu mala perſica exhibet. Malorum ſylveſtrium Europæorum ſaporem habent. Exteriorem corticem ſequitur molle (ut ſalicinum) atque albiſſimum lignum, cujus medulla Ebenum eſt. Adeo lente hæ arbores excreſcunt, ut novem annis ſignatarum quarundam ambitus ne pollicis latitudine auctus fuerit.

THUYA

Duplicis, juxta LANGIUM, generis reperitur lignum, alterum verum, alterum ſylveſtre. Verum ſylveſtri ponderoſius magisque nigrum eſt & ſi accendatur non injucundum ſpirat odorem. Sylveſtre pondere, ac nigredine vero cedit, minime vero ſplendore & elegantia. Utrumque vero adeo eſt ponderoſum, ut ſtatim ſubſideat in aquis.

Lignum hoc, quod meditullium arboris eſt, dicitur eſſe admodum friabile, ſi crudum ſtatim exportatur: ut igitur aptum reddatur diverſis operibus, prius in aſſeres diſſectum, per biennium vel triennium ad ſeptem aut octo pedum alti-

tudinem

tudinem intra terram humidiorem ſepeliunt, quo tractabilior fiat prædicta materia.

Uſus hujus Ligni, uti prædictus LANGIUS loquitur, mechanicus magis eſt, (varia nimirum opera inde fiunt capſulæ, thecæ, pectines &c.) quam Medicus. Raſpatura interim ſudorem movet, hinc in Lue venerea convenit, aliisque viſcoſitatibus humorum, quas reſolvit. Non igitur mirum ſi convulſivi motus ex hac cauſa oriundi decocto hoc per quadraginta dies aſſumpto fuerint curati. Oleum deſtillatum Paracelſus laudat in doloribus arthriticis, podagra, paralyſi, morbis venereis & puſtulis.

LIGNUM THUYÆ.

Eſt Lignum Thuyæ Theophraſti C. B. Pin. materiei abietis ſimile, reſinoſum, cortice cinereo aut rubente tectum, graviter odoratum.

Lignum

THUYA ſive THYA dicitur à θύω ſuffio, ob odorem aptitudinemque ad ſuffitum. ARBOR VITÆ vocatur, quod perpetua viriditate vivat, odoremque vivacem ſpiret. Appellatur quoque ARBOR PARADISIACA, CEDRUS AMERICANA, Lebens-Baum / Brunn des Lebens / Americaniſcher Ceder-Baum / ARBRE DE VIE.

Eſt arbor, cujus embryones ſquamoſi abeunt deinde in fructus oblongos, inter quorum ſqamas occurrunt ſemina veluti marginata. His notis addenda ſunt folia ſquamoſa.

Thuya Theophraſti. C. B. Pin. 488. Arbor vitæ ſive Paradiſiaca vulgo dicta odorata ad ſabinam accedens. I. B. 1. 286. Arbor vitæ Cluſ. Hiſt. 36.

E Canada ſepentrionalis Americæ provincia, in Galliam primum illata & FRANCISCO PRIMO Regi, Arboris vitæ nomine donata eſt hæc arbor, inde autem in alias regiones translata. Colitur in hor-

tis Cœmiteriis aliisque locis. Perpetua coma viret, frigoris patientiſſima, niſi quod hyeme fuſcum & uliginoſum colorem contrahant folia, quæ novo vere priſtinum nitorem & viriditatem recipiunt.

Ex ſapore & odore colligitur hanc arborem tenuium eſſe partium.

Lignum hoc virtute gaudet detergente, cephalica & ſudorifera. Venenis reſiſtit morbisque oculorum & aurium medetur, tum in ſubſtantia tum in infuſo uſurpatum. Ramuli contuſi naribus impoſiti ſanguinem elicere dicuntur. Elicitur quoque tum ex hoc ligno, tum ex foliis aqua & oleum utile ad dolores podagricos.

QUAJACUM PATAVINUM.

Eſt Lignum Quajacanæ I. B. coloris cineracei vel ſubcærulei, cortice tenui rugoſo & fuſco veſtitum.

Lignum

Vocatur etiam PSEUDOLOTUS, LOTUS AFRICANA altera, QUAJACUM PATAVINUM à virtute, juxta Fallopium, & ab horto Patavino. FABA GRÆCA, DIOPSYROS. Vermeinter Zürgelbaum/ grün Ebenholtz/ vermeint Frantzoſenholtz. GUAJACANA.

Eſt arbor flore monopetalo, campaniformi, plerumque quadripartito è cujus calyce ſurgit piſtillum infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum mollem ſubrotundum multicapſularem ſeminibus fœtum ex I. B tanta duritie, ut vix dentibus atteri poſſint, ex CÆSALPINO vero cartilagineis.

Duæ occurrunt ejus ſpecies

Guajacana. I. B. 1. 238. Lotus Africana latifolia. C. B. Pin. 447. Diopſyros ſive faba Græca latifolia, Pſeudolotus Matthioli. Lugd. 349.

&

Guajacana anguſtiore folio. Tourn. I. R. H. cl. 20. S. 2. g. 5. Lotus Africana

Africana anguſtifolia ſive fœmina, C. B. P. 447. Diopſyros ſive Faba Græca anguſtifolia ſeu Lotus Africana, Lugd. 349.

Africanæ originis eſt arbor: Colitur in hortis non tantummodo Patavii, & in aliis Italiæ locis, ſed & reperitur in aliarum regionum viridariis.

Lignum hoc juxta FALLOPIUM aliosque iisdem ac Guajacum viribus gaudere & ejus vices ſupplere poſſe perhibetur. Suadent autem, ut in dupla doſi adhibeatur. Virtutem quoque alexipharmacam habere creditur. Decoctum corticis Dyſentericis fœminisque profluvio laborantibus confert. Baccæ immaturæ adverſus ulcera oris ceu ſingulare præſidium laudantur. Adſtringunt enim abſorbentque & quia alvum ſiſtunt in fluxionibus commendantur. Succus ex ſemimaturo fructu expreſſus linteo vel ſpongia exceptus deſperatas hæmorrhoidum fluxiones ſiſtit, ideoque cum alumine inſpiſſari poteſt, & ad uſum reſervari ex mente PRÆVOTII.

LIGNUM CONSTANS SALE BLANDO DIURETICO.

Betulæ.

LIGNUM BETULÆ.

Eſt Lignum Betulæ Dod. candicans tenax & flexile, multiplici libro candicante, & quaſi pellucido veſtitum.

Arbor

BETULA, Bircken/ Birckenbaum/ BOULEAU. Vocatur à quibusdam ARBOR SAPIENTIÆ, quoniam virgas ad caſtigandos pueros ſuppeditat.

Eſt arbor flore amentaceo, plurimis ſcilicet foliolis, axi ſeu capilla-

mento

mento affixis, apicibusque fœtis conſtante ſed ſterili : embryo enim à flore ſeparatus abit in fructum cylindraceum, ſub cujus ſquamis axi affixis occurrunt ſemina alata.

Betula Dod. Pempt. 839. & I. B. 1. 148.

Creſcit in ſylvis & montibus. Primo vere Juli, folia vero Aprili prodeunt.

Arbor

Arbor hæc, ut cum KOENIGIO loquar, varia in uſum medicum ſuppeditat : ob vim nimirum bituminoſam modice per arborem diſperſam, ut & ob Nitroſitatem in eo latentem varia præſtat. Folia, quæ amara ſunt, reſolvunt aperiunt, abſtergunt, hinc in Hydrope & ſcabie laudantur externe impoſita decocta in aqua. Cum alumine & aqua decocta colorem luteum exhibent pictoribus, aſſerente SCHWENCKFELDT. Cortex arboris ſuffitu aërem corrigit, juxta quosdam cortex hic loco papyri olim inſerviit. Cortex porro tenellus & papyraceus quaſi, recens, ſi inter duas patinas coerceatur, ut ſupra carbones liquor oleoſus exudet, exhibet remedium euporiſton in gravi auditu, murmuratione & tinnitu aurium guttatim uſurpatum. Fungus betulinus gaudet vi adſtrictoria unde hæmorrhagiis medetur. Summitates arboris betulæ cum æquali copia ſegetis ſecalinæ recentis commixtæ & groſſo modo pulveriſatæ, & ſuper prunas pro ſuffumigio projectæ certiſſime lochiorum nimium fluxum compeſcunt experientia HOYERI, in Eph. Nat. Curios. Ex Betula obtinentur circuli ad dolia conſtringenda probatiſſimi. SUCCUS, SYNOVIA, AQUA, das Bircken-Waſſer / EAU DE BOULEAU eſt remedium inſigne mundificativum ſanguinis, ſpirituoſitate ſua tubulos partium permeans & liquorum acrium correctivum, antitartareum ſummum, arenulas renum non ſolum,

ſed

ſed & calculum expellit fibrasque criſpatas relaxat. Hanc ultimam virtutem nempe diureticam multi magni faciunt, HELMONTIVS, BOYLE, CHARLETON &c. & quidem adeo, ut, cum ETTMULLERO, à quibusdam LIGNUM NEPHRITICUM EUROPÆUM Ligno Nephritico exotico ſubſtituendum appelletur. Ob vim aperitivam porro atque ſanguinis correctoriam commendatur in ictero, ſcorbuto, arthritide Melancholia atque ſcabie. Succus autem hic ex arbore ſauciata extillans bibendus recens & dulcis, tum pro ſedanda ſiti, tum etiam pro ſcopis prædictis, & quidem debet aſſumi tempore matutino, primis quidem diebus hauriendo uncias ſex aut octo, poſtmodum vero libram integram ad duas usque, cum regimine pro ratione circumſtantiarum. Quidam hunc liquorem ex betulæ cæſura ſollicitatum, ob dulcedinem ad fermentationem pronum, ad Majum usque menſem, affuſo oleo olivarum, præſervatum, eo demum tempore uſurpare ſolent. Quidam cum hac Synovia & aqua ad eundem finem Melicratum parant. Alii eundem fermentatione accedente in liquorem vinoſum commutant, & ad morbos prædictos adhibent. Commendatur quoque externe ad faciem clarificandam maculasque delendas. Curioſum eſt, quod ſuccus hic coagulo, ex quo Caſei coeunt, commixtus eos à teredine & vermibus præſervet: item quod Caſei liberentur à vermibus, ſi veruculis à ſcopis præſertim recentibus deſumptis aliquoties transfigantur. Sunt, qui dicunt morbos ab incantatione per lignum quercus inductos per uſum Betulæ ſolvi poſſe. Tandem notandum CHRISTIANUM JOHANNEM LANGIUM cenſere, liquorem WALDSCHMIDII contra variolas (de quo judicante LANGIO author inſtar Agyrtæ multum deblaterat in Anchora ſalutis pro varioloſis) nihil aliud eſſe quam tincturam florum aquilegiæ cum ſucco betulæ extractam.

LIGNA TERREIS CONSTANTIA.

Braſilianum.
Coryli.
Loti arboris.
Hederæ.
Fagi.
Taxi.
Viſcus Corylinus.
Viſcus Salicis.

LIGNUM BRASILIANUM.

Eſt interior medullaris ſubſtantia arboris cujusdam Braſilianæ Ibirapitanga dictæ, admodum ſolida & compacta & ponderoſa, triplici ſub colore, flavo nempe purpureo & rubro apparens, ſaporis ſubdulcis, odore carens.

Uſus

Arbor hæc Braſilia a regione, in qua provenit, nomen gerit, quamvis, uti LANGIUS narrat, in aliis locis tam Orientalis quam Occidentalis Indiæ proveniat. Dicitur etiam ARBOR BRASILIENSIS, PSEUDO SANTALUM RUBRUM, Braſilien-Holtz/BOIS DE BRESIL, BOIS DE FERNAMBOUC.

Braſilia arbor. Parck. Braſilium lignum. I. B. 1. 490. Pſeudoſantalum rubrum ſive Arbor Braſilia. C. B. Pin. 393. Ibirapitanga Braſilienſibus Margrau. Ibira Pitanga ſive Lignum rubrum Piſon.

Arbor, uti LANGIUS cum aliis refert, eſt ſatis procera, horrendæ ſæpius craſſitudinis, ut eam tres homines amplecti haud poſſint; folia habet Buxi corticeque cinereo craſſiſſimo tegitur, flores fert quinquepetalos ex rubro flaveſcentes, fragrantia floribus Liliorum convallium re-

reſpondentes, poſt flores ſequuntur ſiliquæ compreſſæ digitorum duorum latitudinem adæquantes.

Creſcit hæc arbor non in locis Braſiliæ mari vicinis, ſed tantum in mediterraneis ſylvis. Creſcit etiam in Japania, in Inſula Samon, Stæ. Marthæ & Antillis.

Bene notat Langius quod tantum abſit omne lignum prædictæ arboris dare coloratam illam ſubſtantiam, minina ſiquidem tantum moles eſt tam vaſtæ arboris, quæ illam ſuggerit. Demi namque poſt corticem maxima portio ligni debet, antequam medulla ſeu matrix rubra appareat, quæ vix ad craſſitiem tibiæ accedit. Species Ligni Braſiliani eſt, quæ Fernambock, Fernambuck/ſalutatur: hoc ipſum non ſitit ut aliud lignum Braſilianum, neque dulcedinem illam in ſe habet quæ rubro in eſt, colore tamen magis purpureo gaudet. Fernambock vero nomen accepit à Fernambuco, arce Luſitanorum in Braſilia conſtructa, ubi indigenæ magnàm faciunt mercimoniam cum hac ligni ſpecie.

[illegible] λαιτός

Uſus Tinctoribus magis quam Medicis notus, cum alumine nimirum & gummi Tinctores lanam & pannum cum linteaminibus colore ruberrimo imbuunt. Calce addita obſcuratur, acido exaltatur. Ova quoque ſic dicta Paſchalia hujus Ligni Tinctura cum aqua facta rubedine inficiuntur, ſicuti etiam hoc ligno mediante radices althææ pro ſcopo dentifricio colore tinguntur rubro. In Medicina decocta Ligni Braſiliani febrilem æſtum mitigare, tonum ſtomachi & reliquorum viſcerum roborare, oculorum inflammationem abigere dicuntur. Hactenus LANGIUS. Mechanicus uſus hujus Ligni eſt ad multa opera fabrilia & alia. Quanti hujus Ligni raſura ſit laboris, novit optime, pronunciante PISONE, Ergaſtulum Amſtelodamenſe.

LIGNUM CORYLI.

Lignum Coryli materiem habet candidam atque mollem, cŏrtice autem, præſertim, ubi annoſa fuerit, tegitur incano.

Notiſſimum eſt, quod ex Corylo deſumantur ſic dictæ *Virgulæ Divinæ*, aut *divinatoriæ*, die Wünſchel-Ruthen/ *Baguettes divinatoires*, quibus præprimis latentes metallorum venas aut abditos aquarum fontes, imo juxta quosdam theſauros abſconditos, fures & ſicarios profugos detegere licet. De hisce autem *virgulis divinatricibus* ſeu *Mercurialibus* agere hujus loci non eſt. A quibusdam laudantur, ab aliis ſpernuntur.

Serpens virga corylina, quæ eſt admodum tenax, percuſſus torpeſcit. Lignum hoc certo ſiderum poſitu collectum ſanguinem ſiſtit. BORELLUS aſſerit, hoc lignum facere ad contuſiones & fracturas ſolo contactu curandas. Nempe Coryli virgultum ab internodio uno ad aliud, digiti minimi ad minimum craſſitiem æquans, Sole in arietis ſignum ingreſſum faciente, ſecetur, & cera Hiſpanica utrinque ſigilletur, ſicque ſervetur ad uſum: fracturas autem ſed præcipue, luxationes, cum contuſione, baculo illo aliquoties perfricabis, & ſufficiet, ſic quaſi incantamento curabuntur. Das Ding lautet lügerlich und iſt doch kaum wahr.

Celebratur quoque multum hoc lignum contra veneficia & incantationes; ad tales autem morbos detegendos jubent ægrum media nocte ſuper cineres coryli bene combuſtos mingere. Dicunt enim poſt evaporationem lotii in cineribus pilos reperiri, ſi morbus fuerit magicus: ſed & hoc videtur eſſe ſubleſtæ fidei.

Scobs ſeu Schidia & ſegmenta Ligni Coryli in vinum tur-

turbidum conjecta brevi temporis ſpatio id clarum reddunt & limpidum.

Ex hoc ligno quidam deſtillant ſpiritum, alii oleum, quod dicunt eſſe oleum Heraclinum, cui magnæ virtutes attribuuntur, calefacientes, incidentes, imprimis antepilepticæ & anodynæ, in doloribus dentium, item contra vermes. Datur guttatim interne.

Addere hic liceat Julos Coryli, mature ſub initium anni prodeuntes collectos, ſuppeditare pulverem flavum farinaceum inſtar ſeminis Lycopodii, qui inter ſecreta contra Epilepſiam refertur. Vulgus ex Julorum lætiori proventu præſagit uberrimas illius anni avellanas. VIRGILIUS vero ex Julorum copia, vel defectu annonæ ubertatem prædicit, ita canens.

Contemplator item, cum ſe nux plurima ſylvis
Induit in florem, & ramos curvabit olentes:
Si ſuperat fœtus pariter frumenta ſequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore.
At ſi luxuria foliorum exuberat umbra,
Ne quicquam pingues paleæ teret area culmos.

Tandem notandum, quod multi hos julos pro floribus non agnoſcant, ſed potius ſtamina iſta ſeu filamenta coccinea in internodiis una cum julis flores eſſe ajunt: aſt rectius TOURNEFORTIUS, RAJUS aliique Julos flores eſſe contendunt.

LIGNUM LOTI ARBORIS.

Eſt Lignum Loti arboris Lob. denſum, nigricans, cortice lævi, ſubalbido tectum, amarum, adſtringens.

λωτὸς δένδρον, Lotus nomen accepiſſe fingitur à Loto Nympha in eam commutata CELTIS, Zürgel-Baum/Neßelbaum/MICOCOULIER.

Celtis eſt arbor flore roſaceo, ſtaminibus breviſſimis plerumque ſtipato, è quorum meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu baccam oſſiculo fœtam ſubrotundo.

Celtis fructu nigricante. Tourn. I. R. H. cl. 21. S. 2. g. 1. Lotus fructu Ceraſi. C. B. Pin. 447. Lotus arbor. Lob. Icon. 186. Lotus arbor fructu Ceraſi. I. B. 1. 229.

In Syria & Africa dicitur eſſe communis hæc arbor. Reperitur etiam in Gallia Narbonenſi & Italia, in ſepibus. Colitur in hortis, floret Junio.

FAGUS

Ligni hujus ramenta commendantur in muliebri profluvio, dyſentericis & cæliacis affectibus. Decoquuntur nunc in aqua nunc in vino, prout uſus popoſcerit, nec infunduntur tantum ſed & bibuntur. Ob virtutem adſtringentem & exſiccantem laudantur quoque ad pilos defluentes cohibendos. Fit & è ſcobe hujus ligni ex aqua Myrti decocta ſubacta & diviſa in paſtillos medicamentum dyſentericis utiliſſimum. Datur ad ʒj. & ultra. Lignum hoc ad tibias & ad alia plura utile: ad cavandum enim aptum eſt, nec facile teredinoſum evadit.

LIGNUM HEDERÆ.

Eſt Lignum Hederæ arboreæ, cortice magna parte rugoſo, cinereo, in novellis ramis viridi, materie alba firma conſtans.

Vulgo jactatur, Vinum ab aqua ſeparari, ſi vas ex hederæ ligno conficiatur, eique vinum infundatur, cui aqua permixta ſit, brevi enim permanente vino aquam extillare;

Alii

Alii autem dicunt vinum extillare, remanente intus aqua. Utrumque falſum eſſe WORMIUS aliique deprehenderunt. Alias hoc lignum in decocto aut infuſo commendatur ſpleneticis. Hinc exinde tornantur calices & cochlearia. Epilepticis commendant, ut cum cochlearibus hederaceis cibos aſſumant. Sunt, qui dicunt potum ex hederæ ligno præcavere uvulæ & gutturis apoſtemata. Decoctum althææ, in quo maceratum fuit lignum hederæ, laudatur in angina. In globulos hoc lignum formatum cum ſucceſſu fonticulis imponitur. Phthiſicis quoque commendantur pocula hederacea.

LIGNUM FAGI.

Eſt Fagi Dod. lignum firmum, album, maculatum, cortice lævi, ſubcinereo, mediocriter craſſo tectum.

Fagum

FAGUS à voce Græca Dorica φαγός pro φηγός id eſt edo, ſive quia ejus fructu homines veſcebantur ante fruges inventas, ut EUSTHATHIUS ait, ſive quod vulgo ſaltem hoc cibo uterentur, quia exiguo labore pararetur, contra quam fruges, ut is rudioribus ſeculis ditiorum tantum cibus fuiſſe videatur: ſive etiam, quod ſues aliaque animalia fructu hujus arboris ſaginentur. Cave autem, inquit RAJUS, credas Latinorum Fagum eandem eſſe arborem cum Græcorum φηγῷ. Hæc enim Quercus ſpecies eſt. Dicitur etiam Græcis Ὀξύη, ὀξύα, ὀξεία, à foliorum forma & forſan calycis & fructus ſapore. Buche/ Buchbaum. HETRE, FAU, FOUTEAU, FAYANT.

Eſt arbor flore amentaceo glomerato, plurimis nempe ſtaminibus conſtante, è calyce campaniformi ſurgentibus. Embryones autem in eadem arbore à floribus ſeparati naſcuntur, abeuntque in fructum calloſum, acuminatum, quadrifariam dehiſcentem apice, binis plerumque ſeminibus fœtum trigonis.

Fagus

Fagus. Dod. Pempt. 832. & C. B. Pin. 419. Fagus Latinorum, Oxya Græcorum. I. B. 1. 117.

In montibus, collibus & ſylvis montoſis atque planis præſerrim humentibus provenit. Floret Aprili & Majo.

Τάξος,

Fagum ſepibus topiariis conficiendis egregie, hodiernis præſertim temporibus, inſervire nemo eſt qui ignorat, ſicuti etiam notum, qualibus uſibus oeconominis ſit deſtinatum hoc lignum. Illud Chymici notare debent, quod carbones Fagini omnium fere ſint optimi. Sunt qui dicunt, Viperas ramulo fagino tactas obſtupeſcere ac mori, forſan ſi eo bene percutiantur. Cinis ex ligno fagino ulcera ſordida etiam Gallica ſanare dicitur. Lixivium ex cineribus paratum & aliquoties colatum cum parca quantitate vini & ℥ij. aluminis ad articulorum roborationem valet, juxta JONSTONUM. Arthriticis quoque convenit juxta RIEDLINUM; Cum camphora & ovi albumine à SENNERTO in Eryſipelate celebratur. Vapor hujus lixivii ad genitalia admiſſus ſecundinas pellere fertur. Non temnendum juxta multos præſertim SIMON. PAULI in Q. B. eſt vulgi euporiſton; nempe aqua illa aut ſuccus, qui in cavis fagis reperitur: eo quippe, ſi manus aut aliæ corporis partes, ſerpigine ſcabie aut ſimilibus vitiis infeſtatæ laventur ita, ut ſponte ſua, non deterſæ, ſicceſcant, facile iis mederi vulgus ſolet: ſed eo deficiente nonnulli pari ſucceſſu utuntur madore illo, qui interim, dum ligna fagina in fornacibus aut focis comburuntur, exſudat. Mulierculæ etiam edoctæ ſunt favillas faginas remiſcere pulpæ toſtorum malorum ſylveſtrium, ut ex iis contra cruſtoſam infantum capitis ſcabiem linimentum parent, quod dein aqua, in qua piſa cocta ſunt, ut ſponte decorticentur ad cremorem ex iis parandum, addito tantillo centaurii minoris vel abſynthii Corymborum

rymborum ſemel atque iterum lavant. Jucundum, ut BAUHINI verbis utar, ſaltem auditu eſt, quod J. COLERUS tradit quomodo ſcilicet in feſto omnium Sanctorum experiri liceat, qualis hyems ventura ſit. Illo enim ipſo die in ſylvam abito ad Fagum, ex ipſa aſſulam recidito, et ſiquidem fuerit ſicca, hyemem expectabis calidam affuturam, ſin vero fuerit humida, hyemem ſperabis frigidam adventuram.

LIGNUM TAXI.

Τάξος, Μίλος, σμίλαξ, θύμαλον, θύμον, Iſen/ Iſenbaum/ Eiben oder Ibenbaum/ Taxusbaum/ Baum des Todts/ Iſ.

Eſt arbor flore amentaceo, plurimis nempe apicibus plerumque fungiformibus conſtante, ſed ſterili: Embryo autem deinde abit in baccam concavam ſeu campaniformem, ſucci plenam & ſemine fœtam; occurrunt quandoque & fructus glandiformes, cupula ſcilicet donati, ſemen complectentes.

Taxus. I. Bauh. I. 241. Taxus Dod. Pempt. 859.

Naſcitur, ut notat J. BAUHINUS, in ſaxoſis & præruptis locis in Italia, Gallia, in Burgundia, in montibus in Suntgovia, Helvetia &c. Gaudet locis umbroſis. Aprili & Majo floſculi exeunt novis germinibus, fructus maturantur Novembri.

Haſel-

Taxum arborem venenatam eſſe jam olim creditum fuit, imprimis Taxum Narbonicam & Hiſpanicam. Vel ſola umbra dicitur eſſe deleteria; ita ut, qui ſub ea ſederunt aut dormierunt, lædantur ſæpeque etiam moriantur, unde propterea *arbor mortis* appellata fuit. Non tantum autem homini ſed aliis quoque animantibus infeſta, juxta quosdam, exiſtit. In pluribus aliis regionibus tam noxia non creditur. Raſura nempe hujus Ligni experimento vulgi contra morſum canis rabidi datur. Succus porro hujus arboris ad Viperæ

morſum multum facere perhibetur. Suffitu ejus mures necari aſſeritur.

Ruſtici, annotante ZORNIO, ex flora Pruſſica Gottſchedii, Taxi lignum lacte decoctum, ejusque ſcobem utiliſſime porrigunt canibus rabidis, quibus in juventute ſæpiuſcule vermiculi ſub lingua naſcuntur. SCHORERUS in Medico peregrinante ex manuſcripto cujusdam Glonini annotat, nil tutius eſſe & certius inter remedia naturalia adverſus incantationes tum curandas tum arcendas quam lignum Taxi nudo geſtatum corpore. Quem Deus non præſervat, nec verba herbæ & lapides cuſtodient.

VISCUS CORYLINUS.

Haſel-Miſpel / *Guy de noiſetier*; de ortu hujus videri poteſt ſub Viſco Querno. Sunt qui dicunt viſcum in Corylo non niſi poſt centeſimum annum reperiri. Sed quis unquam hoc fuit expertus.

Multis encomiis extollitur in epilepſia & præfertur hoc in caſu viſco querno. Raſura vel pulvis datur ad ℈j. ʒß, vel ʒj. pro ratione ætatis. Laudatur quoque in aliis affectibus convulſivis. Dicitur Viſcum colligendum eſſe Luna creſcente inter duos dies B. Mariæ, id eſt a die 15. Aug. ad 8. Sept. Nam tale, ETTMULLERO DOCENTE, Viſcum amuleti inſtar collo appenſum contra epilepſiam & paralyſin valere dicitur; ſicuti & contra morbos ab incantatione ortos frequens & laudabile eſſe remedium opinio eſt. Fabulam olet, quod nempe viſcus ſit alimentum ſerpentum, & circa corylum ſemper reperiatur ſerpens albus, qui viſco veſcatur.

Rarus

VISCUS SALICIS.

Weiden-Miſpel / GUY DE SAULE

Rarus equidem eſt, ſed miris modis celebratur à quibusdam ad promovendum partum, & ad apoplexiam præſervandam.

CAPUT QUARTUM DE FUNGIS ET MUSCIS.

Boletus eſculentus.
Fungus campeſtris eſculentus.
Fungi verni Mouceron dicti.
Fungus Salicis.
Fungus Cynosbatos.
Fungus Nucis Juglandis.
Lycopodium ſeu Muſcus terreſtris clavatus.
Muſcus arboreus.

BOLETUS ESCULENTUS.

Eſt fungus forma turbinata, totus circumquaque ſcrobiculis pervius, ut favos apum imitetur, ex albo nonnihil rubeſcens, fulvus aut niger: interiori parte totus cavus albus & velut farinaceo quodam lævore aſperſus: pediculus

vero, qui fungi corpus ſuſtinet, infima parte criſpus totus albus, cavus quoque. Sapore gaudet grato.

BOLETUS ESCULENTUS vocatur etiam FUNGUS FAVAGINOSUS, FUNGUS PRÆCOX, FUNGORUM PRÆCIPUUM GENUS, Morchel / Maurochen / MORILLE.

Boletus eſt plantæ genus ad fungum accedens, ſed totus ſcrobiculis excavatus vel feneſtratus. Quatuor ejus diverſis in locis reperiuntur ſpecies.

Boletus eſculentus rugoſus albicans, quaſi fuligine infeſtus. Tourn. I R. H. cl. 17. S. 1. g. 4. Fungus poroſus, rugoſus, albicans, quaſi fuligine infeſtus. C. B. Pin. 370. Fungus rugoſus, vel cavernoſus ſive Merulius ex albo nonnihil rubeſcens. I. B. 3. 820. Primi generis eſculentorum fungorum ſpecies. 1. Clus. Hiſt. CCLXIII.

Boletus eſculentus rugoſus fulvus. Tourn. l. c. Fungus poroſus coloris ex ruffo fuſci. C. B Pin. 370. Fungus rugoſus vel cavernoſus ſivé Merulius fuſcus. I. B. 3. 820. Primi generis eſculentorum fungorum ſpecies ij. Clus. Hiſt. CCLXIII.

Boletus eſculentus rugoſus amplior & orbicularis. Tourn. l. c. Fungus poroſus amplior orbicularis. C. B. Pin. 370. Primi generis eſculentorum fungorum ſpecies iij. Clus. Hiſt. CCLXIII.

Boletus eſculentus in metam faſtigiatus. Tourn. l. c. Fungus poroſus in longitudinem metæ inſtar excreſcens. C. B. Pin. 370. Primi generis fungorum eſculentorum ſpecies. iiij. Clus. Hiſt. CCLXIII.

Naſcitur prima ſpecies plerumque ſub Abietibus, in dumetis atque pratis, ſed in his altera præſertim, tertia vero & quarta ſub Quercubus magna ex parte, menſe Aprili usque ad Maji finem. Autumnali quoque reperiuntur tempore.

FUNGI

Fungus hic filo trajectus, & in corollas compoſitus, è clavo ſuſpenditur, ſiccatur & aſſervatur, ut etiam media Hieme haberi queat. Aqua fervente bullitur poſteaque aromatibus & butyro conditus cibis apponitur. Additur variis ferculis, quibus inſignem conciliat gratiam. Et hoc fungo ſo-

ſobrie utendum eſſe ſuadet SEBIZIUS, quoniam craſſum & glutinoſum ſuppeditat nutrimentum.

Appetitum excitat, roborat & reſtaurat.

FUNGUS CAMPESTRIS ESCULENTUS.

Sunt fungi primo pullulatu globoſi, poſtmodum paulatim explicati, membranulas infra oſtentantes rubentes, ſuperius inoffenſio lævore æquabiles & albi: ſaporis & odoris boni.

FUNGI ESCULENTI dicuntur etiam BOLETI AMANITÆ, CAMPINIONES, Schampignon/ CHAMPIGNONS.

Horum occaſione liceat characterem Fungorum ex TOURNEFORTIO allegare.

Fungus eſt plantæ genus capitatum. Pediculo nempe inſidet capitulum, parte convexa planum, raro ſtriatum, concava vero foliatum aut fiſtuloſum, lamellis ſcilicet aut fiſtulis munitum.

Species fungi, cujus hoc loco mentio injicitur, eſt

Fungus pileolo lato & rotundo. C.B. Pin. 370. Fungus campeſtris, albus ſuperne, inferne rubens. I.B. 3 808. Fungi vulgatiſſimi eſculenti. Lob. Icon. 271. XI. Genus eſculentorum Fungorum. Clus. Hiſt. CCLXVIII.

FUNGI

In campis & aridioribus locis, item in paſcuis ſiccioribus proveniunt, Auguſto & Septembri, quandoque citius, ſi pluvioſa præſertim cæli fuerit conſtitutio, quandoque vero tardius. Poſt pluvias potiſſimum exeunt. Coluntur nihilominus etiam in hortis, præſertim in lectis ſic dictis ſtercoraciis. Ubi deinde vocantur CHAMPIGNONS DE JARDIN, præferunturque reliquis. Nempe reliquiæ fungorum repurgatorum, aut fungi non admodum pulchri conſciſſi imo eorum pulvis injicitur, aut terra irroratur aqua, in qua

macerati

macerati fuerunt fungi, ſic per totum annum poterunt obtineri fungi eſculenti. Antequam in cibos veniant, membranulas lividi coloris detrahere oportet, ac tum demum ipſos fungos aqua bullire butyroque & aromatibus condire convenit. Exſiccati aſſervantur pro uſu. Adduntur etiam multis aliis ferculis. Nutriunt, reſtaurant, ſemenque generant. Fungi largius ſumpti nocent & ægrius concocti ſtrangulant, aut choleram morbum citant. Corpus alunt, ſed ægre diſſolvuntur, cum magna ex parte integri cum recrementis alvi rejiciantur, uti jam olim docuit DIOSCORIDES.

FUNGI VERNI MOUCERON DICTI.

Sunt fungi, qui primum erumpentes pediculis brevibus fibras deorſum agentibus capitula ſuſtinent, piſo magno æquales, duodecuplo majorem molem (niſi avellerentur) aſſecuturi. Sed pediculus ipſe teres & in imo criſpus vel rugoſus ex terra non multum emergit. Cæterum cluſiles ſunt, rotundique in ſummo, ſubtus vero qua inſtar tentorii reflexi, rimoſis à centro ad circumferentiam ſtriis donati; ubi penitus excreverunt campeſtrium fungorum inſtar expanduntur. Tota vero ſubſtantia intus foriſque candidi coloris, guſtus gratiſſimi odoriſque grati.

Magno

FUNGI VERNI vocantur, quoniam tempore verno naſcuntur. MOUÇERON dicuntur, quia communiter ſub muſco proveniunt ac ſub eo latitant. Juxta Cluſium quoque dicuntur VIRNI. Gallis, uti dictum MOUÇERONS appellantur.

Fungus pileo rotundiori. Tourn. I. R H. cl. 17. S. 1. g. 2.

Primo Vere, ut JOH. BAUHINUS recenſet, ſub Martii finem & Aprilis initium prorumpunt, locis apricis nemoribusque, inter ſpinas latitant

latitant ſub muſco, ita ut non à quolibet reperiantur. Ubi naſcuntur, quotannis repullulant. Solum, in quo creſcunt, cinerei eſt coloris utplurimum.

Magno in pretio habentur, menſisque lautioribus expetuntur. Nutriunt, reſtaurant, roborant, appetitum venereum excitant, ſemenque adaugent. Coquis competit, ut hos fungos delicatos delicate etiam præparent. Communiter repurgatos, lotos & in jure ex Vino, Agreſta, Aceto, Cepis, Sale, Aromatibus, Aurantiis, Citriis, cum herbarum odoratarum aut Lauri tantillo parato decoquunt, coctos eximunt, & cremori lactis dulci, addito juris, in quo cocti ſunt, tantillo, immittunt. Adduntur quoque diverſis aliis ferculis.

FUNGUS SALICIS.

Eſt fungus pileolatus lamellatus, pileolo, dum recens, ſuperius flaveſcente, lamellis vero candicantibus.

Hic Salici adnaſcens fungus, mirum quantum, celebratur in phthiſi etiam conſummata & deplorata curanda. Mane datur vel cum ovis frixis, vel in pulvere. Doſis mane & veſperi ad ʒß. ʒj. cum Saccharo cando.

℞. Fung. Salicis ℥j. ſpec. diatragacanth. frig. ʒvj. ſpec. diair. ʒiij. Lact. 🜍r. ℥j. Succ. Liquir. ℥ß. Sacch. penid. ℥iiij. ol. fœnic. gtt. xv. Mſc. f. pulvis antiphthiſicus, cuſpidatim aliquoties per diem ſumendus.

FUNGUS CYNOSBATOS.

Sunt excreſcentiæ ſpongioſæ, ſeu pilulæ hirſutæ, Cynosbato accreſcentes, ſeu, juxta HAGENDORNIUM in CYNOSBATOLOGIA, fungi quidam comoſi utplurimum ro-

rotundi & capitati, in meditullio continentes alveolos præduros vermiculari ſobole inſtructos, ſi recentes fuerint, ex fractis per ætatem aut ab inſecto quodam compunctis ex Cynosbati ramis utplurimum excreſcentes, coloris herbacei & rufeſcentis, odoris ab initio ſuavis, per vetuſtatem autem ſylveſtris & minus grati, magnitudine diverſimoda, nunc avellanam, nunc nucem, nunc pomum majus adæquantes.

CAPITULA ROSÆ SYLVESTRIS, SPONGIOLÆ CYNOSBATI, Schlaffkuntz / Schlaffäpffel / Schlaffkautz / Roſenſchwamm / rauhe Schlaffkolben / haarichte Schwämmlein / EPONGE DE ROSIER SAUVAGE OU DE CYNORRHODON.

Vocatur

In recentibus his ſpongiis intra certas quasdam inibi formatas cellulas vermiculi deprehenduntur exigui, ac albicantes, in plurimis pupulæ albicantes cum capitulis ſuis exquiſite viſibilibus, in quibus ocelli nigricantes prominent, qui teſtante LANGIO, menſe Majo vel Junio ſequentis anni in muſcas transformantur pulchre pictas, rutilantes, corniculatasque. Sunt qui cum HAGENDORNIO ſtatuunt Cantharides ex his vermiculis generari, aliis hoc ipſum negantibus, uti dictum in expoſitione Cantharidum.

Spongiæ huic adſcribitur vis hypnotica & antinephritica. Dicitur inducere ſomnum, ſi pulvinari ſubdatur. Inſervire quoque fertur adverſus morſum canis rabidi, ictum ſerpentum, tam interne quam externe; item in febribus continuis, hæmorrhagiis atque vulneribus. Cineres hujus ſpongiæ medentur dyſuriæ & ad vermes expellendos inſeruiunt. Fungus viridis in pera geſtatus conſtituit amuletum contra hæmorrhoides. Vermis unus vel alter ex intus concluſis, habetur à quibusdam remedium antepilepticum. Imprimis

autem

autem contra affectus viarum urinariarum laudatur. Qui plura deſiderat, adeat ſupra dictum EHRENFRIED HAGENDORN in Cynosbatologia.

Laudatur quoque ſpongia hæc ad ſcorbutum contraque vermes. Datur ad ℈j. ad ℈ij. Celebratur porro adverſus ictum ſerpentum & morſum canis rabidi. Gaudet quoque vi adſtrictoria.

FUNGUS NUCIS JUGLANDIS.

Eſt ſubſtantia ſpongioſa juglandis arboris, ſatis tenax & pene coriacea, ſub forma tuberum nata.

Vocatur etiam ISCA, SPONGIOLA ARBORIS JUGLANDIS, Nuß-Schwamm. EPONGE DE NOYER.

LYCOPODIUM

Uſus hujus fungi eſt, ut loquitur KOENIG, ex J. BAUHINO, quod commendetur ad capillos denigrandos, ſi combuſtus in oleo Nucum ſolvatur. Olim, teſte PAULO, loco cauterii actualis adhibebatur in hydrope, longisque defluxionibus ad ſtomachum; ita autem teſtante AURELIANO, vocabatur in uſum: aſſumebant fungum hunc ligneum in pyramidis formam ſciſſum, imponebant loco cauteriſando, eumque in ſummitate accenſum tamdiu iſto relinquebant in loco, quousque cineresceret ſponteque decideret, eodem pene modo ac hodie Turci ſarmentorum vitis bene aridam portionem, & Sinenſes Moxam ſuam accendere ſolent. Mechanicus uſus frequens eſt igniariis, qui ſcilicet ad ſclopeta explodenda ſegmentis ſpongiæ hujus accenſis utuntur. Contunduntur vero prius, ut ſpongiis marinis ſimiles fiant, quod obtinent diligenti infuſione in lixivio forti & poſtea inſtituta exſiccatione.

LYCOPODIUM.

Eſt Muſcus terreſtris clavatus C.B. Pin. qui præter cauliculos folioſos humiſtratos & repentes, pediculos emittit nudos, in cacumine clavatos, geminis ſeu pluribus clavis, Julos imitantibus, oblongis, teretibus, pulviſculo tenuiſſimo flavicante refertis.

LYCOPODIUM quaſi ad Lupi pedem accedens. PES LEONINUS, PES URSINUS, CINGULARIA, quoniam cingula in quibusdam locis exinde parantur. PLICARIA, à virtute contra Plicam Polonorum, Bärlapp / Gürtelkrauth / Johannes-Gürtel / Neunheil / Neungleich / Seilkrauth / Weinkrauth / Teuffelsklauen / Truttenfuß / Krähenfuß / Zigeinerkrauth / Schlangenmooß &c. MOUSSE TERRESTRE OU PIED DE LOUP.

Pertinet ad muſcos, nam eſt herba terreſtris, cujus flores & fructus vulgo deſiderantur. Folia vero habet formæ ſingularis.

Muſcus ſquamoſus vulgaris repens clavatus. Tourn. I. R. H. cl. 17. S. 1. g. 1. Muſcus terreſtris repens à Trago pictus. I. B. 3. 766. Muſcus terreſtris clavatus. C. B. Pin. 360. Lycopodium. Tabern. Icon. 814.

Naſcitur in ſylvis ſabuloſis, & inviis locis inter ſaxa, gignit menſe Junio julos.

Muscus

In uſum venit tum ipſe hic muſcus, tum farina iſta ſubtilis quæ, menſe Julio, Auguſto & Septembri, in eo colligi poteſt, flaveſcens & flammæ candelæ injecta inflammabilis & fulminans. Muſcus hic & præſertim pulvillus vi anodyna pollet, & ſubtilibus particulis gaudet antelaſticis, terreſtribus, ſubtilibus. Eminet juxta WEDELIUM in hac herba & ſemine virtus cephalica communi & ſpecifico charactere. Unde præſcribitur ſæpius cum ſucceſſu inter ſpecies antepilepticas, antimelancholicas & cephalicas alias

hic

hic muſcus terreſtris, non minus ac pulvillus amabilis. Muſcus terreſtris porro cum ſuo ſulphure eſt pectoralis, in tuſſi, phthiſi, ſputo cruento, aſthmate, vomica pulmonum conveniens. Antiſcorbuticus porro eſt & morbis tartareis, obſtructionibusque exinde natis medetur. Præſtat ad affectus calculoſos, ſi vino albo vel aquæ incoquatur: creditur etiam gaudere virtute Lithontriptica. Convenit in menſium fluxu immodico, ſterilitate, paſſionibus hyſtericis, fluore albo. Virtute inſuper gaudet traumatica. Imprimis autem hic muſcus reſiſtit Plicæ Polonicæ, dem Weichſelzopff oder Wirelzopff. Accipiunt nempe hanc plantam ſeu muſcum, ut verba habent in EPHEM. NAT. CUR. quem prius cultello aliquo ſurſum verſus diſſecare ſolent, poſtea infundunt decocto Brancæ Urſinæ, prius optime calefacto, & poſt unam vel alteram leniſſimam ebullitionem adjiciunt aliquid fermenti, illudque reponunt poſtea ad fermentandum prope fornacem. Alii vero accipiunt muſcum illum diviſum & craſſiuſcule diſſectum & folia Brancæ urſinæ etiam prius ſiccata part. æqual. coquunt iſta cum aquæ ſimplic. fluv. q. s. tamdiu, donec decoctum ſaturate flavum colorem contrahat. Decocto prius colato admiſcent aliquid fermenti acidi vulgaris vel fermentum huic uſui deſtinatum, nempe ex pulvere Brancæ Urſinæ pane biſcocto & fermento ordinario paratum, reponuntque ad fornacem per dies aliquot, donec ſaporem quaſi acidiuſculum contraxerit. Et ita decoctum huic morbo idoneum eſt. Hoc decoctum vel per ſe, aut cum ovis recentibus in forma juſculi quotidie bibunt & comedunt. Exterius cum illo decocto prius calefacto & aliquando ad majorem potentiam ſeu virtutem ſecunda vice, cum recente muſco incocto inſtar lixivii & obſcuri rubei coloris lavant caput bis in ſeptimana, nullo amplius adhibito pectine, donec crines ſeſe complicare incipiant, unde ne-

ceſſario progreſſu temporis ita ſeſe intricare ſolent, ut tunc quaſi ſementes penduli circa caput pendeant, aſpectu horrendo, & ſic credunt plicam jam perfectam in crinibus. Sic ſæpe ſponte conſumpto forte per calorem humore nocivo decidit & patientem à doloribus & moleſtiis abſolvit. Curioſum eſt, quod muſcus hic vino pendulo impoſitus illud intra breve tempus reſtituat.

Pulvis iſte flaveſcens ſubtilis, quem alii ſemen, alii antheras eſſe volunt, & SEMEN LYCOPODII, Bärlapp-Saamen/ SEMENCE DE LYCOPODIUM vocatur, iisdem ac ipſe muſcus, ut jam aliquoties dictum, pollet viribus. In multis tamen muſco ipſi præfertur, præſertim in Epilepſia, aliisque ſimilibus affectibus, Apoplexia, Incubo &c. ita ut *Auri Horizontalis* nomen à quibusdam promeruerit. Ab ETTMüLLERO appellatur *Antihecticum puerile*, quia in affectibus hecticis puerorum in cardialgia & aliis remedium cenſetur ſingulare: congruum quoque eſt Nephriticis ſemen Lycopodii: eſt enim diureticum temperatum, roborans & anodynum. Convenit in difficultate urinæ infantum. Commendatur quoque tanquam aphrodiſiacum. Virtutem obtinet travmaticam tum externe tum interne. Laudatur in alvi fluxibus, dyſenteria, diarrhœa, gonorrhœa &c. Poſſidet quoque virtutem anthelminticam. Externe exſiccat, unde in ulceribus, in tinea achoribus capitis, in intertrigine, ichore madidis partibus externis, herpete miliari & impetigine ſuum facit officium. Prodeſt etiam in Eryſipelate, Arthritide, Podagra, Cancro pruritu pudendorum, ſcabie, ſcorbuto oris, item in Herniis. Ad uſus porro alios facit ſerios & ludicros. Dum enim vel efflatur, ut ſupra jam dictum, vel projicitur in flammam, non ſolummodo fulgur repræſentat, ſed in vicinis auribus crepitum quendam edit, non ſecus ac pulvis Colophoniæ. Bene autem notandum, quod non debeat projici verſus homines,

qui

qui capillos pulvere Cyprio, cui ſæpius Lycopodium immiſcetur, dealbatos gerunt, quoniam ſic facillime quoque flammam concipiunt. Si aliquid addatur de Thure, Maſtich: Succin. & Benz. pulv. huic Lycopodio, & per flammam ſuffletur; non ſolum fulgur edit, ſed & odorem ſuaviſſimum excitat, inſtar pulveris pro ſuffumigio. Si folia Betulæ pulveriſata ſimul miſceantur, ſtrepitum majorem edet.

Doſis eſt à ℈ß. ad ʒß. ad ʒj.

℞. Aqu. flor. Til. ℥j. farin. ſemin. Lycopod. ℈j. ☉ fulmin. gr. j. Mſc. pro doſi in epilepſia infantum.

℞. Lycopod. Pomphol. ana inſpergatur ulceribus humidis, intertrigini &c.

℞. Sem. Lycopod. Pomphol. ana ʒij. Lapid. Calamin. ʒj. Myrrh. elect. gr. v. Mſc. pro eodem ſcopo.

℞. Sem. Lycopod. part. iij. farin. ari p. ij. Myrrh. elect. par. Mſc. inſpergatur in arthritide,

℞. Farin. Fabar. ℥j. flor. Sambuc. Ceruſſ. ana ℥ß. Semin. Lycopod. ʒij. Myrrh. el ʒß. camphor, gr. ij. Mſc. f. pulvis in Eryſipelate & arthritide exterius inſperſus conveniens.

MUSCUS ARBOREUS.

Eſt ſubſtantia aridior illa & exſucca fere, atque villoſa, plerumque arboribus adultis, inprimis vero ſenio confectis adnaſcens, incana, lignoſa, tenuibus contexta filis, guſtu adſtringente.

De

Muscus Græcis dicitur βρύον & σφάγνον, Alii ὕπνον vocant, quod vinum, in quo muſcus aliquot diebus maduerit, altum ſomnum inferre credatur. MUSCUS ARBOREUS, USNEA OFFICINARUM.

RUM. Baummoß / Baumgemieß. MOUSSE D'ARBRE, USNÉE COMMUNE.

Muſcus arboreus: Uſnea officinarum. C. B. Pin. 361. Muſcus arboreus villoſus. I. B. 3. 755.

Reperitur potiſſimum in Quercu, Robore, Populo alba, & nigra. Ulmo, Betula, Pyro, Pyraſtro, Pomo, Pinu, Pinaſtro, Picea, Abiete, Larice, ac aliis arboribus antiquis compluribus.

Muſcus nunc eſt tenuior, nunc craſſior prolixiorque, modo brevior, modo longior inſtar jubæ. Candidus muſcus præſtat, nigricans improbatur, rutilans medium tenet.

Eſt

De viribus quoad partem dictum fuit ſub muſco Querno. Adſtringit, ſomnum inducit, ventriculum roborat, vomitiones & alvum cohibet, gravidis abortum præcavet. In Hæmorrhagiis conducit interne & externe. Sunt qui muſcum commendant in Ictero. In Lixivio decoctus muſcus dicitur capillos adaugere & criſpos reddere, alopeciamque præcavere. Quidam muſcum ex corticibus arborum butyro frixum mire in retentione urinæ valere contendunt.

CAPUT QUINTUM
DE
FRUCTIBUS ET SEMINIBUS.

SEMINA SALE VOLATILI OLEOSO AROMATICO CONSTANTIA.

Abelmoſch.
Agni Caſti.

Ba-

Baſilici.
Celery.
Ferulæ.
Libanotidis.
Moldavicæ.
Thalictri.

ABELMOSCH.

Eſt Semen reniforme, compactum, puſillum, levi amaritudine linguam afficiens, ſuaviſſimum, Ambræ & Moſchi præſertim ſpargens odorem, unde etiam ſemen Moſchi, aut Abelmoſch appellatur.

Eſt ſpecies Ketmiæ, planta ſcilicet flore monopetalo campaniformi patente, Malvæ flori ſimili, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum in plura loculamenta diviſum apice dehiſcentem & ſeminibus fœtum. Colitur in hortis ob ſeminis potiſſimum fragrantiam, provenit in Ægypto.

Ketmia Ægyptiaca ſemine moſchato. Tourn. I. R. H. cl. 1. Sect 6. g. 6. Alcea Ægyptiaca villoſa. C. B. Pin. 317. Belmuſcus Ægyptia Honorio Bello. I. B. 2. 690. Althæa Ægyptiaca moſchata Abelmoſch dicta. Moris. Hiſt. Oxon. part. 2. 533.

Ob ſal volatile oleoſum ſuave virtute gaudet cephalica, nervina, ſtomachica, & aphrodiſiaca, anhelitumque oris emendat maſticatum hoc ſemen.

SEMEN AGNI CASTI.

Sunt ſemina Viticis Dod. rotunda Coriandrinis fere paria magitudine, coloris gryſei, ſaporis acris aromatici.

Semen

ἁγνος quaſi CASTUS, quod in Theſmophoriis matronæ, caſtitatem cuſtodientes, eo ad ſtrata uterentur. λύγος, quaſi Vimen, propter virgarum ejus firmitatem. VITEX audit, quia ex eo orbes viminei parari poſſunt. ARBOR CASTA, ARBOR ABRAHÆ, Keuſchlamm Keuſchbaum/ Schaffsmühle.

Eſt arbuſcula flore monopetalo quaſi bilabiato, poſterius tubulato è cujus calyce ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſphæricum, in quatuor loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum oblongis. Uſurpatur autem

Vitex foliis anguſtioribus Cannabis modo diſpoſitis. C. B. Pin. 475. Agnus folio non ſerrato. I. B. 1. 205. Vitex Dod. Pempt. 774. Colitur in hortis, floret Junio & Julio.

FERULA

Semen utplurimum in uſum cedit, gaudet ſale volatili quaſi camphorato. Saporem imprimit acrem & aromaticum, unde & PIPER AGRESTE, PIPER MONACHORUM, EUNUCHORUM PIPERELLA, Münchpfeffer/ Kloſterpfeffer/ PETIT POIVRE, POIVRE SAUVAGE vocatur. Diſcutit, appetitum Venereum reprimit, ſemen diſſipat. Laudatur in furore uterino, melancholia Hyſterica, paſſionibus hyſtericis. Lotio è decocto ſeminis Agni caſti pudendorum & lumborum laudatur ad gonorrhœam. Menſes nihilominus ciet. Notant multi Authores, quod quidem in calidioris naturæ ſubjectis vim poſſidere poſſit antaphrodiſiacam, in frigidioribus autem potius Venerem adaugeat, ob indolem volatilem.

℞. Sem. agni Caſt. ʒij. ſucc. alb. pp. ♁ diaphor. oſſ. ſep. pp. ana ʒß. Sacch. ♄ ℈j. Mſc. f. pulvis pro aliquot doſibus contra gonorrhœam ex abundantia & nimia turgeſcentia geniture natam, uti ETTMüLLERUS aſſerit.

℞. Sem. agni caſti ℥ß. cum s. q. aq. Nymph. f. Emulſ. cui adde ſacch. ♄. ℈j. camph. ℈ß. ſyrup. de Nymph. ʒvj. vel ℥j. Mſc.

Mſc. contra furorem uterinum, teſte modo dicto authore.

℞. Conſerv. agni caſti ℥ij. caul. Lactuc. condit. ℥ß. Sem. agni caſti ʒij. Cryſtall. pp. ℈ij. Syrup. violar. q. s. Mſc. f. elect. cuſpidatim aliquoties in die ſumendum in Gonorrhœa.

SEMEN BASILICI.

Sunt ſemina ocymi vulgatioris C. B. Pin. oblonga, puſilla, nigricantia, odoris aromatici.

Semen hoc iisdem fere principiis & viribus æque ac planta gaudet. Obſervat præterea KOENIG, quod hoc ſemen det mucilaginem, quæ in angina, aphtis fiſſuris labiorum & mammarum papillarum præſtans. Suffitus ſeminis fœtum mortuum expellit. In menſium ſuppreſſione ac uteri impuritate ejus infuſum in vino utile deprehendit HOFFMANNUS. Pulveriſatum ſemen verrucas tollit.

℞. Sem. Ocym. ʒj. Piper. ʒß. Mell. cochl. vj. Vini menſ. ß. coqu. & colat. detur Iſchiadicis, ſucceſſive.

SEMEN CELERY.

Eſt ſemen Selini ſive Apii dulcis, aut Celery, Apii hortenſis ſive Petroſelini Semini ſimile, ſed majus, ſtriatum, ſaporis acris, odoris fragrantis aromatici.

Semen hoc aromaticum virtute gaudet ſtomachica, carminativa, cephalica, aperitiva, diuretica atque aphrodiſiaca.

℞. Sem. Apii ℥iß. Spiritus Vini Menſ. ij. poſt debitam digeſtionem deſtilletur l. a. edulcoretur deſtillatus ſpiritus Sacchari q. s. gratus hic liquor ſpirituoſus, ſtomacho conducit & ſtimulum Venereum excitat.

SEMEN FERULÆ.

Eſt ſemen Ferulæ Dod. gemellum, magnum foliaceum, ſemunciam latum, paulo longius per extremum lateſcens, ſaporis acris, odoris grati aromatici.

FERULA à ferendo vel à feriendo derivatur, à ferendo, quoniam, ut ait PLINIUS, nulli fruticum levitas major; ob id geſtatio facilior baculorum uſum ſenectuti præbet: à feriendo vero, quod olim pueris verberandis inſerviebat, unde ſic apud MARTIALEM loquuntur ferulæ.

Invisæ nimium pueris, gratæ Magiſtris,
Clara, Prometheo munere, ligna ſumus.

HESIODUS enim ait, Prometheum Jovi ſurreptum ignem in cava Ferula detuliſſe. Alibi vero ferulas ſceptra Pædagogorum appellat MARTIALIS.

Ferulæque triſtes ſceptra pædagogorum
Ceſſent.

Ferulkrauth / Steckenkrauth / FERULE.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum peramplis ovatis, planis & tenuibus, involucrum ſæpe deponentibus. His notis addenda ſunt folia Foeniculi vel Apii æmula.

Ferula fœmina Plinii. C. B. Pin. 148. Ferula folio fœniculi ſemine latiore & rotundiore. I. B, 3. 2. 43. Ferula Dod. Pempt. 321.

Provenit in Africa, Aſia & quibusdam Europæ regionibus calidioribus: Italia, Sicilia, Gallia Narbonenſi, Languedocia: colitur in hortis. Junio & Julio floret.

Vocatur

Semen hoc virtute gaudet carminativa, valet ad dolores colicos. Sudorem quoque excitat.

Viri-

Viridis ferulæ medulla pota ſanguinem ſpuentibus prodeſt, & hæmorrhagias ſiſtit externe.

E ferulis prima tantum germinatione corculum quoddam paſtores eximunt, ovi luteum induratum referens, quod ſub cineribus aſſatum, prius tamen charta aut linteo madefactis involutum mox pipere & ſale conſperſum, non modo guſtui gratiſſimus eſt cibus, ſed etiam ad excitandam venerem valentiſſimus.

Caulis ferulæ, cum exaruerit, leviſſimus eſt quia fungoſus, adeo tamen robuſtus, ut ſufficiat pro baculo ad ſuſtentandam ſenectutem.

Medulla ante dicta quidam utuntur pro fomite ad ignem è ſilice excuſſum concipiendum.

SEMEN LIBANOTIDIS.

Eſt ſemen Libanotidis vulgatioris C. B. Pin. gemellum, octo angulis donatum, cum quadam acrimonia & amaritudine, odore Cuminum aut Sileris montani aut Angelicæ ſemen referens.

Semen

Vocatur etiam LIBANOTIS THEOPHRASTI, SESELI ÆTHIOPICUM, PABULUM CERVI, OCELLUS CERVI, GRATIA DEI, CERVARIA ALBA, weiße Hirtzwurtz / Wald-Salbey/ langer Wald-Kümmel.

Eſt ſpecies Laſerpitii, nempe

Planta flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante cordiformibus in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum, compoſitum ex duobus ſeminibus hinc gibbis, cum quatuor alis ſoliaceis amplis, interdum criſpis, inde vero planis.

Laſerpitium foliis latioribus lobatis. Mor. Umb. 29. Libanotis latifolia altera ſive vulgatior. C. B. Pin. 157. Libanotis Theophraſti quorumdam ſive Seſeli Æthiopicum, Matthiolo Cervaria alba. I. B. 3. 2. 164.

2.164. Seſeli Æthiopicum herba. Dod. Pempt. 313. Reperitur ſponte naſcens in montibus Helvetiæ & Syriæ. Colitur in hortis, floret Julio.

CONI

Semen hoc gaudet virtute aperitiva atque carminativa, menſes pellit & urinam, paſſiones hyſtericas ſedat, tuſſi inveteratæ medetur. Quæ vires etiam radici, quæ longa, craſſa, nigricans extus, intus alba, odoris grati, tribuuntur, quam ulterius ad dolores podagricos immaniſſimos etiam illico mitigandos laudant, ſi cum vino in cataplasma redigatur & loco dolenti applicetur.

SEMEN MOLDAVICÆ.

Sunt ſemina Meliſſæ Turcicæ multis dictæ I. B. nigricantia, oblongiuſcula, triangulata, in apice hilo albo notata, odoris citrati.

Ob ſal volatile oleoſum ſeminibus carminativis merito accenſentur, cæterum iisdem ac folia & flores gaudent viribus.

SEMEN THALICTRI.

Sunt Thalictri magni Dod. ſemina oblonga, lutea, ſtriata.

Huic ſemini virtutem antepilepticam & contra hernias infantum tribuunt. Alii commendant in hæmorrhagiis & in alvi fluxibus.

Doſis ad ʒj.

SEMINA

SEMINA SALE VOLATILI AROMATICO CUM BLANDA VISCOSITATE CONSTANTIA.

Acanthi.
Abietis. Laricis.
Pinus.
Chærefolii. Dauci Alſatici.
Myrrhidis. Cervariæ nigræ.
Paſtinacæ luteæ. Petroſelini Macedonici.
Smyrnii.

SEMEN ACANTHI VULGARIS.

Eſt Semen Acanthi vulgaris, Fuchs. gemellum, ovatum, planum, ſtriatum, odoris ingrati, ſaporis acris.

Semen laudatur ad epilepſiam, icterum, hydropem, aſthma, ſuffocatioem uterinam &c. quas vires alii etiam foliis & radici tribuunt.

CONI ABIETIS.

Sunt Coni Abietis fœminæ I. B. oblongi, ovati fere, ſurſum vergentes, Piceæ vulgaris conis breviores & craſſiores: ſquammæ vero conorum latiores ſunt multo brevioresque & veluti hirſutæ, vel levi exſiccatione caducæ. Inter ſingulas ſquammas veluti lingua quædam eminet, a ſquammæ radice exorta: ad cujus latera ſemina hærent alata, majora quam in Picea, odorata, mollia, oleoſa.

His

CONI vocantur etiam STROBILI, Zapffen/Tann-Zapffen/Thann-Zapffen/Thann-Aepffel/ POMMES DE SAPIN.

Matureſcunt ſub finem Autumni. SALOMON REISELIUS in ANATOM. ABIET. PIC. PIN. SYLVESTR. reperiunda in EPHEM. NATUR. CURIOS. notat, Conos Abietis, dum adhuc parvi ſunt, & ſquammæ eorum recentes apertas tum eſſe ſquammas & hiantes, ut concipiant aptius tum temporis diſperſum Julorum pollinem maſculum, quamprimum vero conceperunt, claudere arctiſſime ſquammas ſuas, ne ſemen elabatur.

CONI,

His conis adſcribunt virtutem inviſcantem & adſtringentem. Inprimis autem eorum celebratur virtus antiſcorbutica & anticatarrhalis, ſive externe ſive interne uſurpentur. Laudantur Coni ſeu ſtrobili juniores, aut, quæ eorum vices optime ſupplent, Cymæ ſive turiones die kleinen zarten Sproſſen. Colligantur autem, ex mente ETTMÜLLERI aliorumque, in fine Martii aut initio Aprilis. Qui author inſuper docet, quod ſtrobili hi juniores, contuſi vel ſolitarii, vel cum raſura ligni Saſſafras aut juniperini, aut cum Radice Chinæ, coquantur in aqua ſimplici, vel cereviſia vel utriusque partibus æqualibus; quod decoctum saporem amaricantem quaſi terebinthinatum exinde acquirit, quod matutino tempore hauſtum in ſcorbuto, præſertim quando lympha ſenſibilius in hoc ipſo alteratur, & genus nervoſum ac artus affligit, adeoque dolores contracturas, paralyſin, arthritidem vagam ac ſimilia gravia pathemata potenter movet, ℥iij. ℥jv. ad ℥vj. bibendo ante paſtum.

Externe hi coni ad contracturas & paralyſes ſcorbuticas, in lotionibus & balneis adhibentur. In pediluviis quoque ad menſes ciendos celebrantur.

Ex conis his deſtillatione elicitur oleum clarum à vulgaris terebinthinæ ſpiritu nil differens.

℞. Conul.

℞. Conul. abietis tenerrimorum colore rubro adhuc prædditorum ℥ij. contuſis affunde Spiritus Cochleariæ per Spiritus Vini ab herba abſtractionem parati. ℥viij. poſt digeſtionem fortiter exprimantur & filtrentur, vel

℞. Turion. abietis q. vis, incis. coq. in aq. ſimpl. q. s. colat. fortiter expreſſ. rurſus coq. ad conſiſtentiam mellis. Poſtea extrahatur eſſentia cum ſpiritu cochleariæ. Eſt eſſentia viſceralis DÜRRII, ad maſſam ſanguineam purificandam, edulcorandam & a ſalſedine ſcorbutica liberandam. Doſis guttæ 20. aut plures ſingulis mane.

℞. Strobil. abietis tenell. rec. q. v. concis: & contus: coq. in aquæ q. s. donec omnis ſapor & vis medicamentoſa ſit elicita, tunc addatur cereviſia recens pro fermentatione & deſtillando prodit. 🜅 ardens ſuavis, qui eſt elegantis ſaporis & odoris, fere inſtar cumini & aniſi. Virtute gaudet antiſcorbutica & anticatarrhali. Doſ. ad gutt. xv. xx. &c.

℞. Strobil. Abiet. q. v. Spirit. modo dicti q. s. extrahe lege artis eſſentiam, quæ eſt remedium antiſcorbuticum in ſpecie in arthritide ſcorbutica vaga, & in paralyſi ſcorbutica. Doſis gutt. 10. 20. 30.

℞. Conor. Abietis No. jv. incide unumquemque conum in partes jv. adde foliorum tritici vireſcentium ℥ij. Liquor. poſſet. cum vino albo ℔iij. coqu. ad lib. ij. colaturæ frigidæ adde Spirit. Cochlear. ℥ß. Cortic. Aurant. de pomis ana ℥iß. Mſ. Doſis hujus decocti antiſcorbutici ℥iv. bis vel ter indie.

℞. Cymar. ſeu ſummitatum ſtrobilorum Abietis q. v. contunde vel ſuccum exprime; Adde dimidiam partem vini albi generoſi, aqu. Cichor. aut Veron. ana part. æqu. blando calore digere usque blande fermentent, poſt deſtilla. Deſtillatum affunde ſtrobilis recentibus & denuo abſtrahe, abſtractumque ſerva.

℞, Conos tenerrimos aut Cymas ſuccoſas Abietis, tempore

pore verno initio menſis Aprilis collectas, quantum vis, ex diſciſſis ſacculisque incluſis ſuccus exprimatur. Hujus ſucci recipiantur menſuræ viij. vel xij. includantur vaſi ligneo querno, quod 16. vel 18. præterpropter menſuras capit, indatur ſimul cymarum contuſarum tantum, donec dolium fere repletum fuerit, addendo ſimul aliquid aquæ communis vel vini, relinquantur in loco temperato, donec aliquali facta fermentatione ſpirituóſum odorem emittant ſi agitentur: hinc mox per MB. deſtillentur. Aquæ deſtillatæ cymæ contuſæ rurſus indantur, in eodem dolio aſſerventur & dicto modo aliquoties procedatur, donec acquiratur aqua ſufficienter ſtrobilorum viribus imprægnata. Aqua hæc, ut & præcedens, juxta ETTMÜLLERUM, eſt egregia in atrophia ſcorbutica, arthritide vaga aliisque affectibus ſcorbuticis & catarrhalibus, temperat quamcunque acrimoniam acidam. Ipſa enim abies ſingulare eſt antipodagricum & antiarthriticum, ſed ſpecialiſſime in arthritide vaga ſcorbutica.

CONI LARICIS.

Sunt Coni Laricis Matth. nucis Cupreſſi magnitudine ſive unciales, ſquammis contexti latiuſculis, compreſſis, obtuſis, tenuibus, ex rubro purpuraſcentes, quæ ſingulæ continent ſemina parva, alata, foris cinericeo cortice, intus autem candido nucleo conſtantia, ſapore dulci & pineam nucem æmulante.

Fructus hi à quibusdam ad morbos ſcorbuticos laudantur. Sunt, qui ex his Conis aquam deſtillant, eamque celebrant ad maſſam ſanguineam purificandam, pituitam attenuandam, urinam & calculum pellendum. Aſthmaticis, imprimis ex ſcorbuto talibus, ut & arthriticis utilis eſſe perhibetur.

CONI PINUS SYLVESTRIS.

Sunt Pinus ſylveſtris C. B. Pin. Coni ex compactili ſquammarum acervo turbinati ramulis pediculo brevi, in nonnullis recto, in aliis adunco, ad latera ita firmiter adhærentes, ut cum novi erumpunt anniculi adhuc in ramis hæreant, quamprimum inaruerint dehiſcunt. Squammæ ſunt oblongæ, ſub quibus ſemen latet nigricans magnitudine Aniſi, alatum, plenum, alba medulla.

Coni hi dicuntur Germanice Nüß-oder Kien-Aepffel.

Characterem

Inſerviunt iisdem uſibus ac Coni Abietis. Succus conorum recentium vulvam anguſtiorem reddit infuſus, & mammas in virginibus nimis extuberantes cohibet, ut docet SCHWENCKFELDT. Coni recentes decocti in inſeſſu veſicæ & uteri ulcera ſanant. Decoctum Cymarum & conorum tenellorum laudatur in ſcorbuto. Aqua ex viridibus conis deſtillata rugas faciei delet, juxta SCHROEDERUM, & mammas admodum in virginibus extuberantes cohibet, impoſita cum linteolis.

Pluvias ſulphureas non omnino absque ratione à Pini arboris quoque turionibus quidam deducunt, continent enim hujusmodi crocum vel pulverem ſulphureum, ac in aërem ſpargunt, qualem materiam aliarum quoque arborum nucamenta, item flores Sambuci, Tiliæ, & ſimilium arborum, ac plantarum flores continent, qui pulvis ſulphureus aëri commiſtus, citius delabi poteſt, quam graviora alioquin non ignota, aut ſemina varia hortos ſeminantia, & dominis inviſas ſponteque provenientes plantas in viridariis ſæpe obtrudentia. Farina hæc ſeu Anthera Pini, docente KOENIG,

continet ſpiritum oleoſum volatilem inſtar terebinthinæ, ſed mitiorem tuto uſurpandum in nephritide. Gaudet inſuper virtute demulcendi, placandi, abſorbendi confortandi & anodyna. A quibusdam pro pectoris affectibus dilaudatur. Ex Conis viridibus Pinaſtri deſtillatur per deſcenſum vel melius per aſcenſum Oleum, quod vocatur OLEUM TEMPLINUM. Optimæ cenſetur notæ, ſi colore eſt viridiuſculo aureo, odore non ingrato, nares feriat & ſi ſapore oleoſo acri linguam afficiat. Laudatur hoc oleum in arthritide vaga, in ſtupore, paralyſi, dolore iſchiadico itemque nephritico externe. In aſcite cum quartana præmiſſis univerſalibus ad guttulas aliquot quotidie exhibetur.

℞. Olei Templini ℥j. ⁂ roſar. ℥ij. Mſc. conducit in omnibus vulneribus præcipue capitis cum fractura oſſis. Impetigines quin etiam ſanat & verrucas conſumit.

℞. Viliſſimum illud caput mortuum poſt olei Pini deſtillationem reſtitans, nigricans & auſteriuſculum. Hoc per chartam bibulam vel linteum ſubtile colabis, colaturam in arena leniter evaporabis, atque ad conſiſtentiam extracti inſpiſſabis. Exinde ſive pilulas ſive trochiſcos poteris efformare, easque ſive ſolummodo, ſive cum pauca farina miſtas denti imponere doloroſo. Finito vel quantillo temporis multum lymphæ copioſæ per os rejicies, quaſi ſalivationem adminiſtraſſes, dolorque ſenſim ſenſimque remiſſior tibi erit. Diſſoluta prima pilula vel trochiſco applica alteram tertiamque & levamentum inde experieris non leve. Eſt hoc remedium odontalgicum HAGENDORNII, in EPH. NAT. CUR deſcriptum cum ſequente.

℞. Magm. ⁂ Pini q. v. dilue cum s. q. aquæ fontanæ, & gargariſmi loco in faucium inflammationibus uſurpa. Majora, inquit HAGENDORN, ipſi debebis encomia, ac commendatiſſimo alias hoc in affectu Nitro.

SEMEN

SEMEN CHÆREFOLII.

Sunt ſemina oblonga, tenuia, roſtri avium æmula, nunc lævia, nunc aſpera, non ſtriata, hinc gibba inde vero plana, ſapore dulci & aromatico prædita.

Semen hoc iisdem virtutibus gaudet ac planta, ſed rarius uſurpatur.

SEMEN DAUCI ALSATICI.

Sunt ſemina Dauci Alſatici C. B. Prodr. Anethino ſemini ſimilia, foliacea, lata, ſtriata, ſapore aromatico ſubacri & ſubamaro.

Symbolizat cum ſemine Dauci.

SEMEN MYRRHIDIS.

Sunt Myrrhidis majoris ſeu Cicutariæ odoratæ. C. B.Pin. ſemina magna, longa, anguloſa, ſulcata, ſapore aniſi dulci & jucundo.

Semen, ob ſal volatile aromaticum, ſtomachicum eſt carminativum, cephalicum & uterinum. Rarius autem uſurpatur.

SEMEN CERVARIÆ NIGRÆ.

Eſt ſemen Cervariæ nigræ I. B. latum; ad paſtinacæ ſemen nonnihil accedens, acre & aromaticum.

Virtute conſpirat cum radice, de qua ſupra.

SEMEN PASTINACÆ LUTEÆ.

Sunt ſemina paſtinacæ ſativæ latifoliæ, C. B. Pin. lata, foliacea, compreſſa, odoris & ſaporis non ingrati.

Carminativum eſt & flatus quoscunque pellit, unde in colica commendatur. Laudatur quoque in affectibus urinariis, calculo, etiam menſibus ciendis. Specificum habetur ad uteri ſuffocationem. Celebratur quoque in vulneribus, ſingultu &c. Porro multarum virium eſſe dicitur in ſterilitate mulierum.

Doſis hujus ſeminis eſt ad ʒj.

SEMEN PETROSELINI MACEDONICI.

Eſt ſemen Apii Macedonici C. B. Pin. ſtriatum, hortenſis & ſativi Apii fere par, ſed paulo minus, oblongum, acutum, ſaporis & odoris aromatici, coloris obſcuri.

Characterem plantæ vide ſub Apio hortenſi ſeu Petroſelino.

APIUM MACEDONICUM, APIUM SAXATILE, APIUM PETRÆUM. Steineppich/ Steinpeterlin. ACHE OU PERSIL DE ROCHERS. PERSIL DE MACEDOINE.

Apium Macedonicum. C. B. Pin. 154. Apium ſive Petroſelinum Macedonicum multis. I. B. 3. 2. 102. Petroſelinum Macedonicum ex Lob. Dod. Pempt. 697.

Colitur in hortis, gaudet loco ſabuloſo ac ſaxoſo.

SMYR-

Viribus coincidit cum Petroſelino vulgari, ſed virtutibus alexipharmacis antecedit. Ingreditur Theriacam.

SEMEN

SEMEN SMYRNII.

Eſt ſemen Smyrnii Matth. gemellum, craſſum, nigrum, anguloſum, ſaporis amaricantis, odoris Myrrhati.

Smyrnium dicitur à σμύρνα, Myrrha; quoniam hæc planta, & imprimis ejus radix, odorem & ſaporem habet myrrhatum. Macerone quoque audit. Maceron.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum fere globoſum, compoſitum ex duobus ſeminibus craſſiusculis, quandoque lunatis, hinc gibbis & ſtriatis, inde vero planis.

Smyrnium. Matth. 773. Hippoſelinum Theophraſti, vel Smyrnium Dioſcoridis. C. B. P. 154. Macerone quibusdam, Smyrnium ſemine magno nigro. I. B. 3. 2. 126.

Colitur in hortis, floret Julio.

Ananas

Semen gaudet virtute aperitiva & diuretica, menſes pellit, partum facilitat, malo iſchiadico conducit, convenit in colica flatulenta, medetur aſthmati. Quæ virtutes etiam competunt radici, quæ eſt craſſa, foris & intus alba, odorata, acris cum quadam amaritudine. Venit porro hæc radix etiam in cibum cruda & cocta, tum etiam folia, quæ ſunt foliis apii paluſtris ampliora, atrovirentia, ſapore ad Apium hortenſe accedente ſubdulci. Alit bene & hæc planta & præſtat eadem quæ Apium, ſed efficacius: frequentius in Anglia, in qua ſponte & ubertim provenit, in juſculis verno tempore ad ſanguinem depurandum adhibetur: ſunt etiam, qui in acetariis uſurpant.

Semina Smyrnii falſo à quibusdam Pharmacopoeis pro Petroſelini Macedonici ſemine ſubſtituuntur.

FRUCTUS SALE AROMATICO BLANDO CONFORTANTE CONSTANTES.

Ananas.
Berberis.
Fraga.
Framboeſia.
Mora.
Mala.
Pyra.
Uva criſpa.
Uvæ.

ANANAS.

Nana, fructuum Regina, in quam omnes guſtus ſuavitates, omnes ſaporis illecebræ collatæ ſunt.

In

Ananas eſt plantæ genus, auctore PLUMERIO, flore monopetalo veluti infundibuliformi, tripartito tuberculis embryonis innaſcente. Is autem deinde abit in fructum carnoſum, turbinatum, ſucci plenum, ſeminibus fœtum exiguis, veluti reniformibus (planis pyriformibus) calyptra obvolutis.

Diſtinguuntur ſpecies Ananaſæ in veras & ſpurias ſive ſylveſtres, quæ ultimæ fere omnes apice foliaceo, & corona carent. Priores habentur nobiliores.

Ananas aculeatus fructu ovato carne albida Plum. Carduus Braſilianus foliis Aloes. C. B. Pin. 384. Ananas Acoſtæ. I. B. 3. 96. Nana fructus ſive Yayama. Lugd. 1481.

Ananas

Ananas aculeatus fructu pyramidato, carne aurea. Plum. Ananas Pain de ſucre.

Ananas fructu conico minore, carne aurea, vel etiam fructu ovato minore. Ananas pomme de Renette.

Ὀξυακάνθα,

In uſum cedit fructus Ananaſæ, in India Occidentali & Orientali reperiundæ, quem LOCHNERUS in commentatione de Ananaſa ſequentibus deſcribit verbis. Fructus excreſcit in caule unicus, cacumini ejus inſidens veluti nodus, ſuperioribus foliis inferne ſuccinctus, ſtrobiliformis, Pini Italici fructum referens, cinaræ inſtar, foliis futurorum florum operculis eleganti ſpecie conſtructis, atque in modum cochleæ (ſi nempe à læva verſus dextram foliorum ordines inſequaris, alias rectius inſurgunt) ipſum fructum obſequentibus, ita ut ſextum in ordine ſemper è diametro aliud oppoſitum habeat, ubi bina ad latera circumſtant. Foliis hiſce Rhomboidæis cuſpidatis, ſurrectis, rigidis ad verticem ſenſim minoribus etiam in oris cuſpidibus ſeu aculeis parvis ac rigidis munitis, venis in longum verſus cuſpidem ſtriatis, anterius ſanguinei ac nitentis coloris, ut & exterius, ubi albicante farina obfuſcatur in unguiculis virideſcentibus conſtat. E vertice ſtrobiliforme oblongum capitulum vel pulchram potius roſam foliaceam emittit, in germinationis exordio perinde, ut cætera fructus folia, rubram atque in accretione virideſcentem, ſed, ubi lanuginoſa tunica obvelatur, purpuream; in ſui principio arcte, congruo tamen ordine, compactam, ſenſimque magis expanſam, in apice ſplendide virentem. Integer fructus pyramidalibus conflatur capſulis, ab interiore caule ad extimum corticem decurrentibus. Foliaceus apex, qui fructui inſidet nonnunquam ſimplex alias multifidus, radicum primordia in ſe continet & propagationi deſtinatus eſt. Et hæc generalis fructus deſcriptio.

Fructus

Fructus primæ à nobis denominatæ ſpeciei ſæpius octo vel decem pollices habet in diametro, quindecim vel ſedecim in altitudine. Carne gaudet albicante, quæ in minimas diſſolvitur fibras, cortex autem in flavedinem, tandem in aureum vergit colorem. Maturitati proxima ſuavem odorem exhalat, qualem cydonia, quem tamen ſuavitate ſuperat. Quantum autem elegantia moleque præ cæteris huic accedit, tantum guſtu pretioque decedit, quippe præ reliquis magis inviſa dentibus, ac gingivis cruentationem cauſando infenſior.

Altera ſpecies priori præpollet guſtu, gingivas tamen earum uſui nimium indulgentium æque ac prior cruentat.

Tertia ſpecies, fructu licet minore, guſtus & odoris gratia ad poma Renettica accedens, tamen omnibus aliis ſaporis odoriſque lenocinio præſtat, & fibroſa licet carne ori tamen ingeſta glaciei vel aquæ inſtar diffluit, nectaris Ambroſiæque fundens delicias.

Fructui huic ex partibus Salinis acidis plus minus volatilibus, irretitis partibus oleoſis adeoque dulcibus, conſtanti, peculiaris plane ineſt ſapor, qui ex innumeris ſuavitatum plurimarum conjunctionibus mixtus, omnis generis delitias exhibet. ROCHEFORTIUS in HISTORIA NATURALI INSULARUM ANTILLARUM ita loquitur. Tam ſublimi, peculiari plane ac ſingulari ſapore gaudet, ut accuratius illum deſcripturis, cum ſub una comparatione id fieri nequeat, opus fuerit omne illud trahere in ſubſidium, quicquid in malis Perſicis, fragis, uvis Appianis, malis renatis & melimelis ſuavitatum & delitiarum eſt. Aſt poſtquam hæc omnia dixerunt, fateri tandem coguntur, ineſſe huic fructui proprium & verbis vix exprimendum ſaporem. Nec minor diverſitas odoris eſt, quam ſaporis. Alii roſarum fragrantiæ, alii vinoſæ ſuaveolentiæ, alii pomorum, ad maturitatem

tem tendentium, alii perſicorum, alii cydoniorum halitui haud diſſimilem eſſe pronuntiant.

Expetitur Nana adulta maturaque: præferuntur autem fructus non tam, qui vi ſolis matureſcunt, ſed qui in conclavi aliquandiu ſuſpenſi fuerunt.

Decorticatam autem Nanam inque taleolas ſectam vino madefacere ſolent, ſic enim tolli illius noxam non-fruſtra exiſtimant, modo tantum temporis in vino hæreant, usque dum hoc prorſus imbiberint, ſupereturque eo modo ſucci pravitas. Hanc immerſionem in vinum neceſſariam eſſe jam BONTIUS agnovit, alias calore ſuo palatum & linguam exulcerat, bullasque in iis excitat, aut etiam dyſenteriam periculoſiſſimam inducere poteſt. Quibus vinum non ſuppetit, aquæ immittunt fructus diſſecti fruſtula, ut acrimonia extrahatur. Impregnatas vino taleolas quidam adhuc Cinamomo & Saccharo conſpergunt. Crudæ quoque Ananaſæ comeduntur, nunquam tamen ſine aromatibus, nec citra vini irrorationem. Quidam illas cum pipere comedunt. Saccharo quoque condiuntur melioris aſſervationis gratia, quæ nanæ ægris ſitientibus auxiliantur, & vires roborant. Vinum quoque ex Ananaſis paratur, quod Malvaſino comparant; Spiritus recreat animales, languenti opitulatur cordi, ſtomachique medetur nauſeæ, urinæque ſuppreſſiones tollit.

Quod virtutes Ananaſæ concernit, vires obtinet cordiales, ſanguinis æſtum reſtinguit, ſitim tollit. Hinc in febribus gratum præbet refrigerium. Virtute porro gaudet diuretica. Gravidis noxia exiſtit, abortumque procurare poteſt. Dicitur etiam poſſidere vim aphrodiſiacam, ut & alexiteriam. Plura qui ſcire cupit, adeat prædictum LOCHNERUM, ex quo hæc potiſſimum ſunt deſumpta.

BERBERES.

Sunt baccæ Berberis dumetorum C. B. Pin. cylindraceæ, tenues, per maturitatem pulchre rubentes, ſapore acido & adſtringente.

Ὀξυάκανθα, Oxyacantha, SPINA ACIDA, Berberis/Saurrauch/ Saurdorn/ Erbſal / Salſendorn/ EPINE VINETTE.

Eſt frutex vel etiam arbor flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, è cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum cylindraceum, mollem, ſucci plenum, uno vel altero ſemine fœtum oblongo.

Berberis dumetorum. C. B. Pin. 454. Berberis vulgo, quæ & Oxyacantha putata. I. B. 1. 52. Spina acida ſive Oxyacantha. Dod. Pempt. 750.

Sponte naſcitur multis in locis incultis, ſylvoſis, frutetis, campeſtribus montanis ſiccis & aquoſis. Floret Aprili & Majo, Auguſto vero Septembri & Octobri matureſcunt baccæ in racemis.

IN

Baccæ, juxta SOCIETATEM REGIAM PARISIENSEM, plurimum liquoris acidi parum ſpiritus urinoſi, ſatis vero olei & terræ ſuppeditant. Acini ſive ſemina baccarum habent partes auſteras & terreſtres. Propter aciditatem majorem edendo non ſunt. Medicina ſunt, inquit SEBIZIUS, non alimonia. Refrigerant, ſitim & æſtum ſedant, virtute gaudent cordiali, hepaticaque, ventriculo medentur, vomitum ſedant, appetitum excitant. Conducunt in febribus, diarrhœis & dyſenteriis, Cholera, ob virtutem adſtringentem. Proſunt in affectibus cholericis, bilis volatilitatem atque acrimoniam deprimunt, atque corrigunt. Laudantur in hæmoptyſi, aliisque fluxibus ſanguinis, menſium v. gr. fluxu nimio.

Parantur varia exinde medicamina.

℞. Con-

IN OFFICINIS PROSTANT.

Berberes exſiccati, gedörrter Saurach/ *Berberis Sechés.* Pro ſcopo adſtrictorio dantur ad ℈j. ʒß.

Berberes conditi cum acinis, eingemachter Saurrach mit Kernen. *Condit de Berberis avec les grains.*

Berberes conditi ſine acinis, eingemachter Saurrach ohne Kernen/ *Condit de Berberis ſans grains.* Hi æque, ac antecedentes, gratum præbent refrigerium & refocillationem in morbis ſic dictis calidis.

Succus Berberum, roher Saurauch-Safft/ *Suc de Berberis* ex baccis recentibus & ſucculentis expreſſus. Acidulari hoc ſucco ſolent julepi & potiones refrigerantes. Tineas ventris necat, firmat vacillantes dentes, & gingivas roborat, faucium uvulæque inflammationes diſcutit. Utplurimum autem tantummodo uſurpatur ad alias remediorum formas concinnandas.

Tabulæ ſive rotulæ ex ſucco berberum, Saurach-Täffelein/ *Tablettes de Suc de Berberis*; refrigerant ſitimque ſedant, & vel ita comeduntur, vel edulcorandi gratia mixturis immiſcentur.

Rob Berberum, Saurrach-Safft/ *Rob d'Epine vinette*, refrigerat ſitimque ſedat & bilem refrænat. Pertinet huc merito

Gelatina Berberum, Saurach Gelee/ *Gelée d'Epine vinette*, gratiſſimum refocillans.

Syrupus Berberum, Saurach-Syrup/ *Syrop de Berberis* ou *d'Epine vinette*, grata ſua aciditate ſitim ſedat & æſtum refrænat, bilemque reprimit, commiſcetur vel Potiunculis vel Julapiis.

Tartarus ſive Sal Eſſentiale Berberum. Hoc remedium equidem non proſtat in officinis, interim quoniam non adeo inelegans eſt, ideoque ejus præparationem ex SIM. PAUL. Q. B. apponere placuit.

℞. Succi Berberum præter propter ℔ij. pond. Med. Succi Limonum vel Citri ℥ij. Miſc. colloca ſuper arenam calidam, & per biduum digere, dein filtra per colatorium aut pannum laneum, poſtea beneficio arenæ calidæ is exhalet ad dimidias, ſed cave ne plus juſto incaleſcat: colatum hunc ſuccum, ubi per aliquot dies in locum ſubterraneum aut cellam recondideris, cernes tartaro ſuo vitri fundum & latera incruſtare, ſepara per vaſis inclinationem ſuccum, & fac iterum, ut exhalet ad dimidias, ut reſiduum in eo tartari quoque compares, quem ac priorem vaſi vitreo inditum blandiſſimo calore exſicca & uſui ſer-

va. Qui inſtar cremoris tartari pulveriſatus juſculis ſorbilibus, ptiſanæ, decoctis aut Julapiis, denique adverſus febres remiſtus non ſolum ſingulis vel omnibus his acore ſuo ori & ventriculo pergratum ſaporem conciliat, ſed quoque corruptioni humorum & febrili æſtui inſigniter reſiſtit.

℞. Conſerv. roſar. ⊕l Conſ. acetoſel. ana ℥j. ʒij. fructu. berber. condit. ℥j. Lact. Hiſpan. condit. ℥ß. Mſc f. cum ſuc. berb. rib. vel cum ſucco Citri electuarium acidius.

℞ Aqu. Lactucæ, Acetoſellæ ana ℥ij. decoct. C. C. ℥jv, Syrup. Berber. Rib. ana ℥j. Mſc. f. Julepus.

FRAGA.

Sunt fructus globoſi vel ovales fragariæ, magnitudine figura colore & ſapore variantes. Sunt enim magna & parva fraga, ſunt rotunda & oblonga, ſunt rubra, alba, herbacea, lutea, pallida inter alba & rubra media, ſunt vinoſa & ſubdulcia, odoris admodum fragrantis.

FRAGA dicta videntur à fragrantia odoris, MORA TERRESTRIA, HUMI NASCENTIA, Erdbeeren / FRAISES.

IN

Continent hi fructus principia ſalina, volatilia, acidulata, & ſimul alcalina, cum terra adſtringente remixta, reſolvunt colliquant, abſtergunt tonũ moderate roborant & diureſin excitant. Æſtuanti ſtomacho conducunt, ſitim extinguunt, fervorem hepatis ac renum alterant; ætati juvenili & complexioni cholericæ convenientiora, quam Senili & naturæ phlegmaticæ: purgant renes, hepar & lienem aperiunt, virtutem diaphoreticam ſed paucam habent. In pernionibus nil melius quam tempore fragorum loca regelata fricare aliquoties fragis recentibus. Alimentum conferunt exiguum tenue & aquoſum, ap-

petitui

petitui autem imprimis proſpiciunt, commendantur cum ſanitatis diſpendio ex cremore lactis. Salubrius aſſumuntur cum vino, aſperſo Saccharo & pulvere Cinamomi. Optima autem ſunt fraga, docente SEBIZIO, rubentia recentia, magna odorata, bene matura, mollia, vino bono à foliis omnique eluvie repurgata. Notandum quod frequenter etiam fraga comedantur conſperſa aqua & ſaccharo.

Fraga prope prius cum vino abluta poſtea tuſa & in Spiritu Vini infuſa & aſſervata, teſte SEBIZIO, experimentum ſunt in calculo renum; accipiuntur vero fragorum contuſorum ℥xvj. & macerantur in menſura dicti Spiritus. Doſis cochleare.

Fraga colicam & choleram nimio uſu excitant ut & catarrhum. Fœtum quoque pellere dicuntur.

IN OFFICINIS ASSERVANTUR.

Aqua fragorum. Erdbeerkrauth-Waſſer/ *Eau de fraiſes.* Cordialis habetur, ſitim & æſtum febrilem mitigat, calculum pellit, maculas faciei delet & faciem reddit nitidam, hæmorrhagiam quoque ſiſtit tum bibita tum foris applicita.

℞. Aqu. fragor. Petroſel. Vin. Ardent ana menſ ß. Vini Cretic. optimi quartam menſuræ partem, Sacchari cand. ℔ß. ſtent in infuſione per aliquot dies. Doſis cochlearia duo in calculo.

Spiritus fragorum per fermentationem paratus, Erdbeer-Spiritus, *Eſprit de fraiſes.* Cordialis cephalicus & diureticus habetur, calculum quoque pellit.

Syrupus fragorum, Erdbeeren-Syrup/ SYROP DE FRAISES, refrigerat, ſitim ſedat, cordialis eſt & diureticus.

Fructus

FRAMBOESIA.

Sunt mora Rubi idæi, per maturitatem rubentia, inter acinos pilis donata, dulci vinoſoque carnei coloris ſucco ebria, odorem fere Violæ Martiæ ſpirantia.

Fructus hi vocantur FRAMBOESIA, Hinnebeeren/ Hymbeeren/ Himbeeren/ Haarbeer/ Horbeer/ Hindbeer/ Hinnenbreemen/ FRAMBOISE.

Fructus hi maturi eſitantur abluti diligenter & ſaccharo conſperſi. Refrigerant, ſitim ſedant, vi gaudent analeptica, ob ſal volatile acria temperans: facile autem corrumpuntur in ventriculo. Condiuntur Saccharo, paratur exinde elegans gelatina, in gratiam ægrotantium æque ac ſanorum.

MORA

IN OFFICINIS ASSERVANTUR.

Succus rubi Idæi, roher Himbeeren-Safft / *Suc de Framboiſes*. Vi analeptica gaudet, unde julepos in febribus ingreditur, ob gratum ſaporem acidulum.

Rob rubi Idæi, dicker Himbeeren-Safft / *Rob de Framboiſe*, convenit cum Syrupo.

Syrupus Rubi Idæi, Himbeeren-Syrup/ *Syrop de Framboiſe*. Febrium æſtus mitigat, cardiacus eſt, blande adſtringit, in dyſenteria & diarrhœa præſertim bilioſa prodeſt. GESNERUS Syrupum hunc pro ſcopo analeptico & confortando ſtomacho quibusvis aliis omnibus perlis & gemmis præfert.

Acetum rubi Idæi, Himbeeren-Eſſig/ *Vinaigre de Framboiſe per infuſionem paratum*. Cenſetur præſervativum in peſte. Applicatur pulſibus pro compeſcendo æſtu & malignitate arcenda in febribus malignis. Uſurpatur tamen utplurimum in menſis pro grato condimento.

Aqua è fructibus Rubi Idæi deſtillata, Himbeeren-Waſſer / *Eau de Framboiſe*, quæ ſuaviſſima eſt recens deſtillata, & omnibus formulis, ut cum LENTILIO loquar, gratiam addit, ſed ætatem non fert, hinc non niſi recens præſcribenda. Ingruente autumno plerumque aceſcit. Violaceum fere ſpirat odorem. Cordialis quam maxime habetur.

Æſtatis tempore vinum quoque rubi Idæi paratur. Monet autem SIMON PAULI, quod ii, qui veſperi pluſculum hujus meri ingurgitarunt, mane manifeſto duos illius effectus perſentiſcant, nempe, ut quando-

quandoque rubicundum ſudent ſudorem, aut de vehementi capitis dolore conquerantur.

MORA.

Sunt fructus Mori Dod. breviſſimo pediculo hærentes, majores & longiores quam Rubi, glomerati ſimiliter, ſed acinis minus rotundis, primum quidem virentes & auſteri vel ſubauſteri, poſtmodum per maturitatem in Moro nigra rubentes, acidi vinoſi & quodammodo adſtingentis ſaporis, in Moro alba ſapore melleæ dulcedinis.

Mora Germanis dicuntur Maulbeeren/ quod oris quibusdam affectibus conducant. Meures.

In

Mora, de quibus fabuloſe narrant, quod ob Pyrami & Thisbes ſanguinem rubra evaſerint, cum antea fuerint alba, ſunt vel adhuc immatura quæ rubra, vel maturitatem adepta, quæ nigra. Illa Medicinæ potius inſerviunt quam culinæ, hæc utrique proſunt. Immatura, inquit SEBIZIUS, refrigerant inſigniter & ſiccant, valenter quoque adſtringunt. Matura humore vinoſi ſaporis abundant, refrigerant, humectant, alvum lubricant, alimentum autem corpori præbent minimum, ſitim auferunt, appetitum calore languentem reſtituunt, bilis fervorem mitigant. Præmittenda ſunt ferculis aliis, quia velociter tranſeunt, & quaſi viam iis ſternunt. Inimica ventriculo debili, humido, frigidoque, aut pravis humoribus referto exiſtunt. Convenientiora calidis ſiccisque naturis, & illis qui æſtivo tempore vel laboribus duris vel itinere longiore ſe alterarunt & debilitarunt. Facile, ut fructus fugaces alii, in ventriculo corrumpuntur. Nocent

Phleg-

Phlegmaticis & in ſenili ætate conſtitutis. Ventriculum affatim comeſta, propter flatus, quos generant, inflant. Mora quoque vermes producere dicuntur.

Extractione fructus mori tinguntur manus colore rubro, ſimulac vero immaturo adhuc fricantur fructu manus, ſubito color ruber diſparet.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Succus Mororum, roher Maulbeer-Baum/ *Suc de Meures.*

Roob Diamoron, Maulbeer-Safft/ *Rob de Meures.* Commendatur hic ſuccus præſertim in oris affectibus, angina, faucium & oris excoriatione ejusque variis puſtulis, Uvulæque relaxatione uſurpatur vel per ſe vel in gargariſmatibus.

MALA.

Sunt fructus Mali domeſticæ carnoſi, fere globoſi, plerumque utrimque umbilicati, magnitudine, colore, ſapore mirum variantes, odoris, dum maturi ſunt, non ingrati quadantenus aromatici. Semina continentes oblonga, altera parte obtuſa altera acuta, per maturitatem nigra, duris pelliculis ſeu parietibus intergerinis ſejuncta, medulla candida ſapore ſubdulci.

In

MALUS, Μηλέα ἥμερος, MALUS HORTENSIS, MALUS SATIVA, MALUS POMIFERA, zahmer Apffelbaum/ POMMIER CULTIVE.

Eſt arbor flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, cujus calyx abit deinde in fructum carnoſum, fere globoſum, plerumque utrimque umbilicatum, in loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum calloſis & oblongis. His notis addenda eſt propria mali facies.

Mali

Mali domeſticæ innumeræ pene ſunt ſpecies, quæ differentiæ à cultura potiſſimum dependent. Quarumdam tantum ſpecierum principaliorum mentionem injiciam.

Malus domeſtica vulgaris. Jonſt. de arbor. 2. Pomus ſive Malus. C. B. Pin. 434. Malus. I. B, 1. 1. 1. gemeiner Apffelbaum Pommier commun.

Mala Porſtorffiana. I. B, 1. 1. 5. Mala Borsdorffiana. Borsdorffer Apffelbaum.

Malus ſativa, fructu ſubrotundo è viridi palleſcente, acido dulci. Tourn. I. R. H, cl. 21. S. 8. g. 5. Mala Praſomila. C. B. Pin. 433. Poma Renetica. Car. Steph. Præd. Ruſtic. 147. Renette blanche ou franche. Weiße Renetten.

Malus ſativa, fructu ſubrotundo, è viridi ferrugineo. Tourn. l. c. Renette griſe.

Malus Franconica. Francken-Aepffelbaum.

Malus ſativa fructu orbiculato odorato. Tourn. l. c. Malus ſapido fructu, ſtriis rubris picto. H. R. Par. Mala Apiola & Mileroſa. Matth. Pommier d'Api.

Malus ſativa fructu polygono, ſaporis vinoſi acidiuſculi. Tour. l. c. Pomum quadratum Montbelgardenſibus acidum flavum. I. B. 1. 10.

Malus pumila, quæ potius frutex, quam arbor. C. B. Pin. 435. Spalier-Apffelbaum.

Malorum domeſticorum pumilorum, æque ac aliorum, præcocium, mediorum, ſerotinorum, dulcium, acidorum, vinoſorum innumeræ fere ſunt diverſitates multiplicis inſitionis ingenio productæ.

Malus colitur in hortis, & agris, floret Vere, fructus maturantur nunc citius nunc tardius. Malus habet folia ex rotundo oblonga vel obtuſa vel acuminata, inferne villoſa magis quam ſuperne præſertim nova in ambitu crenata alternatim poſita. Corticem habet ſcabrum foris cinereum intus flavum, lævem potius quam aſperum, materiem albam vel candidam, fragilem, mediocriter duram & variis utenſilibus præſertim domeſticis parandis, atque ad torni artificium haud incommodam.

Fructus hujus arboris vocantur MALA μῆλα, POMA. Vocabulum autem POMUM hic in ſtrictiore ſumitur ſignificatu & à πόμα ſive potius πῶμα dictum arbitratur JULIUS SCALIGER, quia

ſitim tollerent eorum plurima, ſimulque eſſent cibo & potui. Germanice dicuntur Aepffel / gallice POMMES.

MALA ſicuti ſapore ita & viribus diſcrepant. Dantur nempe, POMA ACIDA Ὀξύμηλα, Säurling/ Saurápffel/ quæ refrigerant, alimentum parcius ſubminiſtrant, idque crudum & frigidum, ventrem inhibent, urinam pellunt, humores incidunt & attenuant; febricitantibus cibum præbent commodum.

MALA DULCIA, μελίμηλα, γλυκύμηλα, Süßápffel/Honigápffel/ mediæ ſunt temperaturæ, minus humida & frigida. Ventrem emolliunt, minus facile deſcendunt per alvum, præſtant ad melancholicos affectus & pleuriticos.

INSIPIDA POMA refrigerant & humectant, quia palato inſuper ingrata, ſtomachum nil juvant, neque fluentem ventrem remorantur. Nocentiſſima videntur omnium, quoniam ob luxuriantem humiditatem facile corrumpuntur, ut SEBIZIUS docet.

MALA VINOSA, οἰνόμηλα, Weinſaure Aepffel/ Weinling. Refrigerant, ſitim ſedant, ventriculum recreant, ſaporis grati, febricitantibus utilia.

MALA ACIDO DULCIA & REDOLENTIA, Ὀξυμελίμηλα, halbſaur halbſüß und wohlriechende Aepffel. Saporis ſunt gratiſſimi, ſtomacho utilia, minime flatulenta, nutriunt modice, cor confortant, animum exhilarant, melancholiam & triſtitiam abigunt, ſputa promovent, tuſſimque ſedant.

IN

In uſum veniunt cruda & cocta. Cruda menſis apponuntur ſecundis, cocta primis. Aſſantur, ut loquitur rurſus SEBIZIUS, elixantur, friguntur, variis modis condiuntur, & in pulticulas formantur poma, alienasque qualitates à rebus ſibi admixtis aſciſcunt. Præſtant autem aſſa & elixa crudis. Meliora enim coctione redduntur & miteſcunt. Immatura poma pernicioſa ſunt, ut merito dixerit GALENUS, etiam ab optimis toto genere malis, priusquam in arboribus maturuerint, cavendum eſſe; non enim concoquuntur, tardius quoque dejiciuntur, & admodum frigidæ ſunt

ſunt naturæ. Exactam nacta maturitatem & aliquandiu aſſervata, dum excrementitia humiditas exhalarit, præferenda ſunt reliquis. Poma modice uſurpata conducunt, imprimis hypochondriacis, aſt immodicus uſus maxime noxius eſt. Non tantummodo enim in ventriculo gravant & difficulter concoquuntur, ſed & cruditates & flatus producunt, & exinde dependentia mala, imo phthiſin & ipſam apoplexiam induxiſſe obſervatum fuit. Pertinent huc verſus illius Poëtæ.

Mala cave: Mala ſunt, poſſuntque inducere febres,
Forma placet nitidi corticis, eſca nocet.

Ex pomis pro uſu præſertim Medico præferuntur BORSDORFFIANA atque RENETTICA. In uſum quoque ſæpius trahuntur poma FRANCONICA. Poma Borsdorffiana, ut habet ETTMULLERUS, adde etiam Poma Renettica, non tantum blandum aroma ſpirant, ſed ſpeciatim in terrore & triſtitia melancholicorum, melancholia hypochondriaca, aliisque affectibus melancholicis, & ſpeciatim in malo hypochondriaco conducunt, laxant alvum blande, & efferveſcentias hypochondriacas compeſcunt, & ita per accidens palpitationem cordis, inæqualem ſanguinis motum fermentativum, & imaginationes melancholicas tollunt, adeoque cordialia vulgo talia poma dicuntur. Ingreditur ſuccus pomorum, propter modo dictas virtutes, confectionem Alkermes. In obſtructionibus alvi infunduntur folia Sennæ in ſucco pomorum, additur cremor tartari aut tartarus ſolubilis, exponuntur in locum tepidum, ut fiat extractio. Sicque fit potus laxativus. Poma Renettica recipiuntur in ptiſanam laxantem Regiam.

Reſiccata etiam poma in fruſta diſciſſa nunc cum pellicula, nunc absque ea aſſervantur & poſtmodum coquuntur. Vacantur Aepffelſchnitz.

Externe, ut rurſus ETTMULLERUS diſſerit, poma putrida applicantur in ophthalmia. In inflammationibus certe & doloribus oculorum ut & oculis ex percuſſione & contuſione vulneratis nil melius eſt cataplasmate pomorum coctorum vel etiam putridorum, qua putredine ſua reſolvunt cruorem & ſiſtunt dolores æque ac tumores. Poma putrida laudantur porro ad laterum dolores & ad gangrænam contuſa & cataplasmatis forma impoſita. Succus pomorum putridorum laudatur ad ulcera antiqua. Commune euporiſton eſt in pleuritide cataplasma ex pomis franconicis vel recentibus vel putridis in butyro frixis, lateri dolenti appoſitum.

Ex pomis putridis, uti rurſus ETTMULLERUS docet, deſtillatur aqua, quæ propter copioſum, quod una aſcendit, alcali volatile, apud Chirurgos magni æſtimatur in quibusvis inflammationibus & contra gangrænam, non ſecus ac contra fluxus ſanguineos vulnerum atque ulcera maligna antiqua, & ex quacunque cauſa orta, ut & in ambuſtionibus. In hac aqua ſi ſolvatur Mercurius dulcis vel ſaccharum ſaturni fit egregia ad ulcera phagædenica & cacoethea; prodeſt in cancro putrido & corroſivo, qui magis cupit relinqui quam tangi, ſi linteum quadruplicatum hac aqua humectatum imponatur. Aqua hæc miſta cum ſaccharo Saturni & impoſita cum linteis egregia eſt in ambuſtis. Aqua ex pomis non putridis ſive Reneticis, ſive Borsdorffianis deſtillata, refrigerat & confortat & in hectica præſtans eſſe dicitur. Ex pomis quoque elicitur liquor vinoſus ſeu Vinum pomaceum, de quo infra.

℞. Raſur. Lign. Rhod. Cinam. acut. Lign. Saſſafras ana ℥iij. Cortic. Citr. rec. Aurant. rec. ana ℥j. Macis, Caryophyll. ana

ana ℥ij. fol. Citri, Meliſs. ana man. vj. flor. Roſar. rubr. Lilior. convall. Tunic. Lavend. Borrag. Bugloſſ. Violar. ana m. v. Succi Pomorum Borsdorff. lib. iv. Vin. gener. opt. q. ſ. ſtent vaſe optime clauſo in digeſtione per 14 dies. Poſtmodum deſtilla lento Balnei calore: Roſtro capitelli impone Croc. Orient. ℈ij. Ambr. grys. Moſchi ana gr. iij. Zibeth. gr. jv. omnibus in petia ligatis. Eſt aqua cordialis confortans HOFFMANNI pro maſculis cochleatim ſumenda.

℞. Succi pomorum Borsdorffianorum vel Reneticorum ℥vj. Succ. Citr. ℥ß. Seri lactis caprill. ℔jv. Coq. & clarifica cum album. ovi. Infund. Borrag. Violar. ana man. j. Colat. uſurpetur cum Syrup. Violarum in melancholia & mania.

℞. Poma dulcia No. iij. coq. in s. q. aqu. Euphras. & fœnic. ad mollitiem, pulpa trajiciatur per ſetaceum, cui poſtea addantur Sacchari albis. ʒiij. Camphor. gr. xv. croci gr. v. Mſc. pro cataplasmate, quod imponatur tepide oculis cum linteolis duplicatis.

PYRA.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Extractum Martis cum ſucco pomorum, Eiſen-Extract mit Aepffel-Safft/ *Extrait de Mars avec le jus de Pommes.* Datur ad grana xv. xxx. &c. pro ſcopo aperiendi, inſervit præprimis in paſſionibus hypochondriacis & hyſtericis.

Syrupus Pomorum ſimplex, Aepffel-Syrup/ *Syrop de Pommes ſimple.* Huic Syrupo vires confortandi, reſrigerandi, ſitim ſedandi & bilem compeſcendi tribuuntur.

Syrupus Pomorum laxativus, laxierender Aepffel-Syrup/ *Syrop de Pommes laxatif.* Purgat & aperit, commendatur in affectibus melancholicis, & hyſtericis, menſes quoque pellere dicitur. Datur ad ℥j. ℥ij.

Tinctura Martis cum Succo Pomorum, Stahltinctur mit Aepffelſafft/ *Teinture de Mars aperitive avec le Suc de Pommes.* Hæc Tinctura cele-

bratur ab authore ROLFINCIO, aperiens; craſſos & foeculentos humores maſſæ ſanguineæ admiſtos, ſeroſos etiam & acres humores ſcorbuticos reſolvendo. Doſis ad ʒj. ad ʒij.

Unguentum Pomatum Auguſtanorum, Pomaden/ *Pomade.* Nomen habet à pomis ingredientibus, ad oris fiſſuras & decorem cuti conciliandum, ad capillos eo inungendos utiliter adhibetur. Notandum autem hic, quod nunc communiter per unguentum pomatum ſimpliciter dictum intelligatur Unguentum roſatum ſimplex.

PYRA.

Sunt fructus Pyri domeſticæ, carnoſi, plerumque turbinati, circa Pythmena craſſiores, juxta pediculum tenuiores, & veluti in pyramidem faſtigiati, in qua tamen figura multum variant, carne quam malorum denſiori, ſatis ſuccoſi ſed plerumque aceroſi, præſertim circa medium, ubi ſemina foris nigra, intus alba, qualia Mali, cellulis coriaceis diſtincta, pediculo fere quam Pomorum longiori, colore ſapore, odore, magnitudine &c. mirum quantum variantes.

Tem-

PYRUS a πῦρ ignis dicitur, quod fructus ejus flammæ inſtar è lato in oblongum faſtigietur Alii PIRUM ad ἄπιος derivant, truncato capite & inſerta litera R. Vocatur etiam ἄπιος, ἄππιος, Bieren-baum/ Birnbaum/ POIRIER.

Eſt arbor flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis conſtante, cujus calyx abit deinde in fructum carnoſum, plerumque turbinatum & umbilicatum, in loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum oblongis, His notis addenda eſt propria Pyri facies.

Malorum magnus eſt numerus ſed longe plures Pyrorum occurrunt differentiæ, à fructus magnitudine, figura, colore, odore, ſapore, conſiſtentia, cortice, pediculis, tempore quo maturantur, regione in qua proveniunt, duratione &c. deſumptæ. Paucarum ſpecierum principaliorum liceat injicere mentionem,

Pyrus

Pyrus ſativa. C. B. Pin. 439. Pyrus. I. B. 1. 1. 35. gemeiner Bierenbaum. Poirier cultivé.

Pyrus ſativa fructu æſtivo ovato, punctis ferrugineis conſperſo. Tourn. I. R. H. cl. 2. S. 8. g. 1. Pyrum ovatum. I. B. 1. 45. Beſte Bierenbaum.

Pyrus ſativa, fructu æſtivo turbinato ſeſſili, ſaturatius rubente punctato. Tourn. l. c. Pyra Chirothecalia. I. B. 1. 45. Henſchenbierenbaum. Poire de parfum.

Pyra ςεατάπιχ. I. B. 140. Pyra inſtar adipis aut liquaminis in ore liqueſcentia. Ej. Schmaltzbieren. Beurré.

Pyrus ſativa fructu autumnali ſuaviſſimo, in ore liqueſcente. Tourn. I. R. H. l. c. Beurré rouge gris ou vert.

Pyrus ſativa fructu æſtivo partim ſaturo rubente, partim flaveſcente moſchato. Tourn. l. c. Pura Jeſu ſeu Moſchatellina rubra. I. B. 144. Pira Favonia rubra Lugd. 306. Mouſcadelles rouges ou groſſe Muſcadelle.

Pyrus ſativa fructu æſtivo oblongo magno, partim rubro, partim albido odorato. Bon Chreſtien d'Eté, Sommer-Bon-Chretien.

Pyrus ſativa fructu brumali magno pyramidato, è flavo nonnihil rubente. Tourn. l. c. Pira boni Chriſtiani. I. B. 1. 52. Pira Pompejana cognomine mammoſa Plin. Lugd. 306. Winter-Bonchretin/ Bon Chreſtien d'Hyver.

Pyrus ſativa fructu Saccharato. Zuckerbieren.

Pyrus ſativa fructu autumnali ſeſſili ſaccharato, odorato, & viridi flaveſcente, in ore liqueſcente. Tourn. l. c. Pira Bergamotta Gallis. I. B. 1. 45. Pyra Falerna Plinii Lugd. 30. Bergamotten-Bieren/ Poire Bergamotte.

Pyrus ſativa, fructu autumnali, longo viridique, odorato, in ore liqueſcente. Tourn. l. c. la Verte longue ou Moüille bouche d'Automne.

Pyrus pumila, Spalier-Bieren.

Pyrus ſativa fructu æſtivo longo, acerbitate ſtrangulationem minitante. Tourn. l. c. Pira ſtrangulatoria. I. B. 153. Pyra ſtrangulanea. Lugd. 307. Kannen-Biern/ Manns-Birn. Poirre d'Eſtranguillon.

Pyrus

Pyrus colitur in hortis & agris; floret vere, fructus quoque nunc citius nunc tardius ad maturitatem perveniunt. Pyrus altius quam Malus aſſurgit, ſed minus fit patula, ramis iisque plurimis, ſurrectis potius, quam laterorſum extenſis, cortice quam Mali ſcabriore eſt, materie firma ſatisque tractabili, præſertim ad typos & ſculpturas apta, item ad tornum & alia, ex pallido, rufeſcente, quæ ſiccata magis etiam rutila fit. Folia circinata fere, vel ex circinato oblonga, marginibus æqualibus ſeu minime inciſis aut crenatis, eorum figura pro ſpecierum diverſitate variante, longiuſculo pediculo hærentia, ſuperne lævia, ſplendentia, inferne aſperiuſcula, albicantia, alternatim poſita.

Fructus hujus arboris vocantur PYRA, PIRA, quod nomen à pyramide accepiſſe videntur, cujus plerumque figuram referunt. Turbinantur enim, dicente SEBIZIO, in mucronem. Græci illa vocant ἄπια quaſi non habentia pinguedinem; quæ tamen derivatio, juxta modo dictum authorem ridicula videtur, nam & aliis fructibus pinguedine carentibus hoc nomen competeret. Alii malunt à regione Appia. ex qua in alias regiones translata, derivare. Bieren/Birnen. POIRES.

Pyrorum, uti jam ſupra dictum, tot ſunt differentiæ à cultura quoque multum dependentes, ut omnes varietates enarrare nec facile, nec fere poſſibile ſit, cum unusquisque fere pagus quædam genera peculiaria habeat, ut loquitur JOH. BAUHINUS.

UVA

Temperamentum Pyris, ut habet SEBIZIUS, non eſt omnibus idem. Imo unum idemque Pyrum partes habet κράσεως diverſæ. Reperiuntur enim Pyra, quorum quædam partes ſunt terrenæ, quædam aqueæ. Dulcia tamen videntur ad aliquem inclinare calorem. Acida, acerba, auſtera atque inſipida frigida ſunt. GALENUS dicit omnibus pyris ineſſe vim adſtringendi. Sciendum autem, quædam adſtringere vehementius, ut auſtera atque acerba: quædam minus, ut vinoſa & dulcia. Ἄποια ſive inſipida adſtrictionis expertia ſunt.

Quædam adeo ſunt acerba, ut cruda fere devorari nequeant.

queant. Quodſi comedantur, ſtrangulare hominem videntur, ut non immerito ſtrangulatoria appellentur.

In uſum cedunt cruda & cocta. Cruda menſis ſecundis apponuntur & quandoque cum ſaccharo comeduntur. Cocta & primis & ſecundis inferuntur menſis. Apparantur autem Pyra infinitis fere modis. Nam & elixantur, & in fruſta conciduntur & quibusdam admiſcentur carnibus.

Pyra arida & reſiccata, ſive cocta ſive cruda comedantur, ventris fluxus, ſanguinis exitum & menſtruorum hæmorrhoidumque immodicam purgationem ſiſtunt. Reſiccantur autem vel integra vel in fruſta conſciſſa, nunc cum pellicula, nunc pellicula detracta, & dicuntur Bieren=Schnitz/ quæ frequentiſſime in multis œconomiis uſui veniunt.

Cocta Pyra crudis utiliora ſunt: audiamus SCHOLAM SALERNITANAM de Pyris ita canentem.

Adde Pyro potum, nux eſt medicina venerio,
Fert Pyra noſtra Pyrus, ſine vino ſunt Pyra virus.
Si Pyra ſunt virus, ſit maledicta Pyrus.
Dum coquis antidotum Pyra ſunt, ſed cruda venenum.
Cruda gravant ſtomachum, relevant ſed cocta gravatum
Poſt Pyra da potum, poſt Pomum vade cacatum.

Pyra alimentum amplius & copioſius quam mala ſeu Poma conferunt, ſed hoc ipſum frigidum ac reprobum. Qui flatibus, ut monet SCHWENCKFELDT, obnoxii ſunt, non ab eſu pyrorum modo, ſed etiam crudorum omnium abſtinere debent, utpote quæ flatus gignant.

Succus pyrorum, præſertim dulcium, cum ſaccharo decoctus alvum laxare fertur. Exterius Pyra aſſa umbilico impoſita ventriculum roborare & nauſeam atque vomitum tollere dicuntur. Decoctum Pyrorum reſiccatorum ad æſtum & ſitim febrilem laudatur. Odor pyrorum partum reddere difficiliorem perhibetur, quem partum facilitare Viſcus pyrorum creditur. Ex ſucco Pyrorum fit Pyraceum, de quo infra. Condiuntur pyra a multis ſaccharo & cordialia habentur.

℞. Conſerv. flor. bugloſſ. Conſ. flor. tunic. ana ℥ij. Cortic. Citr. cond. Pyror. Moſchatell. condit. ana ℥iß. Confect. Alkerm. ʒj. F. cum Syrup. flor. Tunic. electuar. cordiale cuſpidatim ſumendum.

UVA CRISPA.

Sunt Baccæ fructus groſſulariæ vulgaris ſativæ, rotundæ, hirſutæ, ſtriatæ, ante maturitatem virides, acidæ & auſteræ, per maturitatem vero ſubflavæ & vinoſo ſucco plenæ.

Imma-

UVA CRISPA vel UVA SPINA nomen habet ab intortis & veluti criſpis foliis, & acinis ſive baccis, quas producit. GROSSULARIA audit à cute groſſa, qua acini obteguntur, ſiquidem manducati crepant inſtar membranæ, quæ diſrumpitur, Kreuſelbeer/ Kraußbeer/ Kloſterbeer/ Creutzbeer/ Stachelbeer/ Stichelbeer/ GROSEILLER BLANC EPINEUX.

Eſt frutex flore roſaceo plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante in inciſuris calycis monophylli & pelviformis naſcentibus. Hujus autem poſterior pars abit deinde in baccam globoſam vel ovatam, mollem, ſeminibus fœtam exiguis.

Groſſularia ſimplici acino vel ſpinoſa ſylveſtris. C. B. Pin. 455. Uva criſpa ſive Groſſularia. I. B. I. 47. Uva criſpa. Dod. Pempt. 748.

Groſſu-

Groſſularia Spinoſa ſativa. C.B. Pin. 455. Groſſularia majore fructu. Clus. Hiſt. 120.

Groſſularia Spinoſa ſativa altera foliis latioribus. C.B. Pin. 455. Groſſularia Spinoſa fructu obſcure purpuraſcente. I. B. 1. 48. Groſſularia fructu obſcure purpuraſcente. Clus. Hiſt. 120.

Prior ſpecies in ſylvis provenit & ſepibus. Duæ ſequentes coluntur in hortis. Florent Aprili, fructum vero Majo Junio & Julio perficiunt.

Uvæ

Immaturus fructus variis additur ferculis, potiſſimum carnibus, piſcibus pullisque gallinaceis ut condimentum, saporis gratia; nam ſucco ſuo ſubacido cibos commendat. Adſtringit inſuper ſatis valide. In cibatu, ut ait SEBIZIUS, uſus ejus eſt loco omphacii. Nauſeam tollit, appetitum excitat, gravidis, quæ cibum omnem reſpuunt, ſalutaris. Valet contra picam gravidarum. Juſcula, in quibus coctus, ori grata ſunt, & febricitantibus, quia refrigerando alterant, utilia. Crudus comeſtus frigidum crudumque parit ſuccum & parum aut nihil alit. Alvum inſuper ſiſtit, ſanguinisque fluxum cohibet. Maturus mollis eſt & eſui aptior, quia dulcedinis particeps, ſed ad condimenta raro adhibetur. Convenit fructus bilioſis & ſanguineis, in calida præſertim aëris conſtitutione, ſed debili frigidoque ventriculo noxam adfert.

UVÆ.

Sunt fructus Vitis Viniferæ racemoſi, ſive Botri baccæ, conſtantes cute propria ipſo ſcilicet folliculo, ne contenta exeant; ſeminibus ſive nucleis aut arillis, qui compendium, ſunt totius plantæ; & denique ſucco, quo diluitur caro, pendentes ex pediculis ſcapi des trappens / qui pars ramoſa racemi exiſtit.

UVÆ dicuntur ab uvido, quod intrinſecus plenæ ſint humoris, vocantur etiam ACINI, ACINI VINACEI, ACINA, GRANA. Traubenbeer/Weinbeeren/ GRAINS DE RAISIN. Sumitur tamen ſæpe & utplurimum UVA pro toto BOTRO, qui vocatur græce σαφυλή, βότρυς, Trauben/Weintrauben/ RAISIN. Conſtat autem BOTRUS SCAPO, qui ramus eſt unde acini dependent, & germanice der Rapp oder Drapp/ oder Kamm am Trauben/Gallice LA GRAPPE vocatur,& baccis,quæ uti dictum, acini dicuntur. Sunt vero hi acini rurſus ex quatuor partibus conflati, I. eſt, ut SEBIZIUS loquitur, FOLLICULUS, CORIUM & membranoſum integumentum ὑμήν, das Häutlin. II. CARO, σάρξ, das Fleiſchlin oder das Dück in den Häutlin. III. HUMOR, qui per carnem diffuſus, ὑγρότης, die Feuchtigkeit oder der Safft. IV. SEMINA græce γίγαρτα, officinis ARILLI, quaſi ariduli, quia ſicci ſunt, & preſſi nullum ſuccum præbent. Vocantur quoque NUCLEI & GRANA ACINORUM, die Steinlein oder Körnlein der Beeren. COLUMELLA tamen etiam VINACEA nominat, quæ ab uuis expreſſis ac prælo ſubjectis ſunt reliqua. Dicuntur alias recrementa & folliculi uvarum. Galeno στέμφυλα, die Drabbern/Träbern/ LE MARC DES RAISINS Germanis & Gallis audiunt, membranoſi videlicet acinorum folliculi & vinacea cum ſcapis.

Uvarum acinorumque & quoad guſtum & quoad colorem & quoad magnitudinem & quod figuram & quoad ſubſtantiam,& quoad uſum, haud paucæ exiſtunt diverſitates, alias enim majores, alias minores, alias rotundiores, alias prælongas obſervamus baccas: uvæ aliæ albæ, aliæ flavæ, aliæ rubræ, aliæ virideſcentes, aliæ nigricantes, conſpiciuntur: aliæ dulcem, aliæ muſcatum, aliæ alterum, acerbum aliæ, vinoſum rurſus aliæ ſaporem guſtus organo exhibent; aliæ membranam craſſam aliæ tenuem obtinent, aliæ plures habent arillos ſeu nucleos, aliæ pauciores, aliæ, ut Columella habet, ſunt uvæ ad effuſſionem, in quibus multum ſucci; aliæ eſcariæ, quas eſui magis accomodas, Plato generoſas, hoc eſt nobiles vocabat, exiſtunt. In noſtra Alſatia ſequentes occurrunt Uvarum differentiæ. Copioſiſſime provenit *Uva Duracina*, Hintſch/ Heuniſch/ & quidem *colore nunc ex virili albicante, nunc flaveſcente, nunc ſubrubente, item cæruleo,* weiß und roth Hinſch/ *cute nunc craſſiore nunc tenui magis,* hart und weich Hinſch; aliis

aliis locis ſub nomine der Burgertráubel quoque venit. Licet autem *Uva duracina* præſertim, weich Hinſch/ multum fundat ſucci, id tamen etiam habet incommodi, quod comeſta turbas in infimo excitet ventre, moſchique occidentalis diluvium facile procreet, uti id incauti Vinitorum filii ſæpius experiuntur; quam ob rem etiam nomine, effectum haud adeo obſcure denotante, Bettſcheißer à vulgo inſignitur. Proſtant porro *Uvæ virides* vel *albicantes acinis tum majoribus tum minoribus*, die Elber/die Elbling/die grůn Elbe/Rhein Elbe/Rauch Elbe: *Uvæ nobiles dictæ*, die Edeltrauben/die gut Edel/quas etiam vocant groß und klein Fránckiſch/ *Uvæ albæ & rubicundæ majores*, die Lampentrauben/ groß Lampentrauben; *Uvæ Tinctoriæ* die Fárber/ guſtui ingratæ; *Uvæ rubellæ & albicantes eſui valde gratæ & dulces majores & minores*, die Clevener; *Uvæ ex viti Rhetica* die Veltliner/ *Uvæ ex agris Rhenanis* transplantatæ die Rißling/das Neugewáchß/ & quæ ab omnibus laudantur, *Uvæ muſcatellæ, muſcatulæ*, ſive *Apianæ*, ita dictæ ab apibus harum uvarum avidis, die Mußcateller/ ſaporis peregregii jucundiſſimique, vinumque admodum gratum fundentes; quamvis etiam quidam ex Poëtis hos de illis canat verſus;

Cum referam Moschum merito Muſcatulæ dicor;
Ex me ne quæras pocula, quære cibum.

Et hæ ſunt præcipue, quæ in nobiliſſimo regionis noſtræ tractu reperiuntur ſpecies, quas præſertim cum perfecte maturuerint, homines avide haud raro, comedere quidem ſolent, interim tamen pro vino exinde eliciendo potiſſimum inſervire conſtat.

Mahaleb

Uvas plus nutrirẽ, quam reliquos fructus autumnales, exceptis ficubus, ſuo jam tempore annotavit GALENUS. Quod enim bene nutriant, argumento magno eos eſſe ducit, qui vinearum fructus cuſtodiunt. Hi enim, poſtquam per aliquod tempus cuſtodiæ præfuerunt, corpulenti evadere

 ſolent,

ſolent. Caro tamen, quæ ex illarum eſu gignitur, haud quaquam firma eſt & denſa, ſed laxa & flaccida: Succi & carnis Uvarum diverſitas facit, ut quædam Uvæ magis nutriant, tardius autem dejiciantur; contra quædam promptius dejiciantur, minus vero alant: Uvas generoſas vocant, inquit GALENUS; quarum acini humidam quidem ſubſtantiam habent exiguam; carnoſam vero multam. Magis alunt, quibus ſuccus eſt paucus. Quibus is uberior, minus quidem nutriunt, ſed facilius citiusque ſubſident. Uvæ dulces, juxta eumdem GALENUM ſuccum habent calidiorem, quo nomine & ſitim cauſant. Auſteræ & acidæ frigidum, Vinoſæ medium habent. Dulces, (verba ſunt SEBIZIANA) inſuper alvum ſubducunt, maxime ſi humidæ ſint. Acidæ atque auſteræ alvum ſiſtunt, rebelles ſunt concoctioni ac diſtributioni, paucamque dant alimoniam. Acidæ, etiamſi exactam in vite maturitatem adeptæ ſuſpendantur, minime tamen dulceſcunt, quædam autem ex auſteris, ſi ſuſpenſæ fuerint diutius, dulciores redduntur. Acerbæ licet ſuſpenſæ fuerint longius, nunquam tamen dulcedinem acquirunt. Quocirca eſus earum arcendus eſt. Omnium porro uſus, ſi moderate ſumantur tutiſſimus eſt, cum uvæ fuerint carnoſæ ac maturæ, ſive in vite ſummam maturitatem obtinuerint, ſive quod maturitati deerat, ex ſuſpenſione ſint conſecutæ. Poſt penſiles autem eas, quæ nullam auſteram vel acidam qualitatem præ ſe ferunt, affatim ventris dejiciendi gratia ingerere licet. Uvæ recentes præſertim, quæ ſapore acidæ ſunt atque auſteræ, itemque quæ multo ſucco aquoſo abundant, alvum perturbant, ventriculum & inteſtina inflant, eructationes creant, frigidum crudumque ſuccum ingenerant, qui non facile in bonum ſanguinem convertitur: ſique diutius in ventre morentur corrumpuntur; colicum creant, diarrhœas & dyſenterias excitant. Quibus ultimis tamen in morbis, præſertim non

ad-

admodum malignis, eſus uvarum generoſarum conducit, quatenus laxando eliminant materiam morbificam irritantem, ratione autem pellicularum & gygartorum adſtrictionem poſt ſe, relinquunt: uti hoc auxilium in militibus aliquoties adhibitum fuit. Obſervandum namque juxta SEBIZIUM, quod alvus magis laxetur, ſi ſola acinorum caro cum ſucco fuerit deglutita, ſine arillis aut folliculis. Semina enim Uvarum acerba craſſa & terrena adſtringunt, & pervadunt inteſtina omnia, atque, niſi maſticentur, nihil, quod ſenſu deprehendi poſſit, mutata. Folliculi quoque acinorum uvarum exiguam recipiunt in ventriculo alterationem.

Uvæ immaturæ vocantur agreſtæ, variis incoquuntur eduliis, & ſuccus illarum, de quo infra, in uſum cedit.

Gigarta ſiccata & in pulverem redacta adſtringunt, conducunt in alvi fluxibus nauſea atque vomitu. Exprimitur etiam ex iisdem ſeminibus oleum, quod principaliter ad vulnera commendatur: adeo temperatæ dicitur eſſe naturæ, ut nullus ratione qualitatum percipiatur exceſſus. Laudatur etiam hoc oleum adverſus dolores podagricos.

Vinacea, quia, ut ETTMULLERIUS loquitur, turgent principiis vinoſis, unde per ſe incaleſcunt, & odorem ſpirant gravem pro cura morborum externorum, multa habent in receſſu: ſcilicet in cura doloris iſchiatici, ſcorbutici & ſimilium affectuum arthriticorum doloroſorum & paralyticorum uſurpatis vinaceis nil melius eſt, vel ſub forma balnei ſicci, vel cataplasmatis. Balneum hunc in modum fiat, ſcilicet iſchiaticus ſponte fermentando calefactis vinaceis ad umbilicum inſideat, expectando ſudorem: aut membra arthritica, vel dolentes partes nervoſæ & articuli imponantur in vinacea, per ſe ſponte incaleſcentia, quando enim ad tempus ſteterunt, incipiunt fermentatione ad putredinem tendere & incaleſcere; ſi autem nolint fermentare aut incaleſcere,

ſcere, tunc adſpergatur parum de calce viva, ſic facile ad incaleſcentiam debitam reduci poſſunt. Conducit porro ejusmodi balneum & fotus ad crura œdematoſa, inflata madentia ulceroſa vel podagricis tophis repleta. In Paraplegia & hemiplegia, totum corpus excepto capite, vel pars laborans immittuntur, ita tamen, ut arceantur exhalationes vinaceorum, quo minus ad caput penetrent, quo modo incommodo eſſe poſſent. In fomentatione quoque contra Nephritidem à quibusdam laudantur: Mammis porro inflammatis & turgentibus imponuntur.

Cæterum quis neſcit, ex Uvis earum exprimi ſanguinem, nempe muſtum, quod fermentatione præcedente abit in Vinum; de quibus ſuo loco ſub ſuccis.

℞. Sem. Uvar. torref. Sem. Lapath. ana ℈ij. Gland. ſemin. papav. alb. ana ʒß. Thur. ℈ß. Mſc. f. pulv. ad fluxum alvi utilis, cuſpidatim ſumendus.

℞. Uvar. immatur. q. v. exſicca, incinera, & ſal lege artis extrahe, cujus doſis à granis 6. ad gr. 8. Commendatur in dyſenteria à quibusdam tanquam remedium certiſſimum.

SEMINA SALIBUS ACRIBUS FIXIS CONSTANTIA.

Cepæ.
Erucæ.
Porri.

SEMEN CEPÆ.

Eſt ſemen anguloſum, atrum, ſaporis acris, odoris penetrantis.

Hoc

Hoc ſemen quamvis gaudeat virtute diuretica, emmenagoga, & pectorali, cum mucum attenuet; nihilominus tamen vix aliter uſurpatur, quam ut in loca maritima præſertim Belgium & Angliam transmittatur, ut inſerviat nautis in navigationibus. Seritur enim in navibus & planta prodiens pro condimento uſurpatur, contra morbos ſcorbuticos tum curandos tum præſervandos. Præfertur autem ſemen Ceparum noſtras ſeu Argentoratenſe.

Licet enim Bambergæ quoque colatur; Noſtras tãmen generoſius eſt.

SEMEN ERUCÆ.

Sunt ſemina flava ſemine Sinapi majora, minus vero rotunda, ſaporis proprii, acris, penetrantis & urentis, odoris non omnino grati.

Semen hoc, Rauckenſaamen/ *ſemence de Roquette*, ſal volatile ãdmodum acre & ſatis copioſum poſſidet, ratione cujus, uti ETTMULLERUS loquitur, commendatur in anorexia, apepſia, facilitandaque concoctione ciborum. Ab apoplexia præſervat, ſi comedatur. Menſes & urinam pellit, lumbricosque necat. Coeundi appetitum excitat. In menſas quoque, ut diſſerit SIMON PAULI in Q. B. ſemen Erucæ venit, aceto irroratum ac piſtum, ceu ventriculo gratum condimentum, cum eum extergere & vindicare a colluvie exuberantis pituitæ valeat: idem æque ac ſinapi ſemen à ſcorbuticis ſymptomatibus præſervat. Externe maſticatum hoc ſemen copioſum phlegma ſalivale ex ore elicit, unde commendatur ad præſervandam Apoplexiam. Maculæ ſcorbuticæ epaticæque cum hoc ſemine tritæ in balneo extirpantur. Curioſum eſt quod Luſciniæ non cantantes excitentur

hoc ſemine, ut tam fortiter canânt, ut quandoque exinde pereant. Datur hoc ſemen ad gr. xv. xx. ad ʒß. pro doſi.

℞. Semin. Eruc. Cumin. ana q. v. Mſc. doſis ʒß. in præſervatione ab apoplexia.

℞. Sem. Eruc. ℥ß. coriandri ʒij. Cubeb. ʒj. Mſc. Aſſumatur mane & veſperi, quantum duobus cultri cuſpidibus comprehendi poteſt in præſervatione apoplexiæ.

SEMEN PORRI.

Eſt ſemen Porri communis, capitati, C. B. Pin. triangulum, atrum inſtar ſeminis Cepæ, atque acre, vimque quandam adſtringentem habens.

Semen hoc virtute gaudet diuretica: commendatur ad dolores Uteri. Venerem ſtimulat, conducit ad pectoris vitia, facit ad expurgandam aſperam arteriam, ſed rarius uſurpatur.

SEMINA SALE VOLATILI ACRI CUM OLEO CRASSO CONSTANTIA.

Mahaleb.
Rapæ.

MAHALEB.

Sunt nuclei fructus Ceraſi ſylveſtris amaræ Mahaleb putatæ, I. B nucleorum Ceraſi æmuli, ſaporis amaricantis, odoris fragrantis ſat gravis, ita ut haud raro Cimicem oleant. Fructus, cui hoc ſemen includitur, eſt parvus, effigie Ceraſi,

Ceraſi, rotundus, niger, amaricans, ſucco ſuo purpureo, colore non fugaci ſed diu permanente, tingens.

Mahaleb vocatur etiam Macaleb, Magaleb. Eſt Ceraſi ſpecies, ut TOURNEFORTIUS aliique putant ſequens.

Ceraſus ſylveſtris amara, Mahaleb putata, I. B. 1. 227. Ceraſo affinis. C. B. Pin. 451. Macaleb Gesneri & Matthioli. Lob. Icon. 133.

In petroſis montium & collium locis naſcitur, non infrequens per Galliam & Germaniam.

IN

Nuclei hi calefaciunt, pilos horridiores emolliunt & attenuant affrictu crebro. Imprimis autem inſervit unguentariis ad ſapones odoriferos præparandos, ſive jam pulverem ipſum adhibeant, ſive infundant in aqua ſimplici aut aqua Roſarum, ſive aquam exinde deſtillent, poſtmodumque ſaponem tali aqua aliquoties lavent. Teſte HISTORIA LUGUNENSI oleum ex his nucleis conficitur odoris jucundi.

SEMEN RAPÆ.

Eſt ſemen Rapæ ſativæ, C. B. Pin. ruffum, rotundum, Braſſicæ ſemini proximum.

Semen raparum ſymbolizat cum ſemine Napi. Ob vim expellentem commendatur in variolis & morbillis ut & aliis morbis, ubi expulſione opus eſt. Viſui quoque conferre dicitur, Venerem ſtimulat. Uſurpatur in antidotis. Doſis ʒß. ad ʒj.

℞. Sem. Rap. Citr. aquil. ana ʒß. Melon. ʒj. Aqu. Scorzon. Aquileg. ana ℥iij. fiat emulſ. edulcoretur Sacch. perl. q. s. hauriatur cochleatim in variolis & morbillis.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Oleum Raparum ex ſemine expreſſum, Rübenöhl/ *Huile de Rave*; conducit ad ambuſta & perniones, item ad aphthas, præſertim, ſi in eo tantum diſſolvatur Sacchari, quantum poteſt.

SECURI-

SEMINA SALE FIXO AMARO CONSTANTIA.

Lamii.
Perfoliatæ.
Securidacæ.
Xanthii.
Faba Sancti Ignatii.

SEMEN LAMII.

Sunt ſemina Lamii vulgaris, C. B. Pin. triangularia, nigricantia, & amaricantia. Symbolizant cum floribus & foliis.

SEMEN PERFOLIATÆ.

Eſt ſemen oblongum, altera parte acutius, pullum ſive ſubnigricans, majus quam pulegii, ſaporis amari.

Virtute gaudet vulneraria, & in herniis conſolidandis ſpecifica, tum externe tum interne. A quibusdam laudatur etiam in mictu involuntario.

℞. Sem. perfol. herb. herniariæ. flor. Hyperic. rad. Symphyt. maj. ana ℥ß. Croc. ♂ adſtr. Sangu. dracon. Terræ Catechu, Corall. rubr. ana ʒij. Sacch. ℥iij. Mſc. f. pulv. doſis mane & veſpe-

veſperi ʒj. in aqua plantaginis, & foliorum quercus cum ſubligaculo.

SEMEN SECURIDACÆ.

Sunt ſemina ſecuridacæ luteæ majoris, C. B. Pin. ruffa, quadrangula, ſaporis admodum amari.

SECURIDACA dicitur à ſecuri ob ſeminis formam, nullius enim ſemen, inquit CLUSIUS, aptius veterum ſecurim meo judicio refert. Ἡδύσαρον, HEDYSARUM etiam vocatur forte per antiphraſin, cum ſemen ſit amariſſimum. Groß Pfeltſchen.

Eſt planta flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam rectam, planam, anulatam, articuloſam, in ſingulis articulis ſemine fœtam rhomboideo, introrſum emarginato.

Floret Junio in hortis, & ſponte naſcitur in Hiſpania inter ſegetes, uti & in aliis regionibus.

FABA

Gratum eſt ſtomacho hoc ſemen, & viſcerum obſtructiones reſerat & expurgat, malignitati reſiſtit, uſurpatur vel in ſubſtantia vel in decocto.

FRUCTUS XANTHII.

Sunt fructus Lappæ minoris, C. B. Pin. ſive Echii Lappacei, veſtibus adhærentes, oblongi, in duos acutos rigidosque mucrones deſinentes, qui diſtinctis loculis duobus totidem grana condunt hordeacea.

Semen ſymbolizat cum radice, præſertim in ſtrumis diſſolvendis. Arenulas quoque in vino infuſum & aſumptum pellit. Fructus etiam ſive Lappulæ hæ capillos luteos efficiunt in decocto.

FABA

FABA SANCTI IGNATII.

Fabæ hujus ſubſtantia eſt extus ſtriata, intus vero cornea & ungulis haud abſimilis, quarum inſtar in raſuram magis quam pulverem converti poteſt, tenui ſimul, eaque gryſei coloris, pellicula cincta, quæ in aqua facile ſecedit,& chartam Indorum fere ſericeam æmulatur, adeo quidem,ut prima fronte fructum, conſervationis ergo chartæ huic agglutinatum & involutum eſſe videri poſſet. Pellicula hæc continet fructum variæ figuræ, mox ovalem, mox amygdaloidem, mox triangularem, plerumque tamen corculi gallinarum forma & nucis moſchatæ minoris magnitudine præditum. Fructus hic coloris eſt ſpadicei & ex atro fuſci, odoris grati, & ſi radatur aut pulveriſetur quodammodo moſchati: ſaporis grate amari, abſinthium aut centaurium minus exacte æmulantis, gummoſi tamen ſimul & mucilaginoſi.

FABA SANCTI IGNATII, vocatur etiam IGASUR ſeu NUX VOMICA LEGITIMA SERAPIONIS CAMELLI. St. Ignatius-Bohnen.

Affertur ex India Orientali. Sunt qui ſolum natale inſulas Philippinas eſſe credunt.

Baccæ

Fabæ hæ, præter particulas terreſtres, & hamatas, obtinent quoque partes ſalinas volatiles oleoſas, quarum priores illis amaritiem blandamque facultatem adſtrictivam, poſteriores vero caliditatem, vim diaphoreticam bezoardicam, carminativam & nervinam; utræque autem vim ſpecifice ſtomachicam impertiunt, & quia ſubſtantia compacta & quodammodo reſinoſa gaudent, nonniſi menſtruo oleoſo &

ſul-

ſulphureo, poris illarum appropriato & proportionato, recludi poſſunt. Equidem fabæ hæ vino vel aquæ per unam aut alteram horam injectæ inſignem amaritiem communicant, ſed eidem tincturam ſuam non impertiunt, adeoque pro radicali ſolutione Spiritu Vini ſive ſimplici ſive rectificato aut ſale Tartari acuato, ſimilive menſtruo opus eſt. Commendatur hæc faba tanquam remedium antepilepticum inſigne, licet ejus eſſentia caute ſit adhibenda, uti hoc docet Valentini, qui peculiariter de hoc fructu diſſeruit, & ex quo hæc fuerunt deprompta.

Fabæ St. Ignatii externe laudantur in hæmorrhagia, ſi raſura illarum vulneri aut loco cruentato applicetur. Integræ autem fabæ amuleti loco regioni cordis appenſæ, à peſte, febribus epidemicis malignis & venenis præſervare creduntur. Credat qui velit.

℞. Fab. St. Ignatii gr. viij. Elæoſacch. Citri gr. vj. Mſc. pro doſi, in anorexia, apepſia, pica, cardialgia & ſimilibus affectibus.

℞. Specif. Cephal. Mich. Succin. pp. ana ʒß. Ægagropil. Fab. St. Ignatii ana ℈j. Mſc. convenit in catarrhis, odontalgia, vertigine & epilepſia conſenſuali.

℞. Fabar. St. Ignati ℈ß. flor. ⊖xc. gr. v. Sacch. perlat. parum f. pulv. pro 3. aut 4. doſibus in febribus intermittentibus.

℞. Fab. St. Ignat. gr. x. detur dimidia hora ante paroxysmum in intermittentibus.

FRUCTUS

FRUCTUS ET SEMINA CONSTANTIA SALE BLANDO DIURETICO.

Cynosbati.
Fagi.
Oxyacanthæ.

FRUCTUS CYNOSBATOS.

Sunt baccæ utplurimum oblongæ, glandium inſtar, ab initio viridicantes, per maturitatem rubicundæ inſtar Corallii rubri, carnoſæ, cuticula ſatis craſſa tectæ, ſaporis grati & aciduli, cum dulcore tamen quodam remixti, odoris grati, nec naribus quicquam moleſti, continentes acinos ſive lapillos duros, oblongos, anguloſos, nunc albicantes, nunc flaveſcentes, multa lanugine crinoſa involutos.

Baccæ hæ vocantur, Butten/Hayn⸗oder Hagenbutten/Arsfützel/ GRATTE CUL.

In

Hi fructus exemptis ſeminibus & lanugine, in officinis & in ædibus privatis melle aut ſaccharo condiuntur: Siccantur etiam & apponuntur menſis cocti & ſaccharo conſperſi.

Alterant, refrigerant, ob blandum per alcali velut correctum acorem, qui aptus eſt particulas ſalino ſulphureas cohibere. Virtutem porro poſſident aperitivam, deoppilativam, & diureticam. Non ſolum ad comtemperandos humores valent, ſed & calorem renum infringunt, & meatus laxiores, ut facilius calculum excludant, reddunt. Imprimis vero arillis baccarum adſcribitur vis Lithontriptica, unde

inſigniter commendantur ad calculi affectus præſervandos & eos pellendos. Dantur ad ʒß. ʒj. Fructus porro ſiccati laudantur in ſoda. Decoquuntur etiam in aqua pro potu ordinario.

IN OFFICINIS EXTANT.

Fructus Cynosbati conditi, eingelegte Hagenbutten/ *Condit de Cynorrhodon* ou *de fruit de Roſe de Chien.*

Conſerva Cynosbati, Hagenbutten-Zucker / *Conſerve de Cynorrhodon.*

Rob Cynosbati, Hagenbutten-Safft / *Rob de Cynorrhodon.* Commendantur hæc medicamenta ad hepatis & renum calorem, calculos atque arenulas expellendas. Virtus quoque adſtringens eis adſcribitur, unde & dyſentericis proſunt.

NUCES

℞ Rob Cynosbati ℥iij. Vini Malvat. ℔ij miſce, ſtent in digeſtione per aliquot dies, poſtmodum coletur. Doſ. cochlear unum aut alterum in affectibus Nephriticis.

℞. Rob, Cynosbat. ℥ij. Rob. Junip. ℥j. Vini malvat; Spirit. Junip. ana q. s. Mſc. digere, & poſtmodum filtra. Doſis cochlear. 1. 2. &c.

℞. Conſerv. Cynosbat. ℥ijß. rad. Eryng. cond. ʒvj. Rob. Cynosb. q. s. Mſc. f. elect. med. conſiſt. in affect. nephriticis cuſpidatim ſumendum.

℞. Conſerv. Roſar. antiq. Diacyd. ana ℥ij. fruct. Cynosb. condit. Nuc. Indic. cond. ana ℥j. theriac. ʒij. Rad. tormentill. ʒiß. Corall. rub. pp. ʒj. cum Syrup: ribium F. elect. Doſis inſtar nucis juglandis in alvi fluxibus.

℞. Arill. Cynosbati à lanugine probe liberatorum & adhuc molliuſculorum q. s. in mortario contunde, & affuſione aquæ Ononidis, Alkekengi aut alterius, fiat emulſio, edulcoranda rotulis man. Chr. in Lithiaſi.

SEMEN FAGI.

Sunt Fagi Dod. nuclei triangulares, lævi & ſpadiceo cortice, qualis fere in Caſtaneis, tecti, intra quem, præter tenuem cuticulam, medulla alba, ſubdulcis, pinguis, cum exigua quadam adſtrictione, eſui tamen grata continetur. Includuntur calycibus echinatis, anguloſis, hiſpidis, ſed non rigidis ſpinis, interna parte lanuginoſis, carnoſis ſatis & ſucculentis, guſtu acidis.

NUCES aut GLANDES FAGI, FAGEÆ aut FAGINEÆ, Buchenycheln / Buchnüßlin / Buchecker / FOUESNES, GLANDS DE HESTRE, matureſcunt cum Caſtanea Septembri. Ὀξυα-

Fructibus his olim homines uſos fuiſſe traditur. Hodie non niſi ſumma annonæ caritate in uſum trahuntur. Equidem virtutem obtinere dicuntur urinam calculum & ſabulum pellendi. Notant autem Authores, quod vehementer tentent caput & inebrient, ſi, præſertim recentes, nimium eſitentur. Sunt, imprimis pauperes, qui ex his nucibus oleum exprimunt, quo loco butyri utuntur.

Ruſticis notiſſimum eſt his glandibus Sues ſaginari, ſed utique notandum, quod pinguedo Suum ejusmodi fagineis fructibus pinguefactorum mollior ſit, quæque, præſertim dum coquitur, citius liqueſcat. Glires, Mures, Sciuri, Urſi etiam &c. delectantur his glandibus.

FRUCTUS OXYACANTHÆ.

Sunt baccæ Oxyacanthæ vulgaris I. B. per maturitatem rubræ, vel ut ex umbella pendentes, Myrti baccis majores, umbilico nigro, pulpa glutinoſa, pauca, molli ac ſubdulci,

ci, oſſiculum unum vel duo, durum admodum, continentes.

Ὀξιάκανθος, Ὀξυάκανθα, Oxyacanthus, Spina Acuta; Hagdorn/ Hagendorn/ Epine Blanche, Aubepin.

Eſt ſpecies Meſpili, nimirum,

Meſpilus Apii folio ſylveſtris ſpinoſa ſive Oxyacantha. C. B. Pin. 454. Oxyacantha vulgaris, ſive Spinus albus. I. B. 1. 49. Oxyacanthus ſive Spina acuta. Dod. Pempt. 751.

In ſepibus paſſim provenit, tam in frigidis quam calidioribus regionibus, nec ullum fere ſolum aut cœlum refugit. Majo menſe floret. Fructus Septembri matureſcit, & in multam hyemem ramis, foliis jam viduis, pertinaciter adhæreſcens cernitur.

Arbuſcula hæc ad vivas ſepes commodiſſima eſt ob denſitatem ramorum & acutiſſimas ſpinas, tum quod frigoris patientiſſima ſit, tum denique quod radice non reptet, adeoque nec ſolum late occupat, nec quotidianam agricolæ moleſtiam creat Pruni ſylveſtris modo. Ad ſepes tonſiles & opera topiaria utilis.

Vocatur

De viribus Medicis hujus Meſpili ita diſſerit RAJUS Quæ de hujus fructus viribus tradunt TRAGUS, MATTHIOLUS, SCHWENCKFELDIUS, quod ſcilicet adſtringat omnisque generis fluxus ſiſtat, non probat I. B. nec enim ſubauſterus eſt, (ut vult LOBELIUS) ſed guſtu aliquantulum glutinoſus & dulcis. At neque è contra aſſentitur ANGUILLARÆ eum ventrem lubricare & fluxus provocare aſſerenti. Nec tamen negat aquam ex floribus pleuriticis utilem eſſe poſſe, aut calculoſis prodeſſe. Certe fructus vel aquam deſtillatam vel ſiccati pulverem vel infuſum in vino conferre adverſus arenulas & calculum conſentiunt Botanici.

SEMINA SALE PURGANTE ACERRIMO CONSTANTIA.

Alypi.
Cocculæ.
Taxi.

ALYPUM.

Eſt fructus fruticis I. B. Myrti fructus æmulus ; ovatus, carnoſus, ſucco viridi ab initio, per maturitatem vero rubro plenus, ſaporis acris amari & inamoeni.

Vocatur ALYPUM OFFICINARUM, ALYPUM MONSPELIENSIUM, HERBA TERRIBILIS, FRUTEX TERRIBILIS; à virtute purgante violenta, Seidelbaſt oder Kellerhalß von Montpelier/ GAROU.

Eſt ſpecies Globulariæ, nimirum

Globularia fruticoſa Myrti folio tridentato. Tourn. I. R. H. cl. 12. S. 5. g. 3. Thymelæa foliis acutis, capitulo Succiſæ, ſive Alypum Monſpelienſium. C. B. Pin. 463. Alypum Monſpelianum, ſive frutex terribilis. I. B. 1. 598. Hippogloſſum Valentinum. Clus. Hiſt. 90.

In Languedocia locis incultis, aſperis & præruptis, prope mare provenit, reperitur in monte Ceti Frontinianæ.

Vocantur

Hic fructus qui etiam vocatur Granum Gnidium, Coccum Gnidium æque ac folia ut & tota planta conſtat ſale acerrimo, violentiſſime purgante, bilem, pituitam, & aquas. Ob acredinem autem uſus ejus exolevit, cum tutiora proſtent. Quod ſi tamen quis his granis aut foliis uti velit; opus eſt, ut prius diu in aceto macerentur.

Fruſtula radicis, in catarrhis & defluxionibus auri perforatæ

foratæ immittuntur, ut inſtar veſicatoriorum revellant, ſed fæpius ſunt, dicente CHOMEL, remedia cauſtica peſſima, inflammationem non raro adaugentia.

COCCULÆ.

Sunt baccæ Ciceribus pares aut majores rotundæ, renis fere figura, ubi per medium diſſecantur, fuſco rugoſo cortice exteriore, interiore craſſiore, cinericio itidem rugoſo, utroque lento, nucleum claudente fragilem, obſoleti coloris, ea parte, qua pediculis adhærent ſinuatæ aliquantum, ſaporis acris & amari.

Vocantur COCCULÆ OFFICINARUM, COCCI ORIENTALES, COCCULI DI LEVANTE, BACCÆ LEVANTICÆ, BACCÆ COTULÆ, ELEPHANTINÆ, BACCÆ ORIENTALES, BACCÆ PISCATORIÆ ab uſu; Kockelkörner / Fiſchkörner / Dollkörner / COQUE DE LEVANT.

Cujus ſtirpis aut plantæ fructus ſit, nondum certo conſtat, quidam dicunt plantam eſſe Tithymali ſpeciem, alii Clematitidem faciunt, alii pro Solano Manico habent, nonnulli in arbore quadam creſcere autumant.

Adferuntur ad nos ex India Orientali racematim cohærentes ſuis pediculis, hederæ corymborum modo.

RHAMNUS

Baccæ hæ facultate deleteria acri admodum præditæ ſunt, adeoque interne nunquam debent adhiberi, cum facile inflammationes & hypercatharſes poſſint excitare. Exterius commendantur ad necandos pediculos, ſi contuſi cocci & cum oleo aut pinguedine mixti applicentur. RIVERIUS jubet cum his cocculis, myrrha & aceto præparare cataplasma, contra podagram nodoſam. Verum præcipuus horum coccorum uſus eſt ad piſces capiendos. Solent nempe

pe Coccos miſcere cum veteri caſeo, melle & farina tritici & inde pilulas formare piſcibus projiciendas. Sufficit ſimplex paſta è pulvere harum baccarum & farina tritici ad piſces attonitos reddendos & tandem interimendos.

℞. Baccar. Oriental. ʒij. Cumin. Spir. Vin. ana ʒjß. Caſei ℥j. farinæ. ℥iij. Miſceantur in pilulas aut paſtillos.

℞. Coccul. adip. agnin. ana ℥ß. Caſei antiqui ℥iß. Semin. Cannab. ℥j. Aneth. Hyoſcyam. ana ʒiij. farin. tritic. ʒij. Mellis ʒvj. camphor. ʒj. Mſc. & f. pilulæ inſtar piſorum, quæ flumini placido injectæ & à piſcibus devoratæ, pauca injecta mora, eos infatuant, donec in ſummo ſemianimes natantes reticulo extrahuntur, aut manibus capiuntur. Ejecta ex eorum ore pilula, in recentem aquam ſi conjiciantur reviviſcunt. Non opus autem eſt extrahere ſemper pilulam.

FRUCTUS TAXI.

Sunt Taxi I. B. baccæ ex calyce ita emergentes, ut ſimile quid habere videantur cum glande, poſtquam vero maturuere, nihil plane ſimile habent cum glande, ſed figura quodammodo referunt florem vitis Idææ, quippe parvo virente atque ſquammato calyculo brevi pediculo adnato, inhæret fructus, grano Juniperino major, ſuperne apertus atque hians velut ex carnoſa cute conſtans, colore pulcherrimo & ſplendente coccineo conſpicuus, intus cavus, ſucco præditus viſcido ac dulci, in quo granum latitat pipere minus, nec exacte rotundum, ſed leviter compreſſum, colore inter pullum & ſpadiceum medio, cortice duriuſculo, medullam continent ſaporis non ingrati.

Hos fructus pernicioſos & lethales eſſe non Veteres tantum, ſed & è neotericis plures tradunt. DIOSCORIDES eos, qui baccas ederunt, in alvi profluvium incidere ſcribit.

bit. Idem alibi Taxum potam frigiditatem totius corporis inducere ſuffocationemque ac celerem mortem tradit. His tamen recenſitis alii contradicunt, hasque baccas in quibusdam regionibus, Anglia, Belgio, Sileſia &c. innoxie etiam ab ipſis infantibus comedi aſſerunt, teſtibus LOBELIO, DODONÆO, LEMNIO, SCHWENCKFELDT, RAJO aliisque. Meretur res ulteriorem indagationem. Aviculæ has baccas depaſtæ nigreſcere perhibentur.

PURGANTIA CONSTANTIA SALE ACRI PURGANTE TAM VOLATILI QUAM FIXO.

Rhamnus.
Xyloſteon.

RHAMNUS.

Sunt baccæ Rhamni Catharctici C. B. Pin. baccis frangulæ pares, magnitudine piſi, per maturitatem nigræ, ſucco virente plenæ, in quibus grana utplurimum quaterna, Pyrorum granis pene ſimilia, figura fere triangulari, cortice nigricante, medulla alba non ingrati ſaporis, quæ facile ungue premente franguntur. Sapor baccarum amarus & ſubadſtringens, & qui facile guſtanti nauſeam movet. Habet & ſuccus, neſcio quem, ſibi peculiarem odorem.

In

RHAMNUS CATHARCTICUS ſeu SOLUTIVUS, à virtute dicitur: SPINA INFECTORIA nuncupatur, quia ſpinis pungit. SPINA CERVINA audit, ab erectis forſan ſpinis Cervi cornu ramalia præ ſe ferentibus. Wegdorn/ Creutzdorn / purgierender Stechdorn/ Kreutzholtz/ NERPRUN, BOURGUE EPINE.

Eſt

Eſt frutex & arbuſcula flore monopetalo, infundibuliformi, quadripartito, è cujus fundo ſtamina ſurgunt cum piſtillo, quod deinde abit in baccam mollem, ſucci plenam, quatuor plerumque ſeminibus fœtam calloſis, hinc gibbis, inde vero planis.

Rhamnus Catharcticus. C. B. P. 478. & I. B. 1. 55. Rhamnus ſolutivus. Dod. Pempt. 756. Spina Cervina. Geſn. & Officin.

Creſcit juxta ſepes & in Sylvis, aliisque locis incultis, amans ſcrobes & rivulos, familiarisque eſt tractui circa Rhenum. Floret Majo, fructus fert autumno.

In uſum Medicum cedunt baccæ, quæ dicuntur, Wegdornbeeren / Creutzbeeren / Rheinbeerlein / Ferbbeer / Ferbkörner. BAYES DE NERPRUN. Continent principium ſalino acidum paulo acrius, & parcius mucilaginoſum, unde reſolvunt, incidunt & involvunt, præprimis humores bilioſos & ſeroſos, eoque ipſo tales humores ſat efficaciter per alvum evacuant, & in affectibus cachecticis, pituitoſis & hydropicis atque bilioſis ut & arthriticis conveniunt. Doſis baccarum recentium eſt No. X. XII. ad XX. Aridæ ſi ſint baccæ, teruntur in pulverem, qui ad ʒiß. usque adhibetur. In decoctione coquuntur baccæ No. 40. vel. 60. Curioſum eſt, quod è baccis immaturis colligatur color luteus, & e maturis viridis. Das Safftgrün/ ſi nimirum ſuccus cum alumine decoquatur.

Curioſius eſt, quod per inſitionem aut inoculationem oculi Ceraſi in Rhamnum fruticem, perhibeant obtineri poſſe ceraſa purgantia, qualia ſe vidiſſe teſtatur SIMON PAULI in Q. B.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Syrupus Domeſticus, ita dictus, quod Maximiliano Imperatori tanquã Medicina domeſtica in podagra frequentis uſus fuerit: dicitur quoque *Syrupus de Spina cervina* aut *de Spina infectoria*, Creutzbeer-Syrup *Syrop de Nerprun.* Quanquam hunc Syrupum quidam uſurpare nolint,

lint, nihilominus tamen & apud ipſos infantes uſus ejus locum invenit: purgat & ſerum evacuat. In infantibus adhiberi poterit ad meconium lactisque coagula blande & ſine torminibus educenda, præſertim ſi quædam addantur abſorbentia. In adultis commendatur in podagra & hydrope, quo præſertim ultimo in caſu ſæpius profuiſſe hunc ſyrupum experientia tum propria tum aliena comprobavit.

Datur ad ʒij. ad ℥ij. usque. Notant autem merito multi, ut poſt ejus aſſumptionem ſtatim aliquid alimenti offeratur, quo tormina præcaveantur.

XYLOSTEUM.

Sunt Xyloſtei Dod. baccæ gemellæ eidem pediculo inſtar teſtium appenſæ, per maturitatem rubentes, Sambuci aquaticæ ſimiles, ſapore amaro nauſeoſo.

XYLOSTEUM vocatur alias PERICLYMENUM RECTUM, CHAMÆCERASUS DUMETORUM, Hunds-Kirſchbaum.

Eſt & a communi Periclymeno & à Xyloſteo planta diverſa, nempe Chamæceraſus. Eſt autem

Chamæceraſus arbuſcula flore monopetalo, calyci inſidente, ſed gemino eidem pediculo innaſcente, tubulato, in duo labia dehiſcente, quorum ſuperius multifidum, inferius plerumque linguiforme: calyx autem deinde abit in baccas gemellas, molles, ſemineque fœtas compreſſo & ſubrotundo.

Chamæceraſus dumetorum fructu gemino rubro. C. B. Pin. 451. Periclymenum rectum fructu rubro. I. B. 2. 106. Xyloſteum. Dod. Pempt. 412.

Abundat paſſim in ſepibus, dumetis & frutetis. In Alſatia admodum familiaris eſt.

Ευώνυμος

Baccæ hæ violenter purgant per ſuperiora & per inferiora, ſi tres aut quatuor aſſumantur. Rariſſime autem in uſum trahuntur.

SEMINA SALE PURGANTE TAM FIXO QUAM VOLATILI OLEO CRASSO INCLUSO CONSTANTIA.

Caprifolium.
Colutea.
Evonymus.
Sigillum Salominis.
Staphylodendron.
Hedera.

FRUCTUS CAPRIFOLII.

Eſt fructus acinis Sambuci ſimilis, per maturitatem rubens, in quo ſemen duriuſculum, ſucco abundans ſaporis ingrati.

DIOSCORIDES de Baccis his ſiccatis dicit, quod ſi ʒj pondere dentur in vino quadringenis diebus Lienem abſumant (fides ſit penes Authorem) & laſſitudinem diſcutiant, ſed urinam cieant, ſtatim a ſexto die cruentam. Idem author aſſerit folia earumdem eſſe virium, interim virtute diuretica inſigni gaudent, ut & vi cathartica, quapropter Hydropicis commendantur. Baccæ quoque hæ ſuggerunt Balſamum vulnerarium. AGRICOLA videlicet in Chirurgia parva, facit liquorem oleoſum ex baccis rubris in autumno matureſcentibus, contuſis, & in MB. vel fimo equino digeſtis: qua digeſtione ſucceſſive reſolvuntur in liquorem oleoſum, qui Catholicum Balſamum eſt in omnibus vulneribus recentibus.

FOL-

FOLLICULI COLUTEÆ.

Sunt Folliculi Coluteæ veſicariæ membranei, pellucidi, interdum rubentes, ſpiritu veluti quodam diſtendente turgidi, ita ut preſſu digitorum cum crepitu eliſo aëre diſſiliant. Continentur in his ſiliquis ſemina, forma renis Lentes æmulantia quodammodo, minora tamen nec ita rotunda, nigra fere, dura & compreſſa, ſapore fabarum vel piſorum.

Folliculi hi ut & ſemina ſymbolizant cum foliis iisdemque gaudent viribus.

FRUCTUS EVONYMI.

Sunt fructus ſeu ſiliquæ quadràngulæ, rubentes aut puniceæ, totidem diſtinctis loculis ſemina parva ſolida continentes, cuticula crocea intecta, medulla alba, figura ſemini Cannabino ſimilia, hoc eſt ex rotundo oblonga, ſed majora, ſapore amaro cum obſcura quadam dulcedine, nauſeabundo.

Fru-

Ἐυώνυμος dicitur quaſi planta boni nominis, per ironiam ſcilicet, quod animalibus nocere putetur, FUSANUS, FUSARIA, TETRAGONIA à fructu, Spindelbaum / Tweckholtz / Pfaffen-Rößlein / Gäckelholtz / FUSAIN.

Eſt arbor flore roſaceo plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, è cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum membranaceum, angulatum, in loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum utplurimum oblongis.

Evonymus vulgaris granis rubentibus. C. B. Pin. 428. Evonymus multis aliis Tetragonia. C. B. 1. 201. Evonymus. Dod. Pempt. 783.

In ſepibus, dumetis, ſylvis tam planis quam editis Majo floret, Septembri & Octobri fructus conſequitur.

Fructus, qui ob figuram vocantur Pilei Sacerdotum, Jeſuiter-Käplein / Hanhödlin / *Bonnet de preſtre*, poſſident ſal admodum acre cum ſulphure impuro commixtum. Purgant fortiter per ſuperiora & inferiora ſi terni aut quaterni devorantur. Tanta haud raro cum violentia agunt ut inflammationes febresque ardentes excitent. In lixivio decocti hi fructus capillos flavo colore tingere, furfures abſtergere, lendes & pediculos necare traduntur.

BACCÆ SIGILLI SALOMONIS.

Sunt baccæ Polygonati vulgaris, C. B. Pin. virentes, mox glaucæ, rubentes, nigricantesve, corymbis hederaceis pares aut etiam majores, ſemina alba, dura, magnitudine viciæ continentes.

Baccæ hæ pituitam mucilaginoſam per vomitum ac ſeceſſum educunt. Doſ. No. 14. 15. &c. idem dicitur de radice ad ℥j. unam aſſumpta, ut & de foliis.

STAPHYLODENDRON.

Sunt fructus Staphylodendri Matth: ſeu nuculæ cohærentes, veſicis magnis, virentibus, in loculos diſpertitis incluſæ, putamine lento duro & frangi contumaci, colore flavo aut ſubruffo, in quibus nuclei corio vireſcenti obtecti, ſapore nonnihil nauſeoſo.

Sunt

σταφυλοδένδρος, σταφυλοδένδρον, STAPHYLODENDRUM, quaſi diceres arborem fructu racemoſo. PISTACIA SYLVESTRIS, Nux

NUX VESICARIA à quibusdam aut follicularis appellatur. Pimpernußbaum/ Pimpernüßle/ NEZ COUPÉS.

Eſt arbor flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus calyce multifido ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum membranaceum, veſicæ modo inflatum, in loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum fere oſſeis.

Staphylodendron. Matth. 274. & I. B. 274. Piſtacia ſylveſtris. C. B. Pin. 401.

Gaudet locis humidis, præſertim in Helvetia, quandoque tamen etiam occurrit in Germania, aliisque regionibus, floret Majo, nucleos maturat autumno.

βρῶμος,

Sunt qui cum SCALIGERO nucleos hoſce eſui aptos & piſtaciorum ſapore eſſe aſſerunt. RAJUS illos SCALIGERO relinquit, & potius nauſeam commovere & ventriculum ſubvertere illos putat. Poterit interim ex hiſce nucleis exprimi oleum virtute reſolvente gaudens. Quibusdam in locis è nuculis orbiculos precatorios conficiunt, præſertim tenuioris fortunæ homines.

BACCÆ HEDERÆ.

Sunt Baccæ Hederæ arboreæ baccis Juniperinis æquales, ſeſſiles & quaſi utrimque compreſſæ, racematim diſpoſitæ; pulpoſæ, quadantenus, coloris per maturitatem nigricantis.

Baccæ hæ purgant vehementer per inferiora & per ſuperiora. A quibusdam laudantur contra febres intermittentes, hydropem, menſium ſuppreſſionem, calculum & arenulas expellendas. Commendantur quoque ad philtra. Ob vim diaphoreticam celebrantur in peſte, item in affectibus Lienis. Dantur ad ʒj. usque, in vino vel aceto.

SEMINA BLANDA VISCOSITATE CONSTANTIA.

Avena.
Fagopyrum.
Frumentum Turcicum.
Melampyrum.
Milium.
Oryza.
Secale.
Triticum.
Zea.

AVENA.

Sunt grana Avenæ gemina oblonga hordeo longiora alba, nigra, acuta tenuia medulla candida, molli & dulci farinacea.

Semen

βρῶμος, βρόμος, ἀπὸ τοῦ βρώματος, quod cibum ſignificat. AVENA ab aveo juxta VOSSIUM derivatur, quod eam edere aveant pecudes. Habern/AVOINE, AVEINE.

Eſt plantæ genus flore apetalo, per faſciculos pendulos diſpoſito: ſinguli nempe flores plurimis ſtaminibus conſtant ex calyce ſurgentibus. Piſtillum autem deinde abit in ſemen oblongum, tenue farinaceum, gluma, quæ floris calyx fuit, obvolutum. Singuli faſciculi ita diſponuntur in ſpicam, ut dependentes veluti parvulas locuſtas bipedes Avena gerere videatur.

Avena vulgaris ſeu alba, C. B. Pin. 23. Avena alba. I. B. 2. 432. Avena, Dod. Pempt. 511. Habern/ weiſſer Habern.

Avena

Avena nigra. C. B. Pin. 24. & I. B. 432. Avena ſylveſtrior, nigra, tenuiorque. Cæſalp. 177.

Avena nuda. C. B. P. 23. & I. B. 2. 433. & Dod. Pempt. 511. Semen enim hujus Avenæ nudum nullis implicatur glumis.

Vere ſata Auguſto matureſcit.

Φηγόπυρον

Semen in uſu; ob mucilaginem copioſis partibus terreſtribus mixtam moderate nutrit. Jumentorum potius quam hominum eſt pabulum: premens, ut loquitur SEBIZIUS, annonæ difficultas aliquando panes ex ea coquere cogit, qui inſuaves ſunt, concoctu difficiles, pauci nutrimenti & ſucci mali. Ex farina avenæ fiunt pultes, offæ & juſcula, ex polenta autem avenæ gelatinæ. Juſcula avenacea locum habent in febribus & morbis acutis ſub diæta tenui, in morbis item chronicis tam pro moderata nutritione, abſtergendis & detergendis primis viis, quam in ſuccis acribus temperandis, unde & in raucedine, tuſſi, exulceratione, & aſperitate faucium atque oris, aphthis, catharrhis ſalſis, variis alvi fluxibus, nephritide &c. conducunt. Conveniunt porro hecticis phthiſicis, ſcorbuticis &c. Euporiſton eſt remedium, non contemnendum in colica vehementiſſima, ſuccus ex ſtercore equorum avena nutritorum expreſſus & cum aqua tepida aut juſculo exhibitus. Decoquitur etiam talis fimus in juſculis & ſic exhibetur. Decoctum quoque hoc Hippenterorum aut aqua exinde deſtillata multum celebratur in arthritide vaga vel per ſe vel cum herbis antiſcorbuticis. Laudatur quoque in nephritide ictero &c. Externe avenam in ſartagine calefactam ſacculis includunt & abdomini applicant in doloribus colicis, paſſione hyſterica; adhibent autem avenam nigram. Sed effectus calori potius quam avenæ adſcribendus. Notandum interim cuſpides avenæ utrinque eſſe abſcindendos. Nephriticis inſeſſus ex po-

polenta lupulo & avenæ ſtramine ſacculo incluſis commendatur.

DECOCTUM ſive PTISANA BROMII aut AVENÆ LOWERI Habertranck.

℞. Avenæ albæ man xij. Radic. Cichor. rec. man. i. raſur. Lign Sandal. rub. ℥iiß. Nitri tabul. aut. depurat. ℥ß. (JOHANNES FRANCUS, qui Bromographiam Lowerianam idiomate Germanico edidit, Nitrum antimoniatum aſſumere jubet.) Aquæ fontanæ menſ. xij coque ad remanentiam dimidiæ partis, cola optime, poſtmodum Sacchar̃o edulcora vel etiam melle. De hoc decocto quotidie mane & veſperi tribus ante paſtum horis hauſtus bonus vel frigide vel calide aſſumatur, per aliquot ſeptimanas. In ſanguinis acrimonia demulcenda, humectando corpore, relaxandisque partibus nimis conſtrictis locum habere poteſt, unde hecticis, phthiſicis, ſcorbuticis prodeſt. Supra citatus FRANCUS videtur huic decocto effectus adſcribere, vix non fidem excedentes.

GELATINA AVENACEA, Haber-Galerey/ Haber-Sultz.

℞. Avenæ excorticatæ ℔ß. Paſſularum minor. Raſur. C. C. ana. ℥ij. femur vituli integrum bene conciſum & cum oſſibus confractum, omnia immitantur ollæ & ſufficiens affundatur aquæ quantitas. Claudatur olla & leni igne tam diu coquantur, donec caro optime excocta & gelatina ex avena & C. C. fuerit extracta. Poſtmodum coletur juſculum, quod deinde in loco calido in gelatinam ſatis ſpiſſam abit. De hac gelatina mane & veſperi per longum temporis ſpatium aliquot cochlearia in juſculo aſſumantur. Humectat de-

demulcet & nutrit. Quid in hectica poſſit ipſemet teſtari poſſum, quippe hæc gelatina una cum juſculo cochlearum & cancrorum fluviatilium, corpus exſuccum, ita ut non niſi cutis oſſibus hæreret, per Dei gratiam feliciſſime reſtituit.

FAGOPYRUM.

Sunt ſemina oblonga, triquetra, nigris glumis obducta, farinam intus continentia candidiſſimam, inſipidam.

Φηγόπυρον PHEGOPYRON, FEGOPYRUM, FAGOPYRUM, FAGOTRITICUM ſeu TRITICUM FAGINUM, quod faginam glandem & forma triquetra & colore ſordido refert. TRAGOPYRUM, TRIIICUM HIRCINUM, FRUMENTUM SARACENICUM, quoniam à Saracenis ex Africa ad nos pervenit. Buchweitzen/ Heydenkorn/ Heidelkorn/ Heydengraupen/ BLE NOIR ou SARRASIN.

Eſt plantæ genus flore apetalo, plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtante è calyce quinquepartito ſurgentibus. Piſtillum autem abit deinde in ſemen triangulare, in capſula, quæ floris calyx fuit, reconditum. His notis addendum eſt, flores in muſcariis aut ſpicis naſci & ſpecies hujus generis radicibus donari fibratis.

Fagopyrum vulgare erectum. Tourn. I. R. H. cl. 15. S. 2 g. 12. Eryſimum Theophraſti folio hederaceo. C. B. Pin. 27. Fagotriticum. I. B. 2. 993. Eryſimum Theophraſti. Lob. Icon. 63.

Colitur in agris, nullum ſolum quantumvis aridum & macrum reſpuit.

FRU-

Calefacit & humectat, inquit MATTHIOLUS, ſed non longe abeſt à ſimplicibus temperatis. Minus alit quam triticum, ſecale & hordeum, plus autem quam milium & panicum. Panis, qui cogente annonæ penuria aut citra hanc quibusdam rudioribus locis ex farina ejus coquitur, guſtu ſuavis eſt, ſed ater: bene ſaturat, mediocriter nutrit

& ventrem inflat. Accomodum edulium hominibus laboribus & exercitiis addictis.

Pulmenta ac placentæ, quæ ex ejus farina formantur, ſapiunt ſatis, facile digeruntur, cito deſcendunt & corpori alimentum præbent exiguum quidem, non tamen vitioſum. Pulmenta fiunt ex farina & lacte vel carnium jure. Pro famulitio parantur cum aqua butyro & ſale: pulmenta talia commendantur ad vulnera ventriculi & inteſtinorum, à vitri devoratione provenientia. Herba viridi, priusquam ſemen maturuerit, boves & jumenta paſcuntur. Semine Gallinaceum genus cibatur, eoque cito facileque pingueſcit. Farina in cataplasmatibus ad inflammationes mammarum & teſtium conducit.

FRUMENTUM TURCICUM.

Sunt grana frumenti Indici Mays dicti, C. B. Pin. Piſi magnitudine, in ſpicis, longis craſſis rotundis, cylindracies, ariſtis carentibus multis foliaceis tunicis vaginæ obvolutis naſcentia, denudatis vaginis omnino nuda, nulloque folliculo incluſa, lævia, ſubrotunda, & quæ mediaſtino fuliginoſo undique hærent, propter compreſſionem anguloſa, frequentia, coacervata ac arctiſſime juncta, ac in octo aut decem rarius duodecim ordines in longitudinem rectis lineis digeſta, quæ ratione coloris variant, modo candida, interdum lutea, modo purpurea, nonnunquam autem rubra, quandoque violacea, nigricantia, quandoque vero variegata, nunc ejusdem nunc diverſi in una ſpica coloris, medulla tamen candida, ſaporis cæteris frumentaceis dulciori & ſuaviori.

Fa-

FRUMENTUM TURCICUM appellatur, quoniam ex Aſia Turcica majore fuit allatum. Alii quidem hoc negant, & frumentum hoc ex India Occidentali, ubi MAIZ dicitur, advectum eſſe contendunt, ſed male juxta JOH. BAUHINUM. TRITICUM INDICUM, TRITICUM BACTRIANUM, MILIUM INDICUM, welſch Korn / BLE DE TURQUIE.

Eſt planta flore apetalo, plurimis nempe ſtaminibus ex calyce ſurgentibus conſtante, ſed ſterili: Embryones enim in capillamentum deſinentes naſcuntur in ſpicam à floribus ſejunctam & foliis quibusdam obvolutam, vaginæ inſtar tubulatis. Singuli autem Embryones deinde abeunt in ſemen ſubrotundum, parte angulata palæ axi affixum.

Mays granis aureis. Tourn. I. R H. cl. 15. S. 5. g. 1. Frumentum Indicum Mays dictum. C. B. Pin. 25. Triticum Indicum. I. B. 2.453. Frumentum Turcicum. Dod. Pempt. 509.

Colitur in agris, floret æſtate, Auguſto fructus matureſcit.

MELAM-

Farina hujus frumenti eſt eximia, præſertim à furfuribus probe repurgata. Sed panes, uti obſervat SEBIZIUS, qui ex ea concinnantur, ſicci ſunt, duri, concoctu difficiles, flatulenti, alvum cohibent, accommodati illis, qui vitam agunt laborioſam. Farina etiam cum lacte vel carnium brodiis in pulmenta formatur, quæ panibus ſunt nutrientiora. Non ſunt res ſtomachis delicatulis, ſed fercula ruſticorum, nautarum, foſſorum, bajulorum: frumentum iſtud pecori majori minorique eſt gratiſſimum, ejusque uſu mire gliſcit ſagina. Columbis edulium dat jucundum valde. Farina uſurpatur ad cataplasmata emollientia & ſuppurantia, nam lentore ſuo meatus obſtruens apoſtematibus ſuppurandis peridonea eſt.

MELAMPYRUM.

Sunt ſemina Melampyri purpuraſcente coma, C. B. Pin. triticeis minora, nigriora, ſaporis fumentacei.

MELAMPYRUM à πυρὸς triticum & μέλας niger à forma & colore; TRITICUM VACCINUM, VITIUM TRITICI, quoniam ſed falſo credebant, quod ſit Triticum, quod degeneravit. Brand/Braunfleiſchblumen/Mohrenweitzen/ Kühweitzen/ Wachtelweitzen/ BLE' NOIR, BLE' DE VACCHE, BLE' DE BOEUF, ROUGE HERBE.

Eſt planta flore monopetalo, anomalo, perſonato, in duo labia diſtincto, quorum ſuperius galeatum eſt, inferius vero plerumque integrum. Ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam ſubrotundam, bifariam dehiſcentem, ſepto intermedio in duo loculamenta diviſam & ſeminibus fœtam granorum tritici æmulis.

Melampyrum purpuraſcente coma. C. B. Pin. 234. Melampyrum multis ſive Triticum Vaccinum. I. B. 439. Triticum vaccinum. Dod. 541.

Inter ſegetes provenit læto potiſſimum pingui ac reſtibili ſolo, cum frugibus florens & ad maturitatem perveniens.

Farina hujus tritici panem reddit atriorem & minus ſuavem, interim ruſtici hoc ſemen a tritico non ſeparant. Gratum eſt pabulum bovinum aut vaccinum; farina emollit atque diſcutit.

MILIUM.

Sunt grana Milii J. B. lubrico lævore lucida, parva, ſubrotunda, colore ſæpius fulvo vel aureo quandoque albo, rarius nigro & ſtriato, ſaporis frumentacei ſubdulcis.

Milium à Mille quidam deducunt, propter granorum multitudinem: tantæ namque fœcunditatis eſt, ut SEBIZIUS loquitur, ut ſingula grana ternos reddere ſextarios dicantur. Græcis κέγχρις aut κέγχρος appellatur. Germanicis dicitur Hirß / Hirße / Herſe / MILLET.

Eſt planta flore apetalo per faſciculos in paniculam laxam diſpoſito; ſinguli nempe flores plurimis ſtaminibus conſtant ex calyce plerumque bifolio ſurgentibus. Piſtillum autem abit deinde in ſemen ſubrotundum vel ovatum, gluma, quæ calycis floris fuit, ceu capſula obvolutum.

Milium ſemine luteo. C. B. Pin. 26. Milium. I. B. 2. 446. & Dod. Pempt. 506.

Milium ſemine albo. C. B. P. 26. & Raji Hiſt. 1251.

Colitur in agris, ſolum amat pingue limoſum & glutinoſum.

ὌΟρυζον,

Ad panificia adhibetur, ſi aliarum frugum urget inopia. Panes autem miliacei (ſunt verba SEBIZIANA) pauci ſunt nutrimenti, frigidi, aridi, nil lentoris habentes: ideoque fluentem alvum morantur. Meliores redduntur, ſi milio admiſceatur Rogga. Milium cum aqua in pultem coctum alvum ſupprimit, parum alit, flatus gignit, ægre concoquitur, boni ſucci non eſt. Cum lacte vero aut brodio carnium elixum melius ſapit, digeritur facilius, ventremque exſiccat minus. Conſpergitur ejusmodi pulmentum à ruſticis Saccharo præſertim rubro.

Milium ob partes tenues in decocto ſanguinem attenuat, ſudorem & urinam ciet. Commendatur in febribus tam intermittentibus, ſi ante paroxyſmum adhibeatur, quam continuis & malignis, variolis & morbillis &c. Commendatur in hydrope & calculo renum. Fit autem decoctum pro ratione circumſtantiarum vel cum aqua vel cum vino ad crepaturam Milii. In febribus intermittentibus imminente paroxysmo adhibetur ad ſudoris eruptionem. DIVUS AMBROSIUS plures febricitantes Mediolani hoc decocto curaſſe fertur. Externe toſtum

cum ſale plantis pedum impoſitum tumores pedum diſcutit, exſiccat catarrhos, dolores capitis & ventris demulcet. Applicatur autem in ſacculis vel toſtum vel non toſtum.

℞. Milii ℔j. coq. in ▽ ℔iij. ad crepaturam, coletur. Eſt decoctum D. Ambroſii ſeu Syrupus ejusdem.

℞. Milii part. jv. Salis communis decrepitati part. j. vel ij. fiant ſacculi duo capiti alternatim imponendi.

℞. Semin. Milii vel toſti vel non toſti Mij. ſal. commun. leviter toſti m. j. herb. Verben. flor. Chamom. ana miß. Rad. Rhod. ℥ß. Zedoar. ℥ß. fiat ex cont. conc. ſacculus interpaſſatus in dolore gravativo & tenſivo.

ORYZA.

Sunt grana Oryzæ Matth. deglubita hordei granis deglubitis minora, ſublonga latiuſcula, albâ, dura, quæ dentibus facile atteruntur, ſtridoremque quendam reddunt, dum maſticantur, ſapore grato, macerata multum elongantur & veluti criſpantur. Inter Oryzam, quæ adfertur, ſunt quædam grana cute flaveſcente tecta, pulchre canaliculata.

De

Ὄρυζον, ὄρυζα, ORYZA, HORDEUM GALATICUM, HORDEUM SICILIENSE, RISUM vel RIZUM, Reiß/RIS.

Eſt plantæ genus flore apetalo, ſeminibus in panicula naſcentibus, & in capſula in ariſtam abeunte, reconditis, craſſiuſculis, ovatis.

Oryza Matth. 403. I. B. 2. 451.

In regionibus Orientalibus copioſe creſcit, ad nos ex Italia potiſſimum, ubi in locis humidis & paludoſis colitur, adfertur. Copioſſiſſime autem omnium naſcitur in Indiis, & ibidem eſt præcipua annona. Hanc incolæ cogunt in panes, ex hac placentas conficiunt, farinam illius & grana integra in pulmenta convertunt, ex hac potus eliciunt

Saccharo

Saccharo variisque aromatibus conditos, quibus facilius citiusque capita gravari & inebriari ajunt, quam potentioris vini hauſtu.

Secale

De uſu ejus ita diſſerit SEBIZIUS. Oryza eſt temperata, mediocriter alit & alvum ſupprimit, habetque aliquid adſtringens. Per ſe inſuavis eſt. Suavis autem efficitur, ſi cum carnium jure aut lacte bubulo coquatur, & poſtea vel croco vel cinnamomo vel ſaccharo condiatur. Dat alimentum paulo craſſius & crebro uſu obſtructiones parit. Adſtrictionem quam habet amittere dicitur, ſi per noctem in furfuris aqua maceretur, furfur enim detergendi & conſequenter etiam dejiciendi virtute pollet. Concoctu fit facilior, ſi cum cremore amygdalarum dulcium aut pingui carnium jure coquatur, donec diſſiliat, ut in ſuccoſam pulpam redigatur. Minus quoque alvum conſtipat hoc modo. Ajunt etiam ſemen augere genitale & lactis producere copiam, ſi cum lacte cocta ſumatur. Verum condienda eſt Saccharo & Cinamomo. Utilis eſt cibus dyſentericis, cæliacis & diarrhœa ac lienteria affectis, maxime ſi torrefacta in lacte bubulo, in quo ſilices igniti ſunt extincti, elixa fuerit. Sic enim ſiccat ſtringitque magis, & lac ſeroſitatem ſuam, quæ vim vacuandi habet, amittit. Impinguare dicitur crebro veſcentes. Unde fit ut gracilibus & macilentis comedenda offeratur, cum jure carnium gallinarum caponumve decocta. Conferunt Oryzæ pulticulæ etiam tabidis, quibus ulceratus eſt pulmo, hæmoptoicis, ſanguinolentam urinam mingentibus, crebro vomentibus, ulceratione renum ac veſicæ laborantibus, hepaticis, catarrhoſis, viris nimio hæmorrhoidum fluxu & fœminis immoderata menſium eruptione moleſtatis. Factæ cum amygdalino lacte butyro & ſaccharo aſperitati faucium & tuſſi medentur. Paratæ cum

aqua

aqua, butyro, vel ſale minus roborant, minusque alunt iis quæ vel cum lacte, vel cum jure carnium concinnatæ ſunt.

SECALE.

Sunt Secales I. B. grana Triticeis longiora, ſtrigoſiora, tenuiora, & intenſius flaveſcentia aut fuſca, ſaporis farinacei ſubdulcis.

SECALE à ſecando dicitur. Nam duo ſunt genera frugum, Frumentum & Legumen; legumina quidem manu leguntur, velluntur que. Secale ac frumenta alia ſecantur, juxta VOSSII ETYMOL: Appellatur quoque βρίζα, BRIZA, ROGGA, SILIGO quorumdam, Korn/ Rocken/ Rockenkorn/ Roggen/ SEIGLE, SEGLE.

Eſt planta flore apetalo per faſciculos in ſpicam diſpoſito, ſinguli nempe flores plurimis ſtaminibus conſtant ex calyce ſurgentibus. Piſtillum autem abit dein in ſemen oblongum tenue, farinaceum, gluma, quæ calyx floris fuit, obvolutum: hanc tamen facile deponit. Singuli faſciculi axi dentatæ affixi ſpicam, Tritici ſpica magis compreſſam, conſtituunt.

Secales ſpecies ſunt:

Secale Hybernum vel majus. C. B. Pin. 23. Secale. I. B. 2. 416. Rogga ſive Secale. Dod. Pempt. 499.

Secale vernum vel minus. C. B. Pin. 23. Secale alterum. Lugd. 396.

Apud nos prior ſpecies potiſſimum in uſu eſt; ſeritur autumno, altero anno Majo, Junioque floret, & quinque poſtea utplurimum ſeptimanis, poſtquam grana maturuerunt, demetitur.

TRITICUM

Rogga, ut SEBIZIUS loquitur, eſt calidi temperamenti minus tamen quam triticum; Ideoque fere temperate calida. Plus alit quam hordeum, parcius tamen quam triticum. Habet aliquid lentoris & viſciditatis, cujus nomine obſtruere dici-

dicitur. Panes ex ſola illius farina facti, quos ſecalicios & ſecalinos appellant, Rockenbrod/ atri ſunt & ponderoſi, ſtomacho ingrati & graves, concoctionem difficulter admittunt, craſſos & lentos producunt humores, obſtructionibus viſcera implicant. Itaque potentiorum & procerum menſis abdicantur. Obſervandum autem Roggam variare, pro varietate terræ & cæli, & in quibusdam regionibus eſſe bonæ notæ, adeo ut panes ſat ſalubres & grati inde conficiantur, in aliis non item.

Apud nos plerumque ſecali triticum admiſcetur, ut panis exinde conficiatur levior candidior, ſuavior, minusque glutinoſus.

Secale, ut loquitur KOENIG, principiis gaudet ſpirituoſis, ſulphureis, magis tamen ad narcoſin aliqualem accedentibus, particuliſque nutritiis gummeis conſolidantibus, unde BRUNNERUS in Ephem. N. C. refert, in dyſenteria quosdam Secale torrefactum, in pulverem redactum, cum vitello ovi mane & veſperi magno ſuo commodo ſumſiſſe.

Farina Secalina adhibetur ad tumores & dolores diſcutiendos. Nil communius quam ut ſacculi ea referti doloribus podagricis imponantur, item eryſipelati. Pus quoque movet, unde cataplasmatibus admiſcetur. Confuſanea farina diuturniores capitis dolores lenit in linteo capiti circumligata. Furfures quoque Secalis emolliunt & diſcutiunt, inſignique vi abſtergente gaudent. Decoctum quoque furfurum laudatur in affectibus pectoris ad demulcendam acrimoniam. Dolorem capitis abigit panis ſecalinus cum ſale & aceto tritus, vel etiam adjectis abſinthii ſummitatibus. Quidam ex pane ſecalino ſale communi & ſaliva hominis jejuni factas pilulas commendant ad febres intermittentes. SIM. PAULI in QU. B. refert ſequens experimentum muliebre. Secalinum panem, ſi menſtruatæ aut menſtruis laborantes

virgines vel fœminæ in ſacculo ſuppari interne aſſuto, ab illo puncto temporis, quo manare illis occipiunt, usque dum eis naturaliter iterum ceſſant, circumferant, volunt pulveratum ac in vino propinatum aliis reſerare menſes. Ibidem porro recenſetur, quod aqua ex pane ſecalino calente inter binas patinas deſtillata igne ſuppreſſionis ſurditatem ſanet.

Merito adhuc mentionem facimus *Arcani Timæani* ad præſervationem à calculo renum, quod ita deſcribit author.

Calendis Maji ante exortum ſolis collige Nenaſiræ viridis manipulos octo, lecaſe viridis manipulos quatuor. Exprime ſuccum, adde Vini rubri ad pondus omnium, miſce & filtra. Exhibe quotannis, primo ſecundo & tertio die Maji in aurora uncias ſeptem, purgato prius corpore. Reſolutionem hujus ænigmatis vide ſub anſerina.

TRITICUM.

Eſt Triticum frumenti genus, grano oblongo nudo, hoc eſt glumis non arcte adhærentibus, ſed triturando facile abſcedentibus tecto, turgido, lucido & flaveſcente, ab uno latere ſulcato, farina candidiore & leviore, nutrimenti optimi.

Inter

TRITICUM dicitur, quod tritum ſit ex ſpicis ac trituratione repurgatum. Græcis πυρὸς nominatur, quaſi σπορὸς, à verbo σπείρειν ſeminare. Weitzen/ FROMENT, BLE'.

Eſt plantæ genus flore apetalo per faſciculos in ſpinam diſpoſito: ſinguli nempe flores plurimis ſtaminibus conſtant ex calyce ſquamoſo, interdum ariſtis munito, ſurgentibus. Piſtillum autem deinde abit in ſemen, oblongum, hinc convexum inde ſulcatum, farinaceum, gluma, quæ floris calyx fuit, obvolutum. Singuli faſciculi axi dentatæ affixi ſpicas conſtituunt.

Hic

Hic ſequens intelligitur ſpecies.

Triticum Hybernum ariſtis carens. C. B. Pin. 21. Triticum vulgare glumas triturando deponens. I. B. 2. 407. Siligo ſpica mutica. Lob Icon. 25.

Seritur hoc Triticum principio Autumni, germinat ante hyemem inſtar graminis, agrosque coronat: menſe Aprili creſcit & culmos acquirit geniculatos atque ſpicas: Junio floret, ubi defloruit, grana concipit, quæ utplurimum 40. à flore diebus perficiuntur. Grana autem concipit numero magnitudine, ſpecie viribusque inter ſe differentia, pro cœli temperie, anni conditione, aëris qualitate, ventorum proprietate, culturæ & ſtercorationis modo.

Zel-

Inter ſemina frumentacea, quæ illa dicuntur, quæ falce metuntur & culmo geniculato foliisque arundinaceis conſtant, ac ſemen paniſiciis placentis & pultibus aptum in ſpicis aut jubis aut paniculis producunt, facile primatum obtinet Triticum, quod optimum cenſetur recens, perfecte adultum, colore flavum, ſplendens, grave, denſum, ſolidum atque compactum, quod dentibus dividi vix poſſit, intus candidum pingui ſolo cretum, boni odoris & ſaporis, quodque aqua maceratum aut coctum ocyus intumeſcit molliusque evadit.

Crudum apud nos non eſtur Triticum, ſed in farinam in molendinis redigitur, quæ deinde vel in panes cogitur, vel ad alios uſus trahitur. Præ reliquis omnibus frugibus plurimum alimenti ſuppeditat, idque firmum perſiſtens & perdurans. Habet tamen nihilominus aliquid lentoris & obſtruentis naturæ. Panes Triticei, ſive ſint ſiliginei ex flore ſeu polline molliſſimæ nitidiſſimæque farinæ conflati, ſive ſimilaginei ex ſimila, quæ medium quid eſt inter florem & farinam, ſive domeſtici & confuſanei ex farina confuſanea parati, maxime ſunt laudabiles. Notat autem SEBIZIUS, (ex quo hæc & ſubſequentia deſumpta ſunt,) quod ii, qui pane

 ſimi-

ſimilagineo quotidie veſcantur, exercitationi corporis ſtudere debeant. Alias tum propter ſimilæ lentorem tum propter dulcedinem facile in hepatis & Lienis obſtructiones incurrunt.

Piſtores dulciarii panificia fingunt ex ſiliginea & ſimilaginea farina, inenarrabili varietate ſubtilitate & elegantia. Mire enim laſciviunt, & in Tritici polline ludunt. Neque tantum ſapore ſed etiam aſpectu delectant. Eorum opificia imitantur mulierculæ ubivis plurimæ. Etenim in nuptiis & conviviis lautioribus, globulos, placentas, liba, ſcriblitas, ſpiras, bellaria alia, ſecundas potiſſimum menſas ornantia, ingenioſe ex farina utraque, ovis, lacte & butyro fingunt. Parant & lautitias hujus generis alias, quibus Saccharum, mel, aromata, fructus arborum fruticumque addunt. Artocrea quoque & Artolagana, infinita propemodum varietate, conficiunt: Verum cupediæ iſtæ, ſcitamenta, ſeu ganeatæ ciborum delitiæ, palato quidem arrident, ſanitati vero obſunt plurimum. Miſcella quippe materierum, ex quibus conflari ſolent, ventriculo tumultum faceſſit, dulciaque in bilem, acida & frigida in pituitam, craſſa terrenaque in melancholiam ex veterum mente vertuntur.

Pulmenta ex farina triticea lacte facta euchyma quidem ſunt & multum nutriunt, ſed eos, qui aſſidue iis utuntur, lædunt. Obſtructiones enim pariunt hepatis & renum generant calculos.

Ex Tritico quoque paratur AMYLUM, perperam Amydum dictum: ita dicitur quod ſine mola paretur, Krafftmehl/ Amlung/ AMIDON. Debet eſſet candidiſſimum leve &, læve atque recens. Paratur Amylum hoc modo. Purgatum triticum madeſcit quinquies die & ſi fieri poteſt, nocte: cum emollitum fuerit, effunditur ſenſim ſine agitatione aqua, quo minus cremor utilis una excludatur, ubi molliſſimum eſſe vide-

videtur, mutata aqua pedibus calcari oportet, rurſus infuſa teri: tum demum enatantes ibi furfures incerniculo eximendi, reliquumque quallo ſportisque ſiccatum tegulis novis confeſtim torreatur flagrantiſſimo in ſole. Amylum vim habet mitigandi ea, quæ acria ſunt atque mordacia, partes inſuper exaſperatas ac præcipue fauces lævigat, ſanguinis rejectiones cohibet. Salutare edulium dyſentericis, ſi pulmenta inde conficiantur. Cum ſaccharo modicoque croco tuſſientibus & aſthmaticis prodeſt plurimum. Conducunt pulmenta ex amylo in Phthiſi, hæmoptyſi aliisque ulceribus internis, in urinæ ardore. Sed quod ſupra de farina triticea dictum, illud & de Amylo valet.

Externe adhibetur farina triticea in tumoribus molliendis in oculorum inflammationibus ac fluxionibus, cataplasmatis forma impoſita, in Eryſipelate, podagricis doloribus leniendis ſicca farina impoſita valet.

FURFURES πίτυρα farinæ ſunt purgamenta, ſordes & excrementa Tritici, Weitzenkleyen / SON DE FROMENT, detergendi pollent facultate, qua imprimis inteſtina ad dejectionem invitant.

Sunt qui triticum contuſum extendunt ſuper laminam ignitam vel torrent in ſartagine, ac exprimunt oleum coſmeticum & abſterſivum.

Ex triticeo malto cum Lupulo paratur quoque cereviſia triticea Weitzenbier / quæ plus calefacit & magis nutrit quam hordeacea, & ſi non probe defæcata fuerit, craſſos flatus gignit & ventrem inflat.

ZEA.

f Sunt grana Zeæ ſive ſpeltæ, I. B. Tritici ſemine longiora, dorſo acuto, colore ruffo, utriculo pertinaciter hærentia, nec tribuli ictu relinquentia, quo nomine a tritico vulgari diſtingui poſſunt, alioqui glumis & tunicis exuta grana vix internoſcas, ſaporis farinacei, ſubdulcis.

ζεία καὶ ζέα ἀπὸ τοῦ ζῆν dicitur, quod ea ante inventum frumentum homines vitam tolerabant. Antiquiſſimis Romanis dicebatur ZEA FAR, quod frangeretur. Vocatur alias SPELTA, & propter frugis præſtantiam SEMEN. Dicitur ADOR, SEMEN ADOREUM, ſeu EDOR & SEMEN EDOREUM ab edendo. Speltz/ Spelt/ Dinckel/ Dinckelkorn/ Zweykorn/ Kern. SPEAUTRE.

Juxta RAJUM Zea eſt Tritici quoddam genus glumis adeo adhærentibus, ut eas triturando non deponat.

Zea ſive Spelta. I. B. 2. 412. Zea dicoccos vel major. C. B. Pin. 22.

Zea eodem cum tritico tempore ſeritur & floret, ſed paulo tardius demetitur. In multis reperitur regionibus, imprimis in quibusdam tractibus Germaniæ, qualicunque ſolo etiam humidiore provenit, læto tamen pinguique melius proficit.

Datur

Zea hæc gemina utplurimum juncta habet ſemina in una tunica ſive gluma & vocatur Zea δίκοκκος, Zweykern. Zea ex glumis extracta dicitur Kernen. Media eſt, ut docet SEBIZIUS, inter triticum & hordeum, quatenus ad calefaciendi & refrigerandi facultatem attinet, placide vero exſiccat. Digeſta in panificia minus quam triticum alit, plus autem quam hordeum, orique ſuavis eſt & grata. Vires tritico proximas habet, eſtque facilis concoctionis bonique ſucci. Panes ex

δικόκκῳ

δικόκκῳ ſpelta confecti, ſpongioſiores levioresque ſunt triticeis: alias candidiſſimi ſapidiſſimi a triticeis ſecundi: in tractu quodam Rhenano triticeis frequentiores.

Sunt

Datur etiam ZEA ἁπλῆ *ſimplex*, ſive μονόκοκκος, Einkern/ quæ in ſingulis putaminibus ſingula gerit grana. Eſt ſpecies hordei nempe

Hordeum diſtichum, ſpica nitida, Zea ſeu Briza nuncupatum. Tourn. I. R. H. cl. 15. S. 3. g. 3. Zea Briza dicta vel monococcos Germanica. C. B. Pin. 21. Briza monococcos. Dodonæi, Lob. Icon. 31.

Panis ex Zea hac, quæ etiam FRUMENTUM LOCULARE dicitur, monococco & ſimplici paratus ater eſt, ſordidus & ſuavitate caret.

CORYLUS

FRUCTUS ET SEMINA SUBDULCIBUS PARTICULIS ET OLEOSIS TEMPERATIS CONSTANTIA.

Avellana.
Coccos.
Nuclei Mali Armeniaci.
Momordica.
Nux.
Olivæ.

AVEL-

AVELLANÆ.

Sunt nuces arboris Coryli, involucris calloſis, ſuccoſis, herbaceis, barbatis, hirſutis adſtringentibus & acidis obſeptæ, magnitudine dimidio minores utplurimum juglande, oblongæ vel globoſæ, putamine umbilicato, per maturitatem flaveſcente aut ruffo, lævi, lignoſo aut duro ſatis, cui ſubeſt pellicula in domeſticis quibusdam coccinea, in aliis ſubruffa, in aliis alba, nucleum obveſtiens albidum, firmiuſculum, ſicuti Amygdali nucleus, ejusdemque ſapore dulci lacteum remittentem ſuccum: notandum quod in Avellanis, antequam nucleus formetur aut perficiatur ambiens pulpa ſit candicans, fungoſa, ſaporis acidi. Ipſi vero nuclei utplurimum obnoxii ſunt vermibus, qui, omni intus nutrimento conſumpto, ipſum etiam putamen pertundunt ac prorepunt.

In

CORYLUS a καρύα NUX, quaſi diceretur nucula quædam ſive NUX AVELLANA, Haſelſtauden/ Haßeln/ Haßelnußbaum/ NOISETIER.

Eſt frutex vel arbor, flore amentaceo; plurimis nempe foliis conſtante axi ſquamatim affixis, quibus ſingulis ſubſunt denſo agmine apices; embryones autem in eadem arbore à floribus ſeparati naſcuntur, abeuntque in teſtam ſubrotundam, oſſeam, involucro calloſo fimbriatoque obductam, & nucleo fœtam.

Plures dantur Coryli ſpecies, celebriores tamen ſunt.

Corylus ſylveſtris. C. B. P. 418. Lob. Icon. 192.

Corylus ſativa fructu albo minore ſive vulgaris. C. B. Pin. 417. Corylus ſativa. I. B. 1. 266. Corylus. Clus. Hiſt. II. Gemeiner Haßelnuß-Baum.

Corylus ſativa fructu rotundo maximo. C. B. Pin 418. Avellana Lugdunenſis major. Cam. Hort. Groſſer runder Haßelnuß-Baum.

Corylus

Corylus ſativa fructu oblongo rubente, C. B. Pin. 418. Corylus ſativa nuce oblonga. Lugd. 319.

Corylus ſativa fructu oblongo rubente pellicula alba tecto. C. B. P. 418.

Plures adhuc aliæ ſunt ſpecies, quas recenſere ſuperſedeo.

NUCES AVELLANÆ ab avellendo dictæ, quia cum maturus eſt fructus avellitur, vocantur quoque ABELLINÆ, ab Abellino Campaniæ oppido. Dicuntur & PRÆNESTINÆ, quod præneſtini iis abundent. Græci λεπτοκάρυα TENUES PARVASQUE NUCES, item κάρυα ποντικὰ NUCES PONTICAS appellarunt. Vocantur quoque NUCES HERACLEOTICÆ, Haſelnußen/NOISETTES. Præ cæteris, ut SEBIZIUS docet, tria in uſum veniunt Avellanæ genera. AVELLANA SYLVESTRIS MINOR, gemeine weiße Haſelnuß/ quæ eſt albidior rotundiorque Sativa, eſtque fructus Coryli ſylveſtris.

Hac melior ſapidiorque eſt URBANA, groſſe runde Haſelnüße/ quæ tamen & ipſa alba eſt atque orbiculata.

Tertia HORTENSIS ſimiliter, ſed rubra tecta pellicula, ut prior alba. Putamen, quod nucleum rubro opertum velamine continet, lignoſum eſt & læve, quod tamen calix involvit calloſus herbacei coloris, extremis partibus fimbriatis, unde Barthnuß appellatur, & à rubore tunicæ nucleum inveſtientis, non à carne, quæ albida, rothe Haſelnuß/ & quia ſiccata dyſenteriæ mederi perhibetur, Ruhrnuß dicitur. Vocatur & NUX AVELLANA URBANA CUTE RUBENTE: NUX PONTICA HORTENSIS RUFA utplurimum MEMBRANA, AVELLANA OBLONGA, RUBICUNDA, LOMBARDICA. Duplex enim eſt coloris ratione. Una cujus nucleus rubra, altera cujus nucleus alba tegitur pellicula. Ad hanc ultimam referendæ ſunt AVELLANÆ iſtæ OBLONGÆ CELLENSES dictæ, Zellernüß/ à Cœnobio Cellenſi prope Herbipolim. Adferuntur quoque ex Italia agroque Lugdunenſi AVELLANÆ, quæ & ipſæ ſativæ ſunt & cuticula alba veſtitæ, ſed longe, quam noſtrates, MAJORES, Groſſe Römiſche Haſelnüße.

IN

In uſum trahendæ ſunt ſucci plenæ, à vermibus non cor-

roſæ,

roſæ, bene maturæ. Recentes & bene maturæ palato & ſtomacho gratæ ſunt. Virides & nondum bene maturæ abundant humore crudo, aquoſo, inflant ventrem nec laudabile præbent nutrimentum, & facile dyſenteriam producunt. Siccæ vero vel rancidæ tuſſim ſiccam, aſperitatem faucium & raucedinem inducunt. Avellanæ, juxta ſupra citatum SEBIZIUM, ſunt concoctioni rebelles, ventriculum gravant, ægre deſcendunt, idque partim propter duram ſolidamque ſubſtantiam, partim propter membranulam, quæ nucleum immediate cingit. Hæc quippe auſtera & adſtrictoria eſt. Modice alunt, ſuccumque craſſiorem gignunt. Largius comeſtæ ventriculum gravant, vomitum, flatus, capitisque dolores creant. Sunt qui Avellanas ſperma gignere dicunt. Alii virtutem becchicam ipſis quoque tribuunt, ob oleoſitatem Urinæ ardorem mitigant. Avellanarum uſus ad præſervationem a calculo à pluribus laudatur, nominatim à CRATONE, qui aſſerit, ſi quis 9. vel. 10. Avellanas perpurgatas ante prandium cœnamve aliquamdiu comederit, à nephritidis cruciatibus liberatum iri. Commendatur quoque ad calculos expellendos. Ex Avellanis eodem modo ſicuti ex Amygdalis poteſt fieri Emulſio ſeu Lac Avellanatum, quod demulcet, conducit in nephritide & calculo, urinæque ardore: acrimoniam enim mitigando ſimul urinam promovet. Obtundendo quoque & involvendo prodeſſe poteſt in fluxibus alvi, cœliacis & dyſentericis. Putamen avellanarum crudum in pulverem contritum adſtringit, obſtruit & proinde ſiſtit diarhœam & alba mulierum profluvia. QUERCETANUS tanquam ſpecificum commendat in pleuritide. Quidam dicunt avellanarum uſta putamina ac oleo excepta cæſiorum oculorum pupillas infantibus denigrare, perfuſo ſyncipite; teſtante FORESTO avellana uſta & cum adipe urſina vel caprina incorporata naſci facit pilos & eos denigrat.

Pu-

Putamini, ex quo nucleus extractus eſt, excavato Mercurius ſive argentum vivum indi ſolet eoque repleri, & ſuſpendi de collo ad cor præſervandum à peſte. Mulieres quoque hoc modo lac deficiens allicere conāntur ſuſpenſo ſcilicet avellanæ putamine mercurio repleto inter mammas. Pellicula nucleum ambiens rubra ejusdem cum putamine eſt facultatis. Illud tandem etiam notandum, quod emulſiones ex avellanis præſertim Cellenſibus paratæ non tantum ad affectus nephriticos, ſed & ad dolores capitis demulcendos faciant.

℞. Avellanarum decorticatarum ℥jv. Aqu. Alkek. Anon. ana q. s. f. emulſ. edulcoranda ſaccharo; exhibe in nephritide.

℞. Avellanarum Cellenſ. ℥vj. Aqu. verben. q. s. f. emulſ. edulc. ad dolores capitis.

IN OFFICINIS HABETUR.

Oleum avellanarum expreſſum, außgepreßt Haſelnußöhl/ *Huile de Noiſettes.* Laudatur ad dolores ſopiendos inprimis articulorum, cutim exaſperatam lævigat. Commendatur etiam interne ad acres defluxiones, & ad capillos augendos. Datur ad ʒij, ℥j.

Arbor

COCCOS.

Eſt fructus Palmæ Indicæ nuciferæ Coccus dictæ RAJI, qui conſtat, primum exteriore tegumento, ſecundo cortice, tertio nucleo & quarto aqua. Exterius tegumentum, externe glabrum, in totum conſtat ex filamentis craſſiuſculis, longis, coloris rufeſcentis inſtar Lini, referens ſtupam cannabinam, craſſam ac crudam, eſtque in ea parte, qua nux pediculo adhæret, ſupra duos digitos craſſum, in reli-

 quis

quis lateribus circiter unum. Cortex eſt craſſus inſtar cranii humani, & ea extremitate, qua adhæret ramo, tria habet foramina nucleum Ceraſi capientia. In cavitate hujus corticis ſeu in interiore ambitu ejus adhæret nucleus, qui & ipſe ſua cuticula veſtitur, in ſua convexitate (inter corticem ac ſe) ruffi coloris, ad viſum ut nux moſchata. Nucleus nuce matura craſſus eſt $\frac{2}{3}$ digiti, albiſſimus; lacteo ſucco turgens, ſapore inſtar optimarum Avellanarum, denique in illa cavitate nuclei continetur aqua, pauca quidem, quando plene maturuit nux, nec ad potandum grata, ſed quando mediæ ætatis eſt, nimirum quando tegumentum flaveſcere incipit, cavitas illa eſt plena aqua ſuaviſſima, continet enim pintam Hollandicam aut amplius pro magnitudine. Aqua hæc tum gratiſſima eſt ad potandum dulcis frigida ac clara. At hinc cum aqua abundat, nucleus adhuc mollis nec ita gratus eſt. Ergo pro aqua haurienda eliguntur mediæ maturitatis; pro nucleo edendo plane maturæ.

Fructum

Arbor hunc fructum ferens caudice, juxta MARGGRAVIUM, eſt raro recto, ſed plerumque incurvato, quatuor quinque ſex aut ſeptem etiam pedes craſſo, triginta quadraginta, & interdum quinquaginta alto. (HORTUS MALABARICUS *pedalem tantum craſſitiem ei tribuit, & in ima parte ubi maxima ferme bipedalem: At* PISO *affirmat partem caudicis humo proximam non craſſiorem aut firmiorem eſſe, quam quæ in ſummitate exiſtat.*) Cortex cinereus eſt inſtar juglandis, & quaſi vibicibus hinc inde transverſim per ambitum notatus. (HORTO MALAB. *Cortex nigricans, qui deglubi nequit, ſemiannularibus circulis ac notis, quibus pedes foliorum inſederunt, ſtriatus.*) Lignum ejus non multi eſt uſus, conſtat enim ex meris filamentis, & eſt dulce, quaſi lacteo ſucco turgens, unde arbore cæſa a formicis appetitur. (*Intus mollius, ad corticem durius, per vetuſtatem arboris etiam multo durius & magis nigricans: aëri expoſitum intra duos treſve annos corrumpitur, in aquis durabilius eſt.*) Caret ramis, ſed in ſummitate quindecim, octodecim viginti aut plura habet folia,

magna,

magna, alata, in orbem diſpoſita, partim ſurrecta, partim protenſa, partim dependentia, grato aſpectu. In exordio ſuo hæc folia alata quadam textura veſtita ſunt naturali, obſcure griſei coloris, quaſi crudum textum cannabinum eſſet; & ſucceſſu temporis hæc textura ſe ſolvit, ſubſequenteque altera, & a vento circumagitur. Quodlibet folium alatum longum eſt circiter ſedecim pedes ac in exortu pedem circiter craſſum, diſſectum in folia ſive alas ordine juxta ſe poſitas aut oppoſitas. Quodlibet tale folium tres aut amplius pedes longum eſt, duos digito latum, & verſus extremitatem anguſtius, acuminatum, habens in medio ſecundum longitudinem nervum oſſeum flaveſcentem ac transverſim ordine ſubtiliſſimas ſtrias virides, (*ut & ipſum eſt*) ac totum carinatum cavitate ſurſum verſus, ſubſtantia inſtar folii gladioli, læte viride ac ſplendens. (*Folia hæc* HORT. MALAB. *Ramos foliaceos appellat, minus recte, ſiquidem, ut affirmat decidunt alter poſt alterum temporibus ordinatis, dum alii ex ſummitate caudicis de novo erumpunt, quod folio non ramo convenit.*)

Inter folia alata ex ſummitate arboris oritur ſiliqua ſeu vagina 2½. circiter pedes longa, craſſa, in medio novem aut decem digitos faſtigiata, viridis, ſtriata, quæ ſucceſſu temporis fuſceſcit, ac ſponte rumpitur. Antequam autem rumpatur, eleganter intus compoſitus reperitur caulis, pedem longus, tres aut quatuor digitos craſſus, in plures ramos pedales aut ſeſquipedales diſtinctus, qui ita apte à natura in theca complicati magnam ſpicam repræſentant. Rami hi onuſti ſunt triangularibus corpuſculis magnitudine amygdalarum albis, quæ rudimenta ſunt florum, & hinc nucum, nam rupta vagina rami hi ſe explicant inſtar arbuſculæ, & floſculos exhibent luteos. Hinc ſuccreſcunt fructus quilibet inſidens ſub pediculo pennam anſerinam craſſo & cupulæ ſquamis conſtanti ex ruffo flaveſcentibus. (HORTUS MALAB. *Fructus à floribus disjungere & removere videtur; nam in hiſce ſurculis in capſis flores & fructus eo ordine provenire aſſerit, ut fructus in inferioribus partibus prodeant, quam gemma florum & ſurculis arcte inſideant. Flores autem parvis & flavo albicantibus calycibus trifoliatis excepti, ipſi tripetali ſunt, petalis ad imam oram rotundioribus & in vertice cuſpidatis duriolis, rigidis & craſſiolis, habentque in medio ſex ſtamina flava, quæ oblongis, craſſiolis, primum ſurrectis, dein decumbentibus apicibus dotata ſunt, ac ex unguiculis petalorum prodeunt, & cum iis ſtylum brevem craſſiolum & albicantem, ſuperne trifidum: ſuntque odore grato velut lilia, licet debili, qui poſtquam e capſis eruperunt, confeſtim è ſurculis decidunt.*

Tertio à ſatione anno folia incipiunt defluere, nec enim antea juſtam magnitudinem adipiſcuntur. In arbore grandi ordinarie 28. plus minus conſpiciuntur folia. Radix eſt craſſa, cortice ruffeſcente ac nigricante, interius ligno molliori, fibras late transverſim diffundens. PISO mirum eſſe ait truncos adeo proceros poſſe ſic brevibus & tenuibus, & vix terra coopertis radicibus in aëre ſubſiſtere, neque ſuo multo pondere & fructuum mole ventisque etiam vehementioribus eos ſæpe quatientibus humi concidere. Cacumen arboris, quod à teneris ramis circumdatur, cum altior ac vetuſtior eſt arbor, in conum faſtigiatur, ac molli & albicante pulpa ſeu corculo, dicta Luſitanis Palmita, PISONI Palma, quod exterius e variis tunicis ſibi mutuo ſuperinjectis conflatur ac intus denſum eſt, conſtat: hoc cum tenerior eſt Tenga & altitudine unius cubiti, eſt dulcis ac grati ſaporis, cum majoris ætatis, ſaporis minus grati ac adſtringentis, cum vetuſtior eſt ſaporis dulcioris & gratiſſimi, æmulans juglandes noſtrates, quæ non cruda ſolum ſed & cocta inter epulas apponitur, & cum Braſſica Cyprina certat: Ab Elephantis maxime expetitur, qui, ut ea fruantur, arbores haſce eradicant. Ea ablata arbor moritur, quo fit, ut, qui ejusmodi germen edit, non immerito Palmam vorare dicatur. Arbor toto anno ſimul flores fructus immaturos & maturos continet.

A RAJO ad Palmas refertur & vocatur uti ſupra jam dictum, Palma Indica nucifera Coccus dicta. Raj. Hiſt. 1356. Palma Indica coccifera anguloſa. C. B. Pin. 508. Palma Indica nucifera. I. B. 1.1. 375. Palma ſive Nux Indica vulgo, ferens Coccos Park. Inaia Gaucuiba, vulgo Coccos Piſoni & Marggravio. Tenga Hort. Malab.
Dicitur hæc arbor amare loca maritima & arenoſa prope ſepes & macerias in India præſertim Orientali: in mediterraneis non, aut raro reperitur, aut ſi plantetur infructuoſus eſt, nec ibi juſtam magnitudinem aſſequitur. A 25. ad 30. ætatis annum in ſummo eſt vigore. Centum circiter annos durat.

Palma

Fructum, qui dicitur COCO & COQUEN, COCCUS, ob trium foraminum veſtigia, quibus Cercopitheci caput repræſentat, quod concernit ſupra deſcriptum, HORTUS

MA-

MALABARICUS ſequentia notat. Fructus cum teneri adhuc ſunt, & ex capſa cum ſpicis erumpunt, calyce flavo albicante, qui ex rotundis foliis mutuo circumvolutis conſtat, arcte & in totum obduci. Interna cavitas in fructu ſucceſſive adaugetur. Nucleus ſeu medulla fructus cum vetuſtiſſima eſt maxime oleoſa evadit, ac ex oleo cæruleſcens, odorem fortem oleoſum, qui ingratus eſt, ſpirans. Pro diverſa medullæ conſiſtentia fructus variis nominibus ſunt donati, diverſumque guſtum obtinent. Aqua in fructu duro id proprium habet, quod fermentatione ad oculum notabili cieatur. Cum medulla dura eſt, ac fructus exſiccari incipit, in ollam infuſa & aëri expoſita ſaporem dulcem illico amittit & ſubacida redditur, idque ocyus ſi vento moveatur ſine ulla tamen fermentatione.

Magnitudo fructus interdum capitis Humani forma externa & Peponis æmula tribus angulis obtuſis, ad partes ſuturarum, quæ in interiore cortice ſunt, coëuntibus.

In Coccis vetuſtis ad partem eorum inferiorem intra medullam ſeu nucleum oculus oblongo rotundus albicans, qui poſtea flaveſcit, ſe prodit; eſtque tenerum germen fructus, (plantula ſeminalis) qui eo terræ mandato ex ſuperiore parte per oculum operimenti minus durum, ceu latius, ſurculum novellum extrudit, atque ex interna parte pyrum dictum Luſitanis Pingo, quod magis & magis increſcens, tum aqua interea exſiccatur, totam cavitatem adimplet. Surculus autem novellus ex oculo prodiens, extra operimentum emicans, paulo reflexus corticem exteriorem pertere. brat, ac inferiori parte emittit radiculas, quæ per corticem exteriorem primum oblique decurrendo, tandem eo perrupto ſe terræ hinc inde affigunt. Pirum, quod in cavitate naſcitur albicat, & in ſtrictiore parte, qua ex oculo prodiit, ſubflavum, exterius rugis in longum ſtriatum & granula;

nulatum, ac oleo inunctum, intus fungoſum, humidum molle & albicans, eſculentum, ſapore multo dulciori quam medulla, verum nonnihil faſtidioſo.

Ex hac arbore elicitur liquor, SURI dictus, qui potus ut vinum inebriandi vim obtinet, ſaporis grati, ſubdulcis, ſubſalſi & ſubacidi, cum primum exceptus eſt, majori dulcedine, cum vetuſtior acidior, coloris ex albicante ſubcœrulei & pallidi &c. Ex eo deſtillatur aqua ardens ſeu ſpiritus. Acetum quoque & ſaccharum, quod JAGRA vocant ex eo fit Modum educendi hunc liquorem accurate deſcribunt HORTI MALABARICI authores. Capſæ floriferæ ſeu fructiferæ, quam MAMMAM arboris vocant, cuſpidem incidunt, eique ollam appendent, atque infra cuſpidem intervallo quatuor digitorum corticem capſæ oblique ſecant, ſectumque verſus cuſpidem elevant, barbam, ut ajunt, efficientes, ut liquor ex cuſpide inciſo per corticem capſæ dimanans, ex barba in ollam appenſam infundatur.

Bis de die, mane & veſperi, ollas cum SURI detrahunt, interdum etiam meridie. Qui medio die detrahitur in ollis mane appenſis dulcis eſt, qui veſperi ſubacidus, alterò die aceſcens, tertio autem die liquor acidus redditur, ſuam dulcedinem prorſus amittens. Ut acetum ex hoc liquore conficiatur, ollas in quibus exceptus eſt, in calce per 15. dies imponunt, quo ad fermentationem vehementer excitatus, multam ſpumam ebulliendo, ac in fundum ollæ materiam albicantem ſeu cineream demittendo, mutetur in acetum.

Saccharum JAGRA dictum hoc modo conficiunt. Ollis indunt momentum calcis, quantum ſufficit ad liquorem inſtillatum rubedine tingendum, nec plus, nec minus: dein hunc liquorem coquunt, continuo eum cochleari movendo, donec inſpiſſetur: habeturque tum ſaccharum rubrum, quod album iterata ſolutione ac coctione reddunt. E villoſa materie tegumenti

gumenti hujus nucis exterioris rudentes & funes navibus neceſſarii fiunt, authore GARCIA, qui incorrupti manent in aqua marina. Sed & ex illis villis fiunt nodoſa cingula magni uſus inter omnes fere tenuioris fortunæ mulierculas Ulyſſiponenſes.

Exterior hic cortex circa initia edulis eſſe dicitur, & Cinaræ ſpiniferos reſipere aculeos, verum dulciorem eſſe, aptiſſimumque cohibendis diarrhœis, ſacietati curandæ & ventriculo inſtaurando.

Ex eadem materia ſtupæ loco nares obturantur & ſtipantur, ipſisque adeo ſtupis præſtat, quod putredini minus ſit obnoxia, & aqua marina imbuta inſletur denſeturque. Oſſeus cortex diligenter politus & argento decoratus apud plurimos hodie ſpecioſi poculi vice in convivia venit, ſed vim antiparalyticam ei denegat GARCIAS.

Liquorem ſeu vinum SURI phthiſicis mire conferre ajunt, & valde opportunum eſſe urinæ renumque vitiis laborantibus. E nucleis contuſis atque expreſſis lac extorquetur citra ignis operam, lumbricis enecandis utiliſſimum ad ℥iij. addito ſale, mane potum præſertim in pueris. Huic lacti incoquitur quoque Oryza pro pulmento.

Quin ex ramentis nuclei (addita aquæ opportuna menſura) fervefactis ac multum agitatis oleum ſupereminere ſolet dulce, liquidum, ſplendidum, & oleo Amygdalarum dulcium non diſſimile guſtu, quod ſex aut octo unciarum menſura potum, addita aqua, in qua Tamarindi aliquandiu maduerint, ventriculum inteſtinaque leviter purgat, humores præcipue melancholicos & pituitoſos evacuans, cum tamen nucleus dicatur alvum coercere; at recens extractum ſit, oportet. Vulneribus mire opitulatur, nam & ſanguinem ſiſtit, & ſaniem exterget, coercetque dolorem & tandem cicatricem inducit. Quin ex fruſtulis nuclei, quæ in

 lon-

longinquas regiones transferri ſolent, extrahitur oleum utile lucernis, Oryzæ parandæ, nervis contractis laxandis, & necandis lumbricis.

Liquor nucleo contentus ſiti febribusque extinguendis, caloriqne contemperando idoneus eſt, medendis extergendisque oculis & emundandæ mulierum cuti. Emundat ſanguinem, ventriculum & vias urinæ purgat, medetur pectori ac pergrato conſtat guſtu, plurimum præbet nutrimenti & adverſus bilioſas febres eſt potio mirabilis, ut docet HERNANDEZ.

Multæ præterea vires & uſus in medicina aliarum hujus arboris partium in HORTO MALABARICO celebrantur. At non reticendum quod de medulla hujus arboris habet LINSCHOTANUS, nimirum eam (Palmito vocant) magno in pretio loco muneris ad opulentiores potentioresq; mitti. Chartæ autem tenuitate ac candore forma plicatili creſcit, ut ſubinde 50. aut 60. plicas habeat togæ muliebris inſtar. Ex hac Indi chartam & libros inſtaurant; ex ea enim charta tenuis ducitur. Virentibus inſcribunt plicis, quæ tum ſiccatæ literas habent indelebiles, ſtilo ferreo ante notatas.

Indis Ollam vocari refert ſupradictam chartam, conſtantque ex eadem materia omnes gentis annales, libri, & volumina, quam & ſignare norunt in epiſtolarum uſus. Idem tradit & confirmat MANDELSLO in relatione peregrinationis ſuæ in India Orientali.

MAFFEUS folia tum Librariis pro Papyro eſſe ait (de quo tamen dubito, eumque per errorem folia Lantor pro hujus foliis habuiſſe ſuſpicor) tum etiam in veſtes forma facili ſimulac ſpiſſo contextu necti. Idem unam hanc arborem omnia prorſus ad rem nauticam inſtrumenta ac materiem præbere ſcribit: quippe truncum in malum aſſamenta clavosque: comam in vela; Cuyrum ſeu corticem nucis exteriorem

riorem in funes omnium optimos, filaque ad laterum ſuturas; poſtremo Cocum ipſum; quæque ex eo conficiuntur in onera.

Quibus ſi addamus præbere eam & vinum & lac & oleum & ſaccharum & acetum & cibum ſolidiorem, & filum & acus, & lintea, & veſtimenta, & pocula & cochlearia, aliaque vaſa & ſtoreas, & ſportas & umbellas & chartam, omnino faтendum eſt arborem eſſe πολύχρηστον, cuique ſimilem & æquiparandam vix in toto terrarum orbe reperias.

Hæc ſunt, quæ RAJUS ex allegatis authoribus fideliſſime excerpſit, quæque propterea apponere voluimus, quoniam Curioſis nauſeam nullam movebunt.

Eandem quoque ob cauſam allegabimus, quæ modo prædictus author de COCCIS MALDIVENSIBUS habet.

Palma coccifera figura ovali. C. B. Pin. 508. Nux Indica ad venena celebris, ſive Coccus de Maldiva. I. B. 384.

Niger eſt COCO DE MALDIVA cortex & nitidior vulgari Coco ſeu Nuce Indica, figura ovali magna ex parte, nec ita rotunda, ut vulgaris. Medulla ſive pulpa interior, quæ ſiccata dura admodum eſt & candida, nonnihil tamen ad pallorem inclinans in ſuperficie rimoſa eſt & valde poroſa nullo ſapore excellenti: (JOH BAUHINO, *fungoſa, conſiſtentia quam videmus in fungis nucum, colore foris in luteo cinereo intus pallido, fibris variatum ſubinde ferrugineis & croceis, guſtu inſipido.*)

Arbor

Integræ, quas vidit nuces J. BAUHINUS, pedem longæ fuere, rotunditate, quantam vix ambabus manibus amplecti potuit: pars compreſſa erat ſex uncias lata, in qua amplum foramen apparebat ab alio fructu ſeparatum, ita ut gemellus fuerat fructus: conjunctorum fructuum ingentem fuiſſe magni-

gnitudinem apparebat ; utriusque capacitas erat inſignis ; Cortex durus & ſpiſſus, qualis aliis nucibus , externe ſtriis obliquis longis excavatus, colore nigro, pulſatus ollæ modo reſonans. Sic corticem etiam villoſum habet, ut aliæ nuces Indicæ. Vulgari fama accepimus (inquit GARCIAS) inſulas Maldivas aliquando continentem fuiſſe, ſed inundatione maris ſubmerſum has inſulas effeciſſe, in quo obrutæ palmæ fuerint, quæ hos Coccos protuliſſent, qui terra indurati in hunc modum conſpiciuntur. Sintne vero ejusdem generis cum noſtris facile judicari non poteſt , cum hactenus nemo folia aut arboris truncum videre potuerit, ſed ſoli Cocci in litus ejiciantur , nunc bini conjunctim , interdum vero ſinguli ſeparatim. Sed has nemini colligere licet, niſi cum capitis periculo, quoniam Regis eſſe aſſerunt, quicquid de mari in littus ejicitur, quæ res majorem authoritatem huic nuci conciliavit.

Eximitur autem ex his Coccis pulpa ſive medulla, deinde exſiccatur atque indureſcit, eo quo venditur modo.

Commendatur ab ipſis incolis & à Malabarenſibus (ut ACOSTA teſtatur) non modo a plebe ſed a Regibus & principibus Viris, ut in omni fere morborum genere ad eam confugiant tanquam ad ſacram anchoram: verum præcipue adverſus venena valere creditur. Fiunt & in eam gratiam ex illo pocula , quæ auro vel argento excipiuntur ad aquam bibendam , in quam ex catenula medullæ ipſius Cocci fragmentum pendere ſinunt, ſibique certo perſuadent, illis , qui aquam ex poculis hauriunt, nullum venenum nocere poſſe, futurosque immunes à multis morbis. Verum cum hæc aliaque, quæ de nucis hujus viribus traduntur vulgo potius perſuaſione quam certis experimentis conſtent: & Medici nonnulli ſe nullo ſucceſſu ad prædictos affectus iis uſos eſſe affirment: alii noxam potius corpori inferre ſe experientia didiciſſe

ciſſe dicant : iis recenſendis & expendendis non immorabimur.

Quod attinet ad ſpecificam qualitatem promovendi partum difficilem & reſiſtendi inſultibus epilepticis , ejus non unam experientiam habent quidem Medici & teſtari de feliciſſimis ſucceſſibus queunt, uti loquitur GU. PISO.

NUCLEI MALORUM ARMENIACORUM.

Sunt nuclei Mali armeniaci minus longi quam nuclei perſicorum, ſed craſſiores pro proportione, ſapore minus etiam amaro, nonnihil ad amygdala accedente , non ſine impreſſione aromatica , incluſi oſſiculo , quod includitur fructui pruno fere æquali aut etiam majori , intus foriſque luteo, carne & ſolidiore ſiccioreque quam caro perſicorum, guſtu vinoſo.

GALENUS

Arbor hunc fructum ferens vocatur μηλέα Ἀρμενιακή, MALUS ARMENIACA ab Armenia, unde primum ad nos advecta ſemina putantur. Fuerunt quoque à Romanis dicta PRÆCOCIA , quoniam ante alios fructus fugaces matureſcunt. Quorum ſententiæ nonnulli ex recentioribus ſuffragantur & ARMENIACA vocant, quæ ſunt grandiora & inſita, PRÆCOCIA vero, quæ minora & ſine inſitione proveniunt. Melius tamen ambo vocantur ARMENIACA. Möllelen-Baum/ Mollelen-Baum/ Abricoſen-Baum/ ABRICOTIER.

Eſt arbor flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante: ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum carnoſum, fere globoſum, utrimque plerumque compreſſum, ſecundum longitudinem ſulcatum, oſſiculo fœtum compreſſo pariter, nucleum includente. His notis addenda eſt facies quædam propria, qua Armeniaca à cæteris arboribus dignoſcitur.

Ex Mali Armeniacæ ſpeciebus frequentioris uſus ſunt,

Armeniaca fructu majori nucleo amaro. Tourn. I. R, H. cl. 21. S. 7. g. 2. Mala armeniaca majora. C. B. P. 442. Armeniaca mala majora. Camer. Epit. 146. & I. B. I. 167.

Armeniaca mala minora. I. B. I. 167. Malus armeniaca minor. C. B. P. 442. Armeniaca minora. Camer. Epit. 147. Keb-Möllelin.

Fructus hujus arboris vocantur μῆλα Ἀρμενιακά, MALA ARMENIACA, ABRICOCA, BERICOCIA quaſi PRÆCOCIA, Abricoſen/ Möllelin/ Mollelen/ Armenellen/ Marillen / Malillen/ St. Johannes Pferſing/ ABRICOTS.

Coluntur in hortis, viridariis & vinetis; Martio aut Aprili citius ſeriusve pro tempeſtate anni florent, fructum Junio Juliove maturant.

Majora ad mediocrium perſicorum magnitudinem accedunt vel illa etiam æquant. Parva vulgaribus prunis ſunt æqualia. Sapore & magnitudine inter ſe pro cœli clementia, terræ dotibus & culturæ mangonio non parum inter ſe differunt.

Vocatur

GALENUS jam dixit mala armeniaca Perſicis eſſe ſuaviora, ventriculo gratiora & magis ſalubria, quod neque in ventriculo, ut ea, tam facile corrumpantur, neque aceſcant. Alimentum dant exiguum, frigidum, humidum & excrementitium. Poſt alios cibos, ut SEBIZIUS loquitur, ſumpta ipſos vitiant. Initio vero & ante alia fercula comeſta deſcendunt facile, & aliorum faciliorem deſcenſum procurant. Convenientiora ſunt calidis naturis & juvenibus; in pituitoſis, quæ frigidæ ſunt atque humidæ conſtitutionis, & quibus ſtomachus eſt debilis, facile corrumpuntur.

Siccantur ſole & furno ad uſus hyemis: a Seplaſiariis ſaccharo condiuntur, & habentur pro bellariis.

Nucleus eorum, quia amarus, necat vermes. Elici ex illis ſuccus lacteus poteſt, non ſecus ac ex nucleis perſicorum, qui in febribus ſalutaris, incidendo, aperiendo, abſtergendo conducit.

Opti-

Optima ſuo in genere ſunt, quæ magna, quæ bene colorata, quæ matura, quæ guſtu grata, quorum caro ab oſſibus facile ſeparatur. Sunt enim ſicciora minusque excrementitia. Immoderatius tamen ingeſta, ventriculum inflant, prompte corrumpuntur, ſanguinemque ſeroſum & putredini obnoxium creant, ut fructus horæi alii. Hæc SEBIZIUS.

Oleum é nucleis expreſſum mirifice valere tradunt inunctum ad inflammatas hæmorrhoides, & ad ulcerum tumores, ac linguæ impedimenta, & pariter ad aurium dolores. Ad aliquot uncias potum calculum pellit & colicos juvat.

MOMORDICA.

Sunt fructus Mómordicæ Durant: oblongi, majores minoresve, qui maturi rubent, vel ſuperficie carneque nitentis purpuræ phœniceæ turbinati ſunt, Cucumeris forma, eodemque modo tuberculis horridis bullati.

Fru-

Vocatur etiam BALSAMINA à virtute balſamica, BALSAMINA CUCUMERINA, BALSAMINA CUCUMERARIA à fructu, CUCUMIS PUNICEUS, MAMORTICA nonnullis, VITICELLA aliis, BALSAMINA POMIFERA, POMUM HIEROSOLYMITANUM, POMUM MIRABILE, Momordica/ Balſamápffel, POMME MERVEILLE, ou POMME DE MERVEILLE.

Eſt plantæ genus floribus monopetalis, campaniformibus, patentibus & plerumque ita ſectis, ut è quinque petalis conſtare videantur, ex iis autem floribus alii ſteriles ſunt, nulli embryoni adhæreſcentes, alii fœcundi inſidentes embryoni, qui deinde abit in fructum modo magis modo minus turbinatum, cavum carnoſum, qui elaſtica vi rum-

pi-

pi ſolet, & ſemina fundere calyptra ſeu involucro obducta, plana, margine utplurimum denticulato.

An flos Momordicæ monopetalos ſit ad centrum usque diviſus, an vero ex quinque petalis conſtet obſcurum, quapropter à cæteris Cucurbitaceis hoc genus ſeparandum eſſe non duxit TOURNEFORTIUS. Differt à Cucumere fructu unicapſulari vi elaſtica prædito, Cum Balſamina vulgo ſolet confundi, ſed plurimum ab ea diſtat.

Momordica vulgaris. Tourn. I. R. H. cl. 1. S. 7. g. 4. Momordica. Caſtor. Dur. 61. Charantia. Dod. Pempt. 670. Balſamina rotundifolia repens ſive mas. C. B. Pin. 306. Balſamina Cucumeraria. I. B. 2. 251.

Momordica Zeylanica pampinea fronde, fructu longiori. Tourn. loc. cit. Pandi Pavel. H. Mal. 8. 17. Balſamina Cucumerina Indica fructu majore flaveſcente. H. Amſtel. 103.

Non niſi ſata apud nos provenit, Julio & Auguſto floret, & fructus tarde matureſcunt.

Fructus vim vulnerariam inſignem poſſidet, mitigat dolores præſertim hæmorrhoidum. Convenit ambuſtis & nervis læſis, prodeſt itidem in herniis. Foliis quoque vis vulneraria tribuitur tum externe tum interne, ſed interne rarius uſurpatur.

NUX.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Oleum Momordicæ per infuſionem pomorum paratum, Balſalmäpffel-Oehl/ *Huile des Pommes de Merveille.* Inſigne eſt vulnerarium & in vulneribus mammillarum, doloribus hæmorrhoidum & ambuſtione partium maximopere laudatur. WITTICHIUS ejus vim traumaticam adeo extollit, ut hyperbolice ſatis pronunciet. Si equo albo & nigro aures amputaveris & nigro equo aurem albi agglutinare volueris, præſtabis hoc oleo momordicæ. Genitalibus inunctum & clyſteribus injectum dicitur partum facilitare. Dicitur etiam fœcunditatem inducere. Commendatur in vulneribus, ulceribus & fiſſuris mammarum. In nervorum tendinumque læſionibus conducit.

NUCES

NUX.

Eſt fructus Nucis juglandis ſive Regiæ vulgaris, C. B. Pin. quem jam perfectiorem tegit pulvinatus calyx acerbi & amari ſaporis, nec ſine acrimonia, nigro colore manus inficiens, cui ſubjectus cortex lignoſus, rugoſus, in duas carinas apertilis, nucleum continens in binas partes ad medium fere fiſſum & pene quadripartitum, revolutionibus cerebri ſimiliter inæqualem, primo mucoſum ac inſipidum fere, deinde per maturitatem calloſum, candidum, dulcem, cuticula pallida tectum, exortum trahens ex candida & ex acido amaricante quadam ſubſtantia pulpoſa, cujus terreſtrior portio in lignea vel ex ligneo membranacea quædam nucleorum diſſepimenta abit, qualibus tenuioribus interior oſſis cavitas magna ex parte obducta eſt. Integri & maturi magnitudine minoris aut mediocris perſici & pulpa viridi ſeu integumento externo pulvinato (quem Feſtus vocat Culeolum, quaſi exiguum culeum) atque carnoſo dempto, uncia fere latiores & hac ipſa latitudine longiores, ex rotundo in oblongum ſubtumeſcentes, ſed delumbata utrinque qua valvularum commiſſura eſt circinatione rotundi. Nucleus duplici cuticula ſeu membrana tegitur, exteriore flavicante & ſubamara, quæ dum nux adhuc recens eſt, facile deglubitur, cum areſcit arcte adhæret, nec poteſt ſeparari, interiore tenuiore & pellucida.

NUCES JUGLANDES, innuente SEBIZIO, quaſi Jovis glandes dictæ videntur, quia arbor antiquitate Jovi erat conſecrata. Vel quaſi JUVANTES GLANDES, quoniam adverſus peſtem & venena inſigniter conducunt. Quidam Nucis vocabulum à nocendo derivant, Græcis dicuntur *κάρυα*, quod capitis gravitatem inferant. *κάρυα*

βασιλικὰ καὶ περσικὰ, quoniam teſte Plinio è Perſide à Regibus fuere translatæ, Nuces Regiæ. Nußen / Baumnußen / welſche Nußen / Wallnußen. Noix.

Quod differentiam nucum attinet quæ deſumitur a putamine duro & lignoſo, aliæ ſunt majores quæ etiam vocantur Nuces Caballinæ, Nuces equinæ, groſſe Nüße / Roßnüße. Aliæ ſunt mediocres, gemeine Nüße / aliæ vero exiſtunt minores kleine Nüße; Quædam habent putamen durum craſſum, quod fractu eſt difficile. Steinnüße / Gribelnüße / quod nucleis ægre eximatur. Quædam vero tectæ ſunt putamine tenui & fragili. Diſtinguuntur porro, in Virides, quæ nondum plane maturuerunt, & maturas, quæ ad maturitatem perductæ, ſed recentes nihilominus comeduntur, & à quarum nucleis pelliculæ adhuc facile detrahi poſſunt, & aridas, quæ exſiccatæ ſunt & à quibus pelliculæ non amplius detrahuntur.

In

Virides, ut loquitur SEBIZIUS, palato placent, quia ſuaves & dulces, ſi delibratæ ſunt. Comeduntur etiam dum vix incipiunt conſiſtentiam acquirere & vocantur CERNEAUX, aſſumuntur autem cum ſale, ne tam facile noceant, alunt parum, facile etiam in ventriculo corrumpuntur. Meliores ſunt, quo magis ad maturitatem pervenerunt. Aridæ vero rurſus minus proſunt, concoctu enim ſunt difficiles, ſtomacho inutiles, bilioſum ſuccum procreantes, capiti gravedinem afferunt, tuſſientibus inimicæ ſunt ut & pectori, præſertim ſi etiam rancorem jam contraxerint, in ore inflammationem & ulcerum pariunt, raucedinem & aſperitatem faucium inducunt. Utiles cenſentur maxime a piſcium eſu, unde illud:

Poſt piſces nuces, poſt carnes caſeus adſit.

Aſſervari Nuces per longum tempus poſſunt, ita ut non areſcant, ſi ſepeliantur integræ ſub arena madida. Equidem

pel-

pelliculæ nigreſcunt, ſed facile decorticantur, Nuclei autem adhuc ſucculenti ſunt. Nuces calefaciunt & ſiccant, ut habet SCHWENCKFELDT; Jejuno ſtomacho comeſtæ latos lumbricos pellunt. Cum ficu ruta & grumo ſalis contra venena & peſtilentiam mane ſumtæ commendantur. Mammarum inflammationibus cum mellis exiguo & ruta illinuntur. Rancidæ efficaciſſime illitæ livores in corpore tollunt. Cum ſale cepa & melle canis hominisque morſui conveniunt. Sunt, uti docet SIM. PAULI, qui præmanſas juglandes nuces eum in finem commendant, ut earum beneficio exploremus morſus canum. Etenim ſi eæ parti affectæ prius præmanſæ aliquandiu applicentur, ac poſtea projiciantur devorandæ gallinis, nec illæ ab eorum uſu male habeant aut moriantur, pronunciandum arbitrantur, canem non fuiſſe rabidum, qui ægrum momordit. Singulare eſt MATTHIOLUM comment: in DIOSC. l. 1. c. 41. obſervaſſe fructibus his maturis menſes ducendi ſpecificam facultatem innatam eſſe. Ineſt enim, inquit, juglandibus nucibus propria quædam & peculiaris facultas ad remoratos menſes ciendos, adeo ut ego facto periculo non parum fuerim demiratus, & præſertim, ubi cætera medicamenta, quæ ad hoc munus obeundum præſtantiora cenſentur, nihil moverant. Macerantur itaque ad id in aqua juglandes nuces cum ſuis putaminibus, quousque remollitæ atque humefactæ, earum nuclei à contegente membrana proinde ac virides expoliari poſſunt, ſumuntur deinde expoliati nuclei ac conduntur macerandi in aqua vitæ præſtanti, & poſt duos dies perpurgatis prius fœminis, nuclei duo vel tres integræ nuces quotidie dantur mane jejunis devorandi decem continuis diebus ante tempus menſtruæ fluxionis. Nuces integræ, priusquam lignoſum induruerit putamen, decerptæ & cum ſaccharo aut melle conditæ ori ac palato gratæ ſunt admodum, præſertim

ſi cinnamomi & caryophyllorum fruſtulis ſint confixæ. Ex vetuſtis ac rancidis exprimitur oleum pro uſu domeſtico & medico. Perveterum nucum nuclei maſticati & impoſiti gangrænis, carbunculis, Ægilopibus & Alopeciis ſunt remedio. Cortex nucleum ambiens, ſeu luteola illa membrana aut tunica proxime nucleum inveſtiens, ſubamara, inſigne arcanum eſt contra colicam, id quod verum eſſe ſanctè atteſtatur FRID. HOFFMANNUS IN CLAVE AD SCHROED. Doſis eſt hujus pulveriſatæ & exſiccatæ, quantum pugillo apprehendi poteſt (aut ℥j. pondere) in vino vel alia aqua carminativa. PLATERUS hanc pelliculam applicat pulſibus & carpis in febribus intermittentibus. Diſſepimentum quoque iſtud ligneum, quod NAUCI vocatur, virtute anticolica gaudere dicitur; Laudatur adverſus calculum vulgi experimento, item contra ulcera renum, partum difficilem, pleuritidem, album mulierum fluxum commendatur. Datur etiam ad ℥j.

Cortex ſeu putamen nucis juglandis exterius viride vi quadam vomitoria dicitur gaudere, habet enim ſaporem adſtringentem Vitriolicum, unde ex hiſce putaminibus viridibus Vitriolum quoddam vegetabile parari poteſt ſequenti modo, quem ETTMULLERUS his verbis deſcribit. Nempe putamina nucum contunduntur & conquaſſantur, quibus affunditur aqua, ut modice ebulliant, hinc exprimatur & filtretur per pannum laneum. Porro ℞. Succi hujus filtrati mens. iij. adde ⊖ comm. mij. & in loco calido evaporetur ad cuticulam, hinc in loco frigido cryſtalli perfectè Vitriolicæ virides, Vitriolum vegetabile dictæ, generantur, blando calore exſiccandæ. Tandem ℞. ⊕li hujus ℔j. Boli rubri ℔ij. deſtillentur gradatim per retortam, & acquiritur acre ac acidum acetum ſeu ſpiritus, mediante quo corpora varia terreſtria & alcalina, corallia, perlæ &c. ſolvi poſſunt. Succus ho-

horum putaminum ob virtutem adſtrictoriam laudatur in affectibus faucium, in inflammatione faucium, uvulæ, tonſillarum, in angina, præſertim à lympha acriore natis. RAMMAZZINI in EPHEM. NAT. CUR. refert, ex nucum viridi cortice parari decoctum expertæ virtutis ad luem veneream perdomandam. Paratur exinde Rob Dianucum. Aqua porro ex his putaminibus deſtillatur. Notum alias, quod inſerviat quoque ſuccus horum putaminum, ad res colore tingendas, capillos rufos vel nigros reddendos.

℞. Nuc. jugland. No. XX. ficuum ping. No. XV. fol. rut. ℥j. Sal. comm. ℈ß. Mell. ℥ij. f. elect. alexipharmacum Schrœderianum.

℞. Nuc. jugland. ℥iiß. ficuum recent. ℥ij. Macerentur prius in Acet. deſt. fol. rut. rec. ʒvj. abſinth. ʒj. fol. card. ben. veron. ana ʒj. rad. Zedoar. oſtrut. dictamn. alb. ana ʒiß. rad. pimpinell. valerian. gent. ana ʒj. Rob. juniperi. ℥ij terræ ſigillat. ʒiij. bol. armen. ʒiiß. Theriac. ℥iß. Sal. junip. angel. ana ʒß. cum s. q. Mellis f. elect. antipeſtilentiale.

℞. Ficuum ping. ℥iv. Nuc. jugland purgat. ℥ij. rut. virid. ℥j. herb. ſcord. card. bened. ana ℥ij. cum acet. & melle f. electuarium theriacale.

℞.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Aqua Nucum juglandium, Nuß-Waſſer/ *Eau de Noix*, quæ deſtillatur ex nucibus immaturis cum putamine. Cenſetur alexipharmaca & antipeſtilentialis, æſtum mitigat, lumbricos pellit, febribus mederi dicitur, laudatur in hydrope, epilepſia, dolore capitis & vertigine. Commendatur multum adverſus calculum. Externe imprimis uſurpatur in gargarismis in affectibus oris uvulæ & faucium. Deprædicatur in ulceribus ſordidis tibiarum &c.

Nuces juglandes conditæ, eingelegte Nüſſen/ *Noix confites.* Caput & ventriculum confortant, appetitum excitant & concoctionem adjuvant, fœtum roborant, in tuſſi atque raucedine conducunt.

Roob Nucum, Diacaryon, Nuß-Säfft/ *Rob de Noix.* Virtute quadantenus adſtringente gaudens commendatur in ulceribus oris & linguæ demulcendis, item in angina & tonſillis tumefactis: Laudatur quoque in deglutiendi difficultate.

Oleum nucum juglandium expreſſum, Nußöhl/ *Huile de noix par expreſſion.* Diſcutit, flatus pellit, & doloribus colicis medetur, tumores abigit, ſcabiem aliaque cutis vitia ſanat, attritis nervis cum calce lota prodeſt, aurium ſibilos tollit, latos lumbricos, ſi bibatur, necat atque exterminat. Uſurpatur in clyſmatibus. A quibusdam ad ambuſta præſertim a pulvere pyrio adhibetur, ubi jubent ut poſt inunctam partem mox applicetur arboris juglandis folium; commendatur in ſuſurro & tinnitu aurium. Inſigne quoque habetur vulnerarium. Mammillarum fiſſuras optime ſanat recens expreſſum & inunctum, inſperſo deſuper ſaccharo, teſtante HOFFMANNO in SCHROED. Nonnulli ad gangrænas carbunculos & Ægilopas adhibent. Ad lucernas & lampadas in re œconomica adhibetur, eo quod ignis funiculo non tam cito conſumatur, quam oleum olivarum: uſurpatur quoque à pictoribus fabrisque lignariis. A quibusdam recipitur in acetaria.

OLEA

℞. Aqu. cort. nuc. virid. ſemperv. maj. anā ℥ij. ⊖arm. ʒß. Rob. Dianuc. ℥ß. Mſc. pro gargariſmate in laxatione uvulæ & angina.

℞. Aqu. ſemperv. prunell. ana ℥ij. Rob. Nucum. ℥ß. Syrup. ſemperv. major. ℥j. Mſc. pro gargariſmate in inflammatione faucium.

℞. Sed. major. rec. m. ij. Cancror. fluv. No. vj. contundantur in mortario lapideo & exprimatur ſuccus, cui addatur Rob Nucum ℥j. Uſurpatur ut antea.

℞. Rad. angelic. zedoar. ana ℥j. petaſit. ℥ij. fol. rut. ℥iv.

melis.

melis. ſcabioſ. flor. calendulæ ana ℥ij. nuc. jugland. immat. conc. ℔ij. pom. citr. rec. concis. ℔j. confundantur omnia ſimul, deinde in acet. deſt. ℔xij. digerantur per diem, deinde deſtillentur igne cinerum lento ad ſiccitatem. Eſt aqua prophylactica contra peſtem & morbos malignos epidemice graſſantes.

℞. Herb. ſcabioſ. veron. Borag. Bugloſſ. acet. rut. calend. Card. bened. ana miiß. roſar. rubr. miiiß. cort. citr. ℥j nuc. jugland. virid. No. XXV. omnia contundantur & deſtillentur in Aquam nucum compoſitam, virtute alexipharmaca & antipeſtilentiali gaudentem.

OLIVÆ.

Sunt fructus Oleæ ſativæ figuræ ovalis aut glandium fere, magnitudine varia, primum virides, poſtea flavicantes, per maturitatem purpuraſcentes, tandem & nigricantes, ſapore valde acri & amaro, aliquid acerbitatis & nauſeoſi admixtum habente, etiam in maturis & mollibus, carne primum dura, maturitate molli ac pingui, oſſiculum lignoſum oblongum utrimque acuminatum & in hoc proportionatum nucleum unicum habente. Qui vero in iis continetur ſuccus pinguis oleum fit dulce; aquoſus, qui amarus, amurca.

Fru-

OLEA Græcis ἐλαία à λεῖον, id eſt læve vel lubricum, deducitur, aut à λειῶ lævigo, lubrico, quod producat id, quod lævigat lubricatque, nempe oleum. VERNICOMA, quia vere maxime ſuas comas ſpargit. Olivenbaum/Oehlbaum/ OLIVIER.

Eſt arbor flore monopetalo veluti infundibuliformi plerumque quadripartito, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ovatum, mollem, ſucci

ſucci plenum, oſſiculo fœtum oblongo, in quo nucleus continetur ejusdem formæ.

Olea fructu maximo. Tourn. I. R. H. cl. 20. S. 2. g. 2. Olivæ maximæ Hiſpanicæ. C. B. Pin. 472. Oliva craſſior circa Hiſpalim naſcens. Clus. Hiſt. 25. OLIVE D'ESPAGNE.

Olea fructu oblongo minori. Tourn. l. c. Olivæ minores & Genuenſes & ex Provincia. C B. P. 472. Oliva minor oblonga, Bot. Monſp. & H. R. Monſp. OLIVE PICHOLINE.

Oliva fructu minore & rotundiore. Tourn. l. c. Olivæ minores rotundiores. C. B. Pin. 472. Olivolæ Cæſalp. 73.

In regionibus ſeptentrionalibus non provenit & ſi colitur in hortis a frigore præſervanda. Provenit in Italia, Hiſpania; Gallo provincia, Narbonenſi &c. floret Junio: Novembri, Decembri, Januario fructus matureſcunt.

IN

Fructus hujus arboris vocantur OLIVÆ, Oliven / OLIVES.

Sunt autem Olivæ vel maturæ vel immaturæ. Immaturæ præſertim condiuntur ſale & muria, quoniam alias ſaporem obtinerent horridum, vocanturque κολυμβάδες, quod in muria natent, vel ἀλμάδες à ſalſugine, qua conditæ ſunt. Adduntur cibis ut condimenta, aut per ſe comeduntur vel cum aliis cibis; recentes gratæ dicuntur eſſe ventriculo, excitant appetitum ventriculum exſiccant & confortant. Humido itaque ſalivanti, vomiturienti nauſeantique ventriculo conducunt. Virtute quoque gaudent diuretica, & inſtar aſparagorum urinas fœtidas reddere perhibentur. Ebrietatem arcere & curare dicuntur. Rancidæ olivæ ventriculum ſubvertunt. De conditura Olivarum CHERLERUS ita diſſerit. Olivas condiendi ſolliciti fuere veteres, quanquam revera nihil aliud ſunt, quam palati blandimenta. Tam ingenioſus fuit venter, ut & amara nec ab ipſa Natura percocta ſuæ quoque

vo-

voluptati placere coegerit. Quid quæſo guſtu horridius Oliva ſive matura ſive immatura: at ſuavitatem invenit ars, quam non potuit natura. Plurimos eas condiendi modos tradiderunt COLUMELLA & PALLADIUS. Nunc dierum unico tantum eoque ſimpliciſſimo modo, muria ex aceto & ſale parata conditæ ad nos adferuntur.

Olivæ quamvis per maturitatem nigræ ſunt, ſapore quoque acri amaro & nauſeoſo; oleum tamen, quod exinde exprimitur, fere pellucidum eſt, nonnihil flavicans, ſapore dulci & grato, unde patet ſaporem hunc & odorem parti aqueæ ſeu amurcæ inhærere.

OLEI OLIVARUM, quod germanice Baumöhl/ Gallice HUILE D'OLIVE dicitur, expreſſio ſequenti modo inſtituitur, uti docet LEMERY.

Colliguntur olivæ maturæ menſe Novembri & Decembri, reponuntur per 10. aut 12. dies, quo aquoſitas quadantenus exſiccetur, & olivæ parum incaleſcant: conquaſſantur hinc in torculari, & fiſcinis junceis includuntur, quarum plures ſibi invicem imponuntur preloque ſubjiciuntur, ſic per ſolam fiſcinarum compreſſionem OLEUM effluit, πρότροπον dictum, primus preli liquor quaſi ſpontaneus. Vocatur hoc oleum, FLOS OLEI, OLEUM VIRGINEUM, Jungfern-Oehl/ Cartzer-oder Garten-Seeröhl / HUILE VIERGE. Quo facto olivæ humectantur aqua calida, ut fluidius reddatur oleum, & fortiſſime exprimuntur, ſic egreditur oleum bonæ notæ, ITERATIVUM aut SECUNDÆ PRESSURÆ OLEUM appellatum. Tertio olivæ hoc modo expreſſæ bene inter ſe commoventur, & magna aquæ calidæ quantitas affunditur. Poſtmodum rurſus prelo torquentur, ut exeat oleum fecibus refertum, quod TERTIATIVUM ſive TERTIÆ PRESSURÆ nuncupatur, habeturque pejus. Oleum ab aqua, cui ſupernatat, facile ſeparatur, ad fundum autem

aquæ præcipitatur fecum copia, quæ AMURCA audit, Germani appellant Oehlhefen / Oehltruſen. Sunt qui hanc amurcam aliis rurſus fiſcinis iisque fortioribus immittunt, fortiusque exprimunt, ſicque adhuc obtinent oleum ſpiſſum, ſed etiam omnium peſſimum.

Quod veteres de OLEO OMPHACINO unzeitiger Olivenöhl / HUILE OMPHACINE, quod ex olivis immaturis exprimatur, differunt, pro Chimæra habet LEMERY, quoniam nullum exinde poteſt obtineri oleum, ſed tantummodo ſuccus viſcoſus. Ii qui oleo conciliare volunt virtutes omphacino aſſignatas, nempe adſtringentes, ventriculum roborantes, gingivas contrahentes, dentes firmantes, ſudores cohibentes, refrigerantes atque ſiccantes, ii ſummitates Rubi, Quercus, Lentiſci, Caprifolii & Roſas rubras incoquunt, ſicque obtinent oleum omphacinum artificiale. Obſervandum autem eſſe dicunt Authores, ne, ſi ſuccus uvæ immaturæ, qui etiam omphacium aut ſuccus omphacinus dicitur, præſcribatur, pro febricitantium cibis condiendis oleum omphacinum ſubſtituatur, vel vice verſa, ſi olei omphacini uſus pro Hypochondrii inunctione deſideretur, ſuccus uvæ immaturæ ſeu de agreſta præbeatur.

Oleum olivarum emollit, lenit, lævigat, acrimoniam omnem contemperat, & venenis præſertim corroſivis reſiſtit, alvum laxat, tormina ventris mitigat, vulnerarium eſt, ariditatem pectoris corrigit, conducit in tuſſi, meatus urinarios laxat, eroſos abſtergit & conſolidat, prodeſt in dyſuria, nephritide & calculo. Cum aqua tepida aſſumptum vomitum movet. In Weſtphalia, ut SCHROEDERUS ſcribit, uſitatiſſimum eſt vulneratis quotidie exhibere oleum olivarum cum cereviſia calida, quo adeo large utuntur, ut quoque ſudor oleum redoleat. Micam panis leniter torrefactam & oleo olivarum largiter irroratam matutino tempore alvum

laxa-

laxare teſtatur BORELLUS. Juxta HOFFMANNUM IN SCHROEDERUM Oleum Olivarum cum aliquot guttulis lixivii ex ſarmentis vitium vel cineribus fabarum propinatum enecat lumbricos. Quædam mulieres ad menſes promovendos & dolorificos mitigandos aſſumunt oleum olivarum, in quo crocus per noctem infuſus fuit. Dn. ANHORN DE HARTWISS in EPHEM. NAT. Cur. aſſerit ſe in pauperibus dyſentericis multum præſtitiſſe oleo olivarum cochleatim propinato, adultioribus cum lacte calente, infantibus per ſe. Juxta pulverem ex radice tormentillæ cum opio, exhibito & diligenter per tri & quadrihoria pro neceſſitate continuato. Convenit quoque hoc oleum ab alto lapſis. Medetur raucedini. Externe quoque multum uſurpatur pro ſcopo vulnerario & inter quatuor Pharmacopœorum Evangeliſtas refertur. Communiſſimum eſt menſtruum in præparatione oleorum per infuſionem & coctionem. Nullum fere unguentum, nullum emplaſtrum eſt, in quo non egregium uſum hoc oleum præſtet. Unguium puncturas ab acu vel ferro mirabiliter ſanat doloremque ſedat: Ventri inunctum eundem laxat & dolores colicos mitigat. In clyſteribus plerumque adhibetur, ubi notandum quod ſemper ſit admiſcendum vitellum ovi, ut oleum cum aqua uniri queat. Fiunt & clyſmata mere oleoſa, quæ ad alvina excrementa emollienda & eliminanda conducunt non tantummodo, ſed & ad dolores in paſſione illiaca enormes tollendos faciunt. Notandum autem merito eſt, quod oleum non debeat calefieri ad flammam ignis aut carbones ardentes, ob metum aduſtionis, ſed ſolummodo ſuper cineres calidos aut ad fornacem. Repetitis autem vicibus ad ℥jv. ℥vj. aut ℥viij. debet injici. Ubi in copia haberi poteſt, adhibetur in balneis contra febrim hecticam, atrophiam nimiam & tabem corporis, in calculo & nephritico dolore, ut laxentur & humectentur viæ, & inde

 pateat

pateat calculo exitus, doloresque ſiſtantur, præprimis cum oleum externe habeat vim anodynam. In forti ſtranguria ſemicupium factum ex oleo olivarum removet dolorem & provocat urinam. Valet quoque ad ambuſta, & frigus arcet. Veteribus uſitatum erat, oleo corpus inungere, quod vigorem & robur ei addere exiſtimabant, & tonum conſervare. Verum hic mos jamdudum obſolevit, nec immerito, partim quod ejusmodi inunctio res ſordida videatur, partim etiam, quod cutis poros obſtruat & tranſpirationem impediat. In regionibus Orientalibus olim capita hoſpitum honoris gratia ungebantur oleo. Pro uſu Medico externo ſæpius expetitur oleum vetuſtum, unde quidam præſcribere ſolent oleum centum annorum. Imprimis quoque oleum multi uſus in cibo. Comeditur enim cum pane imprimis toſto & ſale. Adhibetur in acetariis. Multis in locis præſertim tempore quadrageſimali uſurpatur loco butyri. Notandum autem utique, quod oleum nimio interno abuſu ſtomachum inſigniter dejiciat, eique noceat. CASPARUS HOFFMANNUS butyrum præfert oleo, quod hoc tam facile inclinet verſus alterum extremorum, atque corrumpatur tam in calido, quam frigido ventriculo. Teſtor fidem meam inquit, cum Patavii initio quadrageſimæ ediſſem aliquando piſces frigidos in oleo frixos, ſenſiſſe me per totum decendium ructus nidoroſos. Nimius quoque olei uſus ad hernias diſponit. Multum tamen etiam hic ad conſuetudinem reſpiciendum eſt. Amurca olei laudatur ad rheumatiſmum & malum iſchiadicum. Optimum cenſetur oleum virgineum ſeu primæ preſſuræ, quod coloris omnis & ſaporis maxime expers eſt. Oleum aquæ innatat, nec cum humidis aqueis permiſcetur, nam quamvis ſimul cum illis agitetur, ob levitatem ſuam brevi ſe expedit & ſurſum aſcendit. Ejusmodi autem oleoſa & aquea ſimul agitata, conquaſſata & per mi-

minima mixta colorem album contrahunt & lactis ſpeciem exhibent. Charta oleo madida & rurſus exſiccata aquam non amplius transmittit. Oleum cum tempore rancorem contrahit, manifeſto indicio, ineſſe non tantum particulas oleoſas, ſed & ſalinas & imprimis acidas; quarum ſalinarum partium præſentiam etiam confirmat, quod oculis guttula una immiſſa ſenſibiliſſimas earum tunicas magis fere vellicet, quam ipſe ſuccus citri, uti quilibet in ſe ipſo experiri poteſt. Copioſum autem quod ineſt acidum, uti ETTMULLERUS loquitur, à pinguedine quidem temperatum & correctum, ut guſtu ſe non prodat, nihilominus tamen eſt acidum ſatis potens, adeo ut ſoleat corrodere omnia metalla excepto ſolo auro. Immittat enim aliquis vel Martem vel Venerem vel aliud metallum in hoc oleum & videbit illi adhærentem rubiginem, quæ eſt crocus metalli ab olivarum oleo corrodente. Unde valdopere errant ii, qui gladios aut alia arte ex metallo quodam facta inungunt oleo communi, quippe quod magis præter hoc, quod lubricet, rubiginis author eſt, quam quod eandem arcere valeat. Unde qui ferramenta à rubigine volunt præſervare, melius faciunt, ſi raſuram plumbi oleo infundant: hoc enim abſorbet olei acidum, unde tale oleum ita correctum optimum eſt ad iſta præſervanda. Hoc ipſum, juxta eundem authorem, ſuppeditat fundamentum emplaſtrorum veterum & modernorum, quæ maximam partem ex oleo & plumbo conſtant. Nempe oleum ipſum propter latens acidum & viſcoſiorem conſiſtentiam inimicum eſt vulneribus atque ulceribus, utraque ſordida reddit, ſed dum ipſi permiſcetur plumbum, hoc ab acido arroſum diſponitur, ut facilius aciditatem imbibere queat. Ipſum oleum alcalinum magis magiſque ſubtile & penetrans factum, vi balſamica partibus læſis optime ſuccurrit, & ita talia emplaſtra, qualia ſunt nutritum, album coctum, de minio, de Ly-

 thar-

thargyrio, pluribus ſcopis ſatisfaciunt, indeque creberremi ſunt uſus.

Olearum folia refrigerant, exſiccánt, & adſtringunt,uſus externus & præcipuus in fluxu alvi,menſium, in herpetibus & ſimilibus.

Oleæ materies præcipuæ commendationis eſt apud operarios; à quibus ad præſtantes operas deſideratur cum Ebeno, propter denſam & tractabilem ejus ſubſtantiam, & colorem ſubruffum & varium (quem tamen aqua forti affuſa inducunt) quem ductus & nervi intorti referunt.

℞. Olei olivarum, vini albi generoſi, vel etiam rubri ana partes æquales, coquantur ad ignem ad conſumptionem vini. Eſt *Balſamum Samaritanum* SCHROEDERI; quod inſignis eſt ad vulnera recentia mundificanda & conſolidanda uſus.

℞. Olei olivarum vetuſti ℔j. Vini rubri generoſi & annoſi libr. ij. immitte in ollam vitreatam figulinam, quæ operculo claudatur & apte lutetur, ne quid exhalet, coque igne carbonum, donec duæ partes conſumantur, unaque remaneat, quo facto aperiatur olla & ſervetur oleum in vitro forti bene obturato pro uſu. Si vulnus non fuerit periculoſum, lavetur vino rubro tepido,& deinde applicetur linteum mundum ex viri induſio balſamo prædicto madidum & calidum, quantum patiens poſſit ſuſtinere, parum in vulnus immittendo, ſed tantum in vulneris circuitu quod ſufficiet. Si vero vulnus fuerit periculoſum, illo utendum eſt frigido, ne tam cito uniatur, quoniam animus eſt vulnus tenere apertum, ut expurgetur. Sufficiet curare ſemel cum balſamo & quater vel quinquies cum ſolo linteo mundo & vino rubro, idque tamdiu donec conſolidetur vulnus. Si vero ſanguis difficulter ſiſtatur eo utere calido, itemque in caſu doloris & ſpaſmi. Linteum quod prima vice aufers, ſi e regione vulneris rubro ac vivido ſanguine infectum eſt, æger morietur, ſi purulentum appareat, ſanabitur.

℞.

℞. Olei vetuſtiſſimi ℥iv. Hyper. ℥ij. Terebinthinæ ℥viij. frumenti integri ℥iß. Rad. Card. Bened. Valerian. ana ℥j. Thuris pulv. ℥ij. radices & herbæ craſſo modo contuſæ ponantur in olla infundanturque in vini albi generoſi q. s. ut omnia in vino mergantur per dies 2. hinc adjiciantur oleum & frumentum; coquanturque omnia ad vini conſumptionem. Mox facta forti expreſſione, addatur Terebinthina & Thus, iterum parum ebulliant: ſerventurque in vaſe vitreo. Sanat vulnera etiam nervoſarum partium, ſpatio ut ajunt, viginti quatuor horarum. Abluto prius vulnere vino albo frigido ſtatim inungatur totum vulnus oleo prædicto calente, quod ſi hoc commode fieri nequeat, per ſiphonem intra vulnus tanquam per clyſterem immittitur & confeſtim labra vulneris ad mutuum contactum adducuntur ligatura aut ſutura aut glutine, deinde partes circumſtantes prædicto oleo ſimiliter inunguntur: ſupra vero vulneris labia jam reducta linteum imponitur prædicto oleo madens & ſupra hoc aliud vino rubro expreſſum, mox alia lintea ſicca, deinde faſcia ſuperligatur. Eſt Balſamum vulnerarium Hiſpanicum juxta SCHROEDERUM.

℞. Olei olivarum p. j. Album: ovorum p. iij. conquaſſando diligenter exacte miſceatur ut fiat unguentum album. Hoc juxta Authorem MYNSCHICHTUM præſentiſſimum linimentum nullius fere authoritatis & pretii eſſe videtur, ſed dico vobis, inquit MYNSICHT, quod in tota republica Medica ſecretius & præſentius experimentum ad omnia ambuſta nondum inventum & excogitatum ſit: quia adeo perfecte cito & tuto caloris vim extinguendo, dolorem leniendo & ſiſtendo, omnia aduſtionis ulcera etiam à quavis materia facta, nullo cicatricis veſtigio remanente, ſanat, ut merito inter arcana domeſtica referatur ac poſteritati communicetur. Talis autem utendi & applicandi modus requiritur; patiens multoties in die cum pluma Gallinæ nigræ (nullis ta-

men

men adhibitis linteolis ſeu ligaturis externis) locum affectum, ad ſanitatem perfectam, donec cruſtæ ſponte decidant, continuando inungat. In

IN OFFICINIS PROSTAT.

Oleum Philoſophorum, Ziegelſtein-Oehl. *Huile de Briques ou Philoſophique recifiée.* Penetrat, reſolvit, attenuat, laudatur in affectibus nervorum atque artuum ſic dictis frigidis, tinnitu itidem aurium & ſurditate. STARICIUS refert, quod ſi quis in oleum Philoſophicum intingat & maceret lanam bombacinam vel aliam, exque hac poſtea cum cera vel ſevo faciat candelam, hæc ſemel accenſa neque a pluvia neque a vento extinguatur. Sunt qui oleum hoc interne laudant guttatim aſſumptum ad dolores colicos, paſſionem hyſtericam menſes & fœtum pellendum, ſanguinem congrumatum diſſolvendum, pituitam viſcidam in pulmonibus & bronchiis incidendam, ſabulum & calculum expellendum &c.

FRUCTUS PARTICULIS DULCIBUS VISCOSIS CONSTANTES.

Cinara.

Glycyrrhizæ ſylveſtris.

CINARA.

κύναρα, CYNARA, dicitur vel à cinere quo ſtercorari amat, vel à colore cinericio, vel a Cynara puella in herbam hanc juxta hiſtoriam fabuloſam converſa. σκόλυμος ἀρτυτίκη, SCOLYMUS, ARTICOCA, ARTISCHOCA, Artiſchock. ARTISCAUT.

Eſt planta flore floſculoſo, plurimis ſcilicet floſculis conſtante multifidis, embryoni inſidentibus, & calyce ſquamato ac plerumque aculeato comprehenſis. Embryo autem abit deinde in ſemen pappis inſtructum. His notis addenda eſt totius plantæ facies.

Cinara hortenſis, foliis non aculeatis. C. B. Pin. 383. Carduus ſive Scolymus ſativus non ſpinoſus. I. B. 3. 48. Cinara. Dod. Pempt. 724.

Cinara hortenſis aculeata. C. B. P. 383. Carduus ſive Scolymus I. ſpinoſus. I. B. 3. 48.

Colitur in hortis.

FOENUM

In uſum veniunt capita, ARTICOCA nempe, ut SEBIZIUS loquitur, fructus eſt globoſus, Pini cono initio ſimilis, nimirum ex multis quaſi ſquamis compactus, quæ fructu facto grandiore diſſolvuntur ac ſuperius virent, interius vero ac inferius carnoſæ ſunt & albidæ. Comeduntur ex hoc capite partes duæ, nempe ſquamarum ungues, hoc eſt inferiores albidæ craſſioresque partes & medius diſcus, cui papposum ſemen inſidet. Comeduntur autem vel crudæ cum ſale & pipere, (ARTICHAUTS à LA POIVRADE,) vel quod fit crebrius cum pingui carnium jure aut alio modo decoctæ cum debitis condimentis: habentur inter delicias gulæ, Venerisque irritamenta. Sunt qui etiam medias foliorum ſpinas ſive demptis utrimque folioſis additamentis comedunt. Cibus eſt flatulentus & urinam reddit putidam. Ob ſuccum mitem & dulcem acrimoniam temperantem inter ſemen augentia referuntur hæc capita. Curioſum eſſet, modo etiam verum exiſteret, hunc carduum ſæpe comeſtum facere, ut maſculi concipiantur. Radicem Cinaræ LANGIUS laudat in gonorrhœa virulenta. Succus aut decoctum hujus radicis cimices abigere dicitur.

GLYCYRRHIZA SYLVESTRIS.

Eſt ſemen Glycyrrhizæ ſylveſtris, C. B. Pin. ſemini fœnugræci ſimili, minus, lucidum, cui ſinus inſculptus.

Semen

Foenum Græcum Sylvestre, Wildfänugreck/Wildbocksſhorn.

Eſt ſpecies Aſtragali, nempe

Planta flore papilionaceo, vexillo nempe carina & alis conſtante. Ex calyce autem ſurgit piſtillum vagina obvolutum, quod deinde

abit in ſiliquam bicapſularem, ſeminibus fœtam reniformibus. His notis addenda ſunt folia bina, quaſi conjugata, coſtæ adhærentia, cui ſummæ folium impar innaſcitur.

Aſtragalus luteus perennis procumbens vulgaris ſive ſylveſtris. Moris. Oxon. Part. 2. 107. Glycyrrhiza ſylveſtris floribus luteo palleſcentibus. C. B. Pin. 352. Fœnum græcum ſylveſtre ſive Glycyrrhiza ſylveſtris quibusdam. I. B. 2. 330. Fœnum Græcum ſylveſtre primum. Dod. Pempt. 547.

In montibus inter arbuſta & ſylvis cæduis, in pratorum marginibus umbroſis, atque etiam in pratis apertis Julio floret.

Semen hoc ſiccat, emollit, digerit, diſcutit, viribus ad fœnum græcum accedit.

SEMINA PARTICULIS AQUOSIS ET CRASSIS CUM OLEO CONSTANTIA.

Solani.
Lycoperſici.
Melongenæ.

SOLANUM.

Sunt baccæ Solani officinarum, C. B. Pin. baccis hederaceis pares, per maturitatem plerumque nigræ, interdum flavicantes & rubræ, ſucco prægnantes, in quibus ſemen plurimum minutumque.

In

Bacca Solani vocatur Uva Lupina, Uva Vulpina & Morella, forſan, ut putat Sebizius, propterea, quod lupi & vulpes ea delectentur, & quod non ſecus ac Mora nigra ſint.

Lyco-

In Baccis his acidum ſalis, uti recenſetur a KOENIG, de foliis Solani, magis eſt explicitum adeoque celerius coloreum cæruleum mutant in rubrum. Refrigerant magis, magisque repercutiunt. Equidem, ut SCHWENCKFELDT aſſerit, Ruſtica gens his baccis veſcitur: Nollem tamen earumdem uſum ſuadere. Gaudent virtute anodyna, & ſuccus æque inſervire poteſt ac ſuccus foliorum. Quidam laudant baccas haſce infuſas in Vino ad alvi fluxus & dyſenteriam.

LYCOPERSICUM.

Sunt poma Lycoperſici Galeni, ſeſſilia, torulis ad oppoſitam usque partem canaliculata, lævore eximio, colore vel aureo vel ochreo vel purpuraſcente, vel denique verſicolore, mollia, carnoſa, eſculenta.

De

LYCOPERSICON, quaſi diceres Perſica Lupi. SOLANUM POMIFERUM.

Eſt plantæ genus flore monopetalo, rotato & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, mediæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum mollem, carnoſum, ſubrotundum, in varia loculamenta diviſum ſeminibus fœtum utplurimum planis.

Lycoperſicon Galeni. Ang. 217. Solanum Pomiferum fructu rotundo ſtriato molli. C. B. Pin. 167. Mala aurea odore fœtido, quibusdam Lycoperſicon. I. B. 3. 620. Aurea mala. Dod. Pempt. 455.

Habetur in hortis locisque humidis & ſolo pingui, vel etiam rigatione gaudet. Julio & Auguſto floret. Autumno fructus perficit.

Fructus hujus plantæ vocantur MALA INSANA, POMA AMORIS, POMA AUREA, POMA DE ALTERO MUNDO. Goldäpffel / Liebäpffel / POMMES D'OR, POMMES D'AMOUR.

De uſu horum pomorum ita diſſerit J. BAUHINUS. Italis eſitantur poma cum pipere, ſale & oleo non ſecus atque Cucumeres. Sed eduntur & cocta: aſt quem halat univerſa planta teter ſpiritus parvo emolumento & parum tuto in cibos venire ſatis prodit. Præbent autem corpori alimentum quidem perexiguum & hoc ipſum tamen pravum ac vitioſum, refrigerant enim ſed aliquando minus quam Mandragora. In oleo cocta ad ſcabiem ſunt efficacia. Eadem mala arte Chymica oleum ſubminiſtrant contra partes igne vel alia re candente uſtas curandas percommodum. Hoc oleo temporibus & carpis innuncto ſomnus conciliatur. Quem etiam efficiunt mala in manibus detenta aut pulvinaribus ſubjecta. Laudatur ſuccus ad epiphoram fluxioneſque oculorum, quin etiam eryſipelatis ignibusque ſacris vehementer obluctatur.

MELONGENA.

Sunt fructus Solanorum quorumdam pomiferorum nunc oblongi nunc rotundi, aut oviformes, carnoſi, ſucculenti, coloris diverſi.

De

MELONGENA vocatur etiam MELANZANA, MALA INSANA, Melanzan/ Dollápffel/ MAYENNE.

Eſt plantæ genus flore monopetalo rotato & multifido: ex cujus calyce ſurgit piſtillum, mediæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum carnoſum, in quo veluti nidulantur ſemina, utplurimum reniformia.

Melongena fructu oblongo violaceo. Tourn. I. R. H. cl. 2. S. 7. g. 4. Solanum pomiferum fructu oblongo. C. B. Pin. 167. Mala inſana. Dod. Pempt. 458.

Melongena fructu incurvo. Tourn. l. c. Solanum pomiferum fructu

ctu incurvo. C. B. P. 167. & I. B. 3 619. Melanzana Arabum, Melongena. Lugd App. 23.

Melongena fructu rotundo. Tourn. l. c. Solanum Pomiferum fructu inſtar mali rotundo. C. B. Pin. 617. Solanum pomiferum fructu rotundo. I. B. 3. 618.

Oʏσοβος,

De his fructibus ita diſſerit JOH. BAUHINUS. Helluones interdum hoſce fructus, uti Cucumeres, in acetariis helluantur, majori voluptate quam utilitate; deterior enim ſuccus vel quolibet Pepone aut Cucumere eſt. Sunt ex Italis præſertim, qui horum pomorum eſu Venerem concitari putant, quod forſan ideo præſtant, quod flatus gignant. Frequenter manducati febres generant diuturnas & habitum totius corporis malum.

Interim ſæpius, non obſtantibus timendis malis, ſola voluptatis gratia, ejusmodi comeduntur fercula in ſe ſatis noxia. Bene à ZORNIO ſequentia apponuntur verba: Imo ne ſtercora quidem Brutorum devorare verentur, dummodo ita ſint parata, ut palato ſapiant, quibuscum concordat celeberrimus iſte ſatyricus JUVENALIS dicens: Guſtus elementa per omnia quærunt.

Cæterum & planta & fructus correſpondent cum Solano; ad dolores ſedandos, ad hæmorrhoides cæcas, inflammationes, ambuſta, & carcinomata adhibentur.

SEMINA ET FRUCTUS PARTICULIS CRASSIS AQUOSIS SEU MUCAGINOSIS ABSQUE OLEO SE TAM SUBITO MANIFESTANTE CONSTANTIA.

Ervum.
Lachryma Jobi.
Phaſeolus.
Lentes.
Mungo.
Muſa.
Ochrus.
Panicum.
Piſum.
Seſamum.
Sorghum.
Vicia.

ERVUM SIVE OROBUS.

Sunt ſemina rotunda Ervi veri Cam. dum autem exſiccantur, anguloſa, leguminoſo guſtu, coloris albicantis aut pallidi.

GALE-

Ὄροβος, OROBUS, quod boves eo paſcantur & ſaginentur, vocatur. ERVUM dicitur ab eruendo, carpitur enim & manu vellitur, MOCHUS. Erven/ Orobus/ ERS.

Eſt

Eſt plantæ genus flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam utrinque undulatam, ſeminibus fœtam ſubrotundis. His notis addenda ſunt folia bina, quaſi conjugata, coſtæ innaſcentia.

Species ſequentes in uſum cedunt.

Ervum verum. Cam. Hort. Orobus ſiliquis articulatis ſemine majore. C. B. Pin. 346. Orobus ſive Ervum multis. I. B. 2. 321. Mochus ſive Cicer ſativum. Dod. Pempt. 524.

Ervum ſemine minore. Tourn. I. R. H. cl. 10. S. 2. g. 9. Orobus ſemine minore. C. B. Pin. 346. Orobus Creticus. Lugd. 469.

Seritur in agris. Semen matureſcit Julio & Auguſto.

LACHRYMA

GALENUS aſſerit Orobum escam fuiſſe boum, prius in aqua edulcoratum, homines autem ab eo abſtinuiſſe, quod eſſet cibus ingratiſſimus & mali ſucci. In fame tamen homines neceſſitate coacti ervum non tantummodo comedunt ſed & panes ex ejusdem farina conficiunt. Quem tamen mali ſucci eſſe, & morbum peculiarem, & quidem tantam crucum in Ruſticis, qui hoc pane uſi fuerunt, imbecillitatem induxiſſe, ut absque ſcipionibus non potuerint incedere, obſervavit BINNINGERUS in obſerv. Quod ad uſum Medicum attinet, aperit atque detergit, demulcet ſanguinemque purificat. Virtute gaudet diuretica & calculum expultrice, uti volunt. Ex Orobi farina fiunt fomenta atque cataplasmata ad tumores duros diſcutiendos. Capiti oneroſum eſſe Ervum, & urinam tantopere ciere, ut ſanguis ſubſequatur, alii aſſerunt.

LACHRYMA JOBI.

Sunt grana lævoris politiſſimi, nitida ante maturitatem flaveſcentia, matura ex candido rubeſcentia, duritie lapidea,

Cicer

Cicer æquantia, ſuperiore parte turbinata: unde exit inanium glumarum ſpica mutica.

LACHRYMA ob figuram dicitur, LITHOSPERMUM MAJUS, ARUNDO LITHOSPERMOS, MILIUM ARUNDINACEUM, LACHRYMA CHRISTI. Hyobs/ Jobs-Thränen/ LARME DE JOB.

Eſt planta flore apetalo, plurimis ſcilicet ſtaminibus è calyce ſurgentibus conſtante ſpicato, ſed ſterili: embryones enim in fructibus naſcuntur à floribus ſejuncti, abeuntque in ſemen membrana obvolutum, & in teſta reconditum utplurimum turbinata.

In regionibus orientalibus frequenter colitur.

Semen hoc detergit & aperit; conducit ad affectus urinarios, calculum renum & Veſicæ. Symbolizat cum milio Solis, eodemque modo uſurpatur.

PHASEOLUS.

Sunt ſemina Phaſeoli vulgaris Lob. reniformia vel ovata, ſinum in medio impreſſum habentia, lævore eximio, colore mirum in modum vario, cinereo, eburneo, luteo glauco, rubente, omnibusque his inter ſe mixtis ſtriato, guttato, Phaſeoli vulgo appellati: inveniuntur aut omnino nigri, aut flavi aut purpurei, aut amethyſtini, aut cærulei, aut rubri, aut lateriteritii coloris, vel albi nigris venis aut lituris diſtincti, ac etiam cinerei & carnei coloris, ſimilibus venis inſignes, ſapore viſcido & leguminoſo: includuntur ſiliquis penſilibus palmum & ſeſquipalmum longis, anguſtis, compreſſis craſſis & carnoſis cum teneræ adhuc ſunt edulibus.

Ve-

PHASEOLUS, φασήλος, ab effigie & longitudine ſiliquarum, qui

qui lintrem lembumque naviculam Phaſelum dictum, ut RAJUS loquitur, exprimunt. Δόλιχος, DOLICHUS, σμίλαξ κηπαία & λόβια, SMILAX HORTENSIS, welſche Bohnen / Phaſelen / Steigbohnen / HARICOT, FASEOLE.

Eſt planta flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam longam, ſemine fœtam utplurimum reniformi vel ovato. His notis addenda ſunt folia terna, ſingulis pediculis inſidentia, tum & plantæ habitus.

Ex pluribus Phaſeoli generibus, hic recenſetur tantummodo.

Phaſeolus vulgaris. Lob. Icon. 59. Smilax hortenſis ſive Phaſeolus major. C. B. Pin. 339. Smilax hortenſis. I. B. 2. 255.

Coluntur in cibum, Julio Auguſtoque præſertim fructus matureſcunt.

LENS,

Veſcimur, inquit SEBIZIUS, Dolichorum lobis ſive ſiliquis una cum ſeminibus, æſtivis menſibus, cum adhuc virent, & præſertim quando adhuc tenereſcunt. Sicca ſemina in uſum alimentarem veniunt hyeme, frixa vel elixa. Dant alimentum copioſum & non omnimodo pravum & tutius iis utuntur, qui ſtomacho ſunt valido & multo aſſueti ſunt corporis exercitio Otioſis & delicatulis minime conveniunt. Calefaciunt & humectant, præſertim juniores cum ſiliquis. Cæterum urinam movent & ſemen generant, ſtimulantque Venerem, præſertim ſi addatur Piper. Dicuntur terrifica efficere ſomnia, caput replere, vertiginemque excitare. Culinæ virides thecas ſive ſiliquas à filamentis liberant, deinde in particulas ſecant, tum in aqua elixant, donec molleſcant, hinc in colum conjiciunt, ut aqua percoletur, poſtea ſiliquas diſſectas cum butyro, brodio carnium (quandoque aceto) pipere, ſale, ſatureja, porro ſectili, cepave viridi iterum coquunt. Edulium eſt ſapidum palato gratum, ſubit. etiam menſas nobiliores. Coquuntur quandoque cum lacte, ejusque cremore.

LENTES.

Sunt ſemina Lentis vulgaris, C. B. Pin. circinata, ad oras compreſſa, colore albido, ex luteo pallido, vel ſubnigro, ſeu fuſco, parva valde lævia, quæ cortice dempto in duas partes ſcinduntur, ſapore leguminoſo.

LENS, LENTICULA quod humida ſit atque lenta, vel quod humi hæreat. Rectius judicante SEBIZIO a lenitate nomen habere videtur: Lenis enim eſt ejus ſuperficies, quia lævis & plana. Græcis dicitur φακὸς, φακὴ, quaſi φακάκην, quoniam oculos offendit. Linſen/LENTILLE.

Eſt plantæ genus flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam brevem, ſeminibus fœtam orbiculatis, utrinque convexis, hoc eſt ad centrum craſſioribus quam ad marginem.

Species uſuales ſunt

Lens vulgaris ſemine ſubrufo. C. B. Pin. 346. Lens, I. B. 2. 317. Lens minor. Dod. Pempt. 526.

Lens vulgaris ſemine ex luteo pallido. C. B. Pin. 346.

Lens vulgaris ſemine nigricante. C. B. Pin. 346.

Lens major. C. B. Pin. 346. & I. B. 2. 317. Lens. Dod. Pempt. 526.

Colitur in agris. Verno tempore ſeritur: ſolum tenue magis quam pingue amat.

Hoc

Subſtantia, juxta SEBIZIUM, Lens conſtat gemina, membranoſa, & medullari quæ illius caro & pulpa dicitur. Illa adſtringit, quia multæ auſteræ qualitatis particeps, hæc illius habet exiguum. Illa alimenti eſt pejoris, hæc melioris: Jus primum, in quo lenticula elixa ventrem ſolvit; idque eo magis ſi vel ſale vel oleo vel garo fuerit conditum. Oleum enim emollit & laxat, ſal vero & garum abſtergunt,

&

& ad dejiciendum irritant. Jus lentium bis coctarum juri primo eſt contrarium, alvum enim ſupprimit, ideoque accommodatum iis, qui diarrhœa, dyſenteria & cœliaca laborant, non adſtrictionis ſolum ratione, ſed etiam propterea, quoniam & ſtomachum & inteſtina & ventrem totum corroborat. Lens decorticata magis nutrire dicitur. Cæterum Lens, uti volunt, frequenti Cibo aciem oculorum obtundit, ægre coquitur, ſtomachum afficit, eumque & inteſtina inflat, ſomnia excitat tumultuoſa, capiti nervis & pulmonibus nocet. Menſes remoratur, viſcerum oppilationes inducit, affectus melancholicos producit, imo, uti quidam volunt, elephantiaſin & cancrum atque Epilepſiam cavſatur, Venerem reprimit. Olim lentes placuere Philoſophis, ab aliis vero inter cibos funebres fuere relatæ. Hodiernis temporibus non tantum conſtituunt fercula plebis egenæ, ſed & haud raro eorum, qui opibus abundant. Optandum ut verum eſſet, quod de Lentibus aſſeritur, eas æquanimitatem inducere.

Communius nihil apud vulgus, quam decoctum lentium contra variolas & morbillos, febres petechiales, ob ſignaturam infantibus propinare. ETTMULLERUS cum SEBIZIO aſſerit eſſe meram vanitatem, alii vero mitius judicant, ejusque uſum concedunt. Hoc decoctum quoque delet lentigines aliasque faciei maculas. Farina lentium cum aqua & aceto decocta laudatur in variis tumoribus, ſtrumis, lacte coagulato diſſolvendis.

℞. Lent. m. j. Liquir. ʒij. Sem. fœnic. ʒj. Coqu. in Aqu. fontan. pro potu ordinario in Variolis.

℞. Lentium m. j. Coque in Aqu. fontan. ℔v. unica ebullitione, qua rurſum abjecta & decantata noviter affunde aqu. ℔v. addendo ʒiij. vel ℥ß. Raſur. C. C. ficuum No. ij. vel iij. (aut paſſul. minor. ℥j.) coque ſimul ad lentium crepaturum. Coletur & bibatur.

MUNGO.

Eſt ſemen Coriandro ſimile ab initio vireſcens, per maturitatem nigricans, oblongum atque teres.

Pabulum dicitur eſſe equorum, interdum tamen etiam editur ab hominibus. Guzarate & Decan incolæ in febribus hoc modo utuntur. Febricitans cibo abſtinet per decem nonnunquam per quindecim dies, poſt quos hujus fructus decoctum illi propinatur, in quo nonnihil pulpæ remanſit; deinde cortice delibratum Mungo & inſtar Oryzæ coctum febricitanti exhibetur. Panis vero triticeus non niſi poſt multos dies adminiſtratur.

MUSA.

Eſt fructus Muſæ arboris J. BAUHINI, cucumerem noſtratem æquans, dum juſtam magnitudinem nactus eſt, oblongus & trilaterus quaſi, ſcaphoides, corio craſſiore, tectus, quod facillime in tres partes ſe dividi ſinit, deorſum caulem verſus nutans. Pulpa mollis eſt inſtar butyri, medullam quaſi Cucumeris per mediam longitudinem habens. Boni eſt ſaporis & frequentiſſime comeditur, vel ſolus, vel cum farina Mandiocæ vel coctus & frixus in oleo aut butyro.

Fru-

Hoc vegetabile ita deſcribit ex variis authoribus RAJUS.

Radix eſt craſſa, duas aut tres ſpithamas longa, ambitu rotundo, pluribus fibris intus lignoſis capillata, exterius nigricans, carne intus albicante, quæ ſaporis aquei ſubdulcis & ſubadſtringentis eſt, & inciſa humorem albicantem nonnihil unctuoſum, ſubdulcem, & valde adſtringen-

ſtringentem extillat, brevi in ſubrubrum ſeu Perſicum colorem abeuntem. Ex radice primo erumpunt folia duo aut tria in fiſtulam convoluta, paulo poſt ſe produnt ad quodlibet latus unum, in medio eſt fiſtula foliacea, & ſic ſenſim planta, trium aut quatuor menſium ſpatio, in quinque, ſex ſeptem pedum altitudinem adoleſcit, caudice tibiam humanam craſſo aut paulo craſſiore, ſpongioſo, foliis convolutis ſimili & uno ictu facile diſcindi poteſt, ſuperius octo novem etiam duodecim folia expandit, quodlibet quatuor quinque, interdum octo pedes longum; quatuordecim aut quindecim digitos latum, in utraque extremitate paulo anguſtius. Folia hæc eleganter ſunt viridia, ad tactum lævia & ſolida, inſtar chartæ membranaceæ & eodem modo crepitant, ideo non diu integra manent, ſed a vento agitata dilacerantur ſecundum ductum ſtriarum, & ſtrepitum excitant commota.

Ex ſummitate caudicis ſpongioſi, ſeu è medio foliorum prodit ramus ſeu bracchium, qui primo, cum quaſi ſemipedem longus eſt, tener & pollicem craſſus in extremitate ſua continet corpus turbinatæ figuræ, magnitudine ſtrobili majoris, circa quinque digitos longum, conſtans è foliis latis ellipticæ figuræ, brunei coloris obſcuri, ſtriatis, quibus quaſi pulvis cinereus aſperſus: hæc complicata invicem conſtituunt illud corpus turbinatum: ſingulis autem diebus unum, duo aut tria folia ſe pandunt, ſurſum verſus ſe convolvendo. Subter foliis hiſce expanſis apparent ſex, ſeptem aut octo flores, ordine juxta ſe poſiti, ex albo flaveſcentes, quilibet duos circiter digitos longus, ſcapus autem ſimilis parvæ ſcaphæ, cujus pars, quæ inſidet exortui ſuo ſit prora, altera extremitas puppis, ex qua prominent quinque foliola anguſta, figuram habentia illius inſtrumenti, quo utuntur nautæ in humectandis velis: eminent autem è puppi floris digiti longitudine ex albo flaveſcentia & in ambitu lateritio colore fimbriata: in medio porro eorum ſtamen luteum craſſiuſculum inſidet, figura baculi cum nodo in extremitate. Dimidia autem parte ſcapha ſubtenditur à prora incipiendo; Sub hoc tegmine intus in ſcapha manna ſeu lentus humor continetur, ad tactum frigidus, ſaporis mellei, conſiſtentia & colore ſimilis albumini ovi recentis: in hoc humore ortum ſumunt quinque illa foliola cum ſtamine: delectantur admodum formicæ illo nectare. Flores ſequuntur Fructus, ordine in quibusdam quaſi verticillis, arcte inter ſe poſiti, quilibet brevi pediculo nitens, & oſtentans

tans in umbilico ſuo florem, qui poſtea decidit, fructus autem indies augetur.

Muſa arbor. I. B. 1. 148. Palma humilis longis latisque foliis, C. B. Pin. 507. Pacoeira. Piſon. & Margrav. Bala Hort. Malab.

In omnibus Indiæ Orientalis & Occidentalis provinciis invenitur, nec non in Africa. Unum tantummodo vivit annum & ſemel tantum facit fructum.

OCHRUS,

Fructus hi in deliciis habentur, nec ad ſatietatem comeſtos ullam unquam noxam cuiquam intuliſſe ajunt. LINSCHOTANUS eos guſtu farinam & butyrum dulci mixtione repræſentare ait, ideo panis ac lacticinii loco ſerviunt, ſimplici victu, quo corpus hominis abſque alio cibo facile poſſit ſuſtentari. De viribus ſic ALPINUS diſſerit. Fructus ſubſtantia mollis, lenta, pinguis, dulcis atque apprime ſuavis eam comedere aſſuetis multum nutrit, ſed ſtomachum gravat, difficulter concoquitur, ſuccum generat craſſum ac lentum, quo viſcera obſtruuntur, præſertim hepar. Opitulatur tamen tuſſientibus & ſuſpirioſis ex calore factis. Ejus decocto utiliter utuntur Ægyptii ad tuſſim ex calidiorum humorum deſtillatione genitam, & ad pleuræ atque pulmonum inflammationem, atque ad inflammatos renes & ad urinæ difficultatem: ajunt & commanducatum vel decoctum Venerem incendere. Juxta HORTUM MALABARICUM radix contrita ac epota in lacte vertiginem ſedat; ejus aqua cum ſaccharo mixta proficue bibitur pro ardore renum; quin & eadem aqua ſimpliciter epota pro doloribus ex urina obortis confert, daturque proficue iis, quorum corpus argento vivo infectum eſt. Corculum arboris ſeu medulla albicans, qui fructum fert, tritum & cum melle intus ſumptum malis oculorum convenit, ad quod etiam ſervit bu-

tyrum

tyrum, in quo fructus ſeu fici in fruſta ſecti toſti ſunt, epotum.

Hæc in gratiam Curioſorum ex ſupra allegato RAJO apponere lubuit.

OCHRUS.

Sunt Erviliæ ſylveſtris Dod. ſemina piſiformia; melina, & obſcura quadam flavedine, non exacte rotunda, ſed ex mutuo compreſſu utrinque ſeſſilia, linea quadam albicante media longitudine prædita, magnitudine piſi albi vulgaris, cum quo magna ſimilitudo: idem quoque ſapor.

OCHRUS dicitur ab Ochra ratione coloris.

Ochrus eſt planta flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam utplurimum teretem, cylindraceam, ſeminibus fœtam ſubrotundis. His notis addenda ſunt folia modo ſimplicia, modo conjugata, in claviculas abeuntia.

Ochrus folio integro capreolos emittente, ſemine ſubluteo. C. B. Pin. 343, Lathyri ſpecies, quæ Ervilia ſylveſtris Dodonæi. I. B. 2. 305. Ervilia ſylveſtris. Dod. Pempt. 522.

Provenit inter ſegetes.

Ἔλυμος

Semen hoc virtute gaudet detergente, reſolvente, digerente & ſubadſtringente.

PANICUM.

Sunt grana Panici J. BAUH. Milio numeroſiora & minora, rotundiora, ſplendentia, alba, lutea aut rufeſcentia folliculis quibusdam ſubluteis obvoluta, in ſpicis nunc flavis nunc purpureis aut nigris reperiunda.

Pani-

ἜΛυμος, Μελίνη. PANICUM, juxta PLINIUM, à paniculis, quibus ſemen involvitur nomen accepit. Juxta RAJUM melius derivatur a Panus, cujus diminutivum panicula: ut Panicum & Panicula ejusdem ſint originis. MILIUM AGRESTE, klein oder wilder Hirſch/Fench/Pfenich/Heidelfench. PANIS.

Panicum à Milio eſt diverſum florum & ſeminum ſitu, quæ in ſpicam denſe congeruntur.

Panicum Germanicum, ſive panicula minore flava. C. B. Pin. 27. Panicum vulgare. I. B. 2. 440. Panicum. Dod. Pempt. 507.

Panicum Germanicum, ſive panicula minore alba. C. B. Pin. 27.

Panicum Germanicum, ſive panicula minore, purpurea. C. B. Pin. 27. Panicum puniceum. I. B. 2. 440.

Panicum Italicum ſive panicula majore C. B. Pin. 27. Panicum Indicum villoſum Hiſpanicum. Tabern. Icon. 279.

Seritur in agris in Germania, Gallia, Italia. Solum & terram, qualem Milium, deſiderat, nempe levem ſolutamque arenoſam item & ſabuloſam modo humentem.

PISUM,

Panicum milio ſimile eſt, eodemque modo, ut milium, urgente aliarum frugum penuria in panes ſubigitur. Juxta GALENUM milio eſt præſtantius, ſuavius manditur & promptius concoquitur & plenius alit, & minus alvum cohibet. Vim habet refrigerandi & ſiccandi. Lactis miſtura ſalubritatem & ſuavitatem panico in cibis adfert: Frequens ejus uſus eſt in Campania & Aquitania. Panes Panicei refrigerant aluntque tenuiter. Sunt etiam præaridi ac friabiles, utpote lentoris expertes: Relinquendi Ruſticis, foſſoribus, meſſoribus, & pauperibus.

PISUM.

Sunt fructus Piſi vel hortenſis vel arvenſis, C. B. Pin & quidem Piſa alias majora, alias minora, nunc rotunda, nunc quadrata, aut alias inæquali ſuperficie, interdum alba, flava,

rubra,

rubra, fuſca ſubcœrulea aut vireſcentia, ſaporis leguminoſi & haud ingrati.

PISUM πίσον quidam derivant ab urbe Elidis Piſa, quod copioſe & feliciter ibi creverit. Alii a πτίσσω, quod eſt decortico derivant, quoniam hoc legumen a ſiliqua eſt purgatum. Erbſen/ Erbeyſen/ Erweyſen/ forte, ut SEBIZIUS putat, à nomine Ervilla, quo Piſa inſigniuntur. POIS.

Eſt plantæ genus flore Papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam longam, ſeminibus fœtam ſubrotundis. His notis addendi ſunt caules fiſtuloſi, ut plurimum infirmi, quos ita complectuntur folia, ut ab iis transadigi videantur. Cœtera autem folia bina veluti conjugata coſtæ innaſcuntur in claviculas abeunti.

Plures ſunt ſpecies Piſorum, ſequentes vero ſunt frequentiores.

Piſum arvenſe fructu albo. C. B. Pin 343. Piſa potiſſimum vulgaria, parva, alba ſive arvenſia J. B. 297. Feld-Erbſen.

Piſum arvenſe fructu viridi. C. B. Pin. 343. Piſa parva viridia, J. B 2. 298.

Piſum arvenſe fructu cæruleo. C. B P. 343.

Piſum arvenſe fructu cinereo. C. B. Pin. 343.

Piſum hortenſe majus flore fructuque albo. C. B. Pin. 342. Piſum vulgatius majus. Lob. Icon. 65. Stabel-Erbſen/ groſſe Garten-Erbſen.

Piſum hortenſe majus flore purpureo. C. B. Pin. 342.

Piſum majus quadratum, fructu cinerei coloris. C. B. Pin. 342. Piſum quadratum Plinii. Lob. Icon. 66. datur quoque hujus ſpecies fructu candido & ſubflavo. Römiſche Erbſen/ Stock-Erbſen/ Faſel-Erbſen/ Buſch-Erbſen.

Piſum umbellatum. C. B. Pin. 342. Piſum erectius comoſum. J. B. 2. 299. Piſum proliferum. Tabern. Ic. 495. Träubel-Erbſen.

Piſum cortice eduli. Tourn. J. R. H. cl. X. S 2. g. 4. Piſa ſine cortice duriore. C. B. Pin. 343. Piſa Leptoloba, quæ ſimul cum folliculis comeduntur; Camer. Hort. Piſa ſine tunicis durioribus in ſiliqua magna alba. J. B. 2. 300. Dünnſchälige Erbſen/ Zucker-Schoten/ Schiffen. POIS GOULUS.

Coluntur in agris & hortis, florent ſub finem veris & fructus æſtate maturescunt.

Hoc

De uſu Piſorum ita diſſerit SEBIZIUS. In culinis apud nos uſitata Piſorum ſunt duo genera, hortenſe & arvenſe: Hortenſe ſcandit in altum, pedamentis ſive perticis fultum. Niſi enim hiſce ſervetur erectum, fructum profert exiguum, & ſerius. Apricis gaudet locis: frigoris eſt impatiens. Deſiderat cœlum ſiccum & ſerenum. Floret menſibus Junio & Julio, & ſubinde etiam grana ſua profert in ſiliquis cylindri formam repræſentantibus numero 8. 9. & 10. eaque rotunda colore alba, ſubinde viridia aut ex viridi flaveſcentia. Viſuntur & rufa. Flos illi candidus nonnunquam ex purpura obſcurus. Arvenſe ſeu campeſtre humi ſpargitur, fructumque fert nullis adminiculis innixum. Flos illi candidus aut dilute roſei coloris. Grana ſunt alba, viridia, ex luteo virentia, cinerea, cœrulea.

Habuerunt Piſa etiam priſcis ſeculis gratiam in re eſcaria ſingularem. Subeunt epulas lautiſſimas & valde opiparas. Mandunt illa Magnates, quia præparantur à coquis vario & multiplici ingenio. Offeruntur ex illis juſcula, exhibentur pultes & quidem vel ex piſis integris, vel delibratis & per ſetaceum trajectis. Incoquitur lardum caroque ſuilla. Adduntur Lucanicæ. Condiuntur variis rebus & admiſcentur ferculis aliis. Viridia quoque Piſa cum vel ſine ſiliquis coquuntur, & quidem cum adhuc ſunt tenera. Nam quando adoleverunt, duriora & ingratiora evadunt. Exiccata mediocriter frigida & ſicca videntur. Abunde nutriunt. Tota ſubſtantia fabis ſimilia creduntur. In eo tamen ab illis differunt, quod non æque ac fabæ ſint flatulenta. Deinde quod abſtergendi facultate careant, Quæ cauſa eſt, quod etiam ſegnius

quam

quam fabæ per alvum exeant. Id quod illi obſervare debent, qui abſterſionis gratia piſorum juscula panis & butyri expertia aliquot horis ab aſſumptione purgantium medicamentorum propinant. Cum enim piſa deterſoria virtute ſint privata, quomodo abſtergere poſſunt? Hujus finis gratia veteres quidem juscula offerri ægris voluerunt, at non ex piſorum ſed cicerum decocto parata. Quod ſi tamen conſuetudini inhærere placeat, conſultum videtur, ut modicum ſalis Piſorum decocto admiſceatur. Hujus enim cauſa piſorum jus & abſterget & naturam ad ulteriorem purgationem ob mordacitatem incitabit.

De uſu Piſorum ita canunt Salernitani:

Piſum laudandum nunc ſumpſimus ac reprobandum;
Eſt inflativum cum pellibus atque nocivum
Pellibus ablatis ſunt bona Piſa ſatis.

Celebratur a quibusdam jus Piſorum, ut rurſus Sebizius diſſerit, ad movenda purgamenta puerperii, ciendam urinam, movendos menſes, aperiendas oppilationes viſcerum, laxandamque alvum, ſi incoquantur radices petroſelini, rosmarinus, macis: Verum hæ virtutes potius ciceribus tribuendæ ſunt quam piſis. Et ſi maxime etiam piſorum brodio tribuantur, eas non tam piſis quam admixtis diureticis incidentibus & attenuantibus acceptas eſſe ferendas, ſciendum.

Piſa vitanda ſunt melancholicis, & iis, qui craſſis abundant ſuccis, quibus viſcera & renes facile obſtruuntur, quique debiliori delicatiorique ſtomacho ſunt gravati.

SESAMUM.

Sunt ſemina Seſami J. B. oblonga aut ovata, albicantia, medulloſa, oleoſa, dulcia.

SESAMUM græce dicitur σήσαμον, σησάμη. SESAMA, SISAMUM, SEMPSEN, Seſamen / SESAME, JUGOLINE.

A TOURNEFORTIO refertur ad Digitalem. Eſt enim Digitalis Orientalis Seſamum dicta. Tourn. J. R. H. cl. 3. S 3. g. 2. Seſamum. J. B. 2. 896. & Dod. Pempt. 531.

In Germania non provenit; ſed ſemina hæc ex Alexandria, Creta & Sicilia adferuntur.

SORGHUM

Ægyptiis tum in cibo tum in medicamentis uſitatiſſimum eſt, quod cum reliquis frugibus, poſtquam arentes campos ſcatebris ſuis temperavit Nilus, celeri proventu ſurgens, ſiliqua minime fallaci cultorem ſuum locupletet.

PROSPER ALPINUS de PLANTIS ÆGYPTIACIS ita de Seſami virtutibus diſſerit: Plantæ decocto utuntur in fotu ad ophthalmias, ad tuſſes anhelitusque difficultatem, pleuritidem, peripneumoniam & tumores duros ſcirrhoſos. Mulieres inſeſſiones pro uteri duritie faciunt & utuntur ad capitis furfures livoresque faciei, planta & ſeminibus coctis cum melle, ad exſiccatos nervos, ad combuſtas partes, ad calidas inflammationes. Decocto in clyſteribus ad colicos dolores & ad emolliendam alvum, ad movendas menſtruas purgationes.

Exprimitur ex ſemine OLEUM Seſaminum, quod ut & fecem ejus bibere ut pingueſcant, mulieres in balneis frequentiſſimum familiariſſimum habent. Oleo etiam ad multa alia Ægyptii uti conſueverunt, videlicet ad cutis puſtulas, aſperitatem atque omnem defœdationem ex humore melancholico, tum epoto tum in cibis frequentato, vel ipſis affectis partibus munitis. Secretum apud quosdam ad cutis pruritus, ejus quatuor uncias multis diebus bibendas exhiberi, ad anhelitus difficultatem, pleuritidem deſperatam, peripneumoniam,

moniam, ad movendos menſes atque ad vehementes ſtomachi, inteſtinorum uterique dolorum cruciatus demulcendos intus & extra.

SORGHUM.

Sunt grana Sorghi J. B. Lentibus æqualia, compreſſa, nonnihil oblonga, nunc alba, nunc fuſca & quandoque nigra, ſaporis farinacei.

Sorghum dicitur forſan à ſurgendo: quoniam ſurgit in altum; à Plinio vocatur Milium Indicum, quia ex India in Italiam invectum. Melica nuncupatur à Meline. Saginam quidam nominant à ſaginando, quia utplurimum gallinacei generis & columbarum ſaginæ inſervit. Appellatur etiam Milium Arundinaceum, Panicum Loculare à multitudine loculorum, quibus ſemen continetur. Sorghi quoque audit. Welſcher oder Indianiſcher Hirſch / Sorg / Ble Barbu, Sorghi, Sorgho. [illegible]

Pertinet ad Milium.

Milium arundinaceum ſubrotundo ſemine Sorgo nominatum. C.B Pin. 26. Melica ſive Sorghum. Dod. Pempt. 508.

Milium arundinaceum ſubrotundo ſemine nigricante, Sorgo nominatum. C. B. Pin. 26. Sorghi. J. B. 2. 447.

Milium arundinaceum ſubrotundo ſemine albo, Sorgo nominatum. C. B. Pin. 26.

Milium arundinaceum plano alboque ſemine. C. B Pin. 26. Sorghi album, Milium Indicum, Dora. J. B. 2. 448.

Gignitur in Italia, Hiſpania & aliis calidioribus regionibus. Solum amat pingue & humidum. Ex æſtivis ſementibus eſt. Autumno matureſcit.

Blaιον;

De uſu Sorghi ita J. BAUHINUS diſſerit: Semen Panico ſapore & tempetamento ſimile eſt. Legitur a ruſticis,

molitur in farinam cogiturque ſubinde in panes ſed friabiles & parum alimenti ſubminiſtrantes. Hetruria tamen potius ad columbarum gallinarumque ſaginam ſerit, quam ad hominum alimentum. Ex hujus Milii Indici culmorum medulla fit medicamentum ad ſtrumas præſtantiſſimum hoc modo. Ex decem culmorum hujus internodiis extrahitur medulla, quæ cum ſpongia nova integra rubenteque comburitur. Hæc in pulverem teruntur additis Piperis nigri granis duodecim. Huic pulveri admiſcetur triticeæ farinæ uncia. Deinde omnia ovo recente excepta in placentam conformantur, quæ ſub ferventibus cineribus coquitur; & in ſex partes dividitur, quæ Luna decreſcente alternis diebus ſtrumoſo, dormitum ituro, edendæ præbentur, nullo addito potu. Idem altera & tertia Luna repetitur. MATTHIOLUS aſſerit flores, qui ex rubris hujus Milii Indici paniculis excutiuntur, drachmæ pondere, ex rubro vino hauſtos, rubra fœminarum profluvia ſiſtere, quemadmodum albos flores ex paniculis albis exceptos, albos uteri fluores cohibere. Idem dari utiliter dyſentericis & aliis fluxionibus alvi affectis. Idem quoque præſtare granorum putamen ovi vitello probe decocta exceptum & à jejunis decoratum.

VICIA.

Sunt ſemina Viciæ vulgaris ſativæ J. B. piſis arvenſibus paria, nigricantia aut maculoſa, aut alba, compreſſa, saporis leguminoſi amaricantis.

Caloris

Βίκιον, VICIA, à quibusdam à vinciendo derivatur, quod capreolos habeat, quibus ſcandit & alias plantas vincit. Wicken/ Groß-Wicken/ Zahm-Wicken/ VESSE.

Eſt

Eſt plantæ genus flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam, ſeminibus fœtam ſubrotundis aut angulatis. His addenda ſunt folia bina, quaſi conjugata, coſtæ innaſcentia in claviculas abeunti.

Vicia ſativa vulgaris ſemine nigro. C. B. 344. Vicia vulgaris ſativa J. B. 2. 310. Vicia. Camer. Epit. 320.

Vicia ſativa vulgaris ſemine cinereo. C. B. Pin. 344.

Vicia ſativa alba. C. B. Pin. 344. Vicia albo ſemine. J. B. 2. 311. Ervum candidum vel faba veterum. Trag. 626.

Seritur in arvis, floret Junio. Semina matureſcunt Julio & Augusto.

Hanc

Caloris eſt moderati, dicente SEBIZIO, validius autem ſiccat & adſtringit ut lenticula. Pabulum eſt non hominum ſed pecudum, niſi premat annonæ caritas. Quo in caſu eſitantur ſemina, eo modo quo fabæ atque cicera; Sed edulium eſt inſuave, concoctioni rebelle, alvumque inhibet, craſſum præterea chylum producit. A quibusdam dicitur lactis copiam proferre. Columbarum gratum eſt pabulum. Gallinæ non facile hoc ſemine veſcuntur. Anates vero ſi comedant mori perhibentur.

FRUCTUS ET SEMINA MUCAGINE VOLATILI PRÆDITA.

Belladonna.
Paris.
Strammoneum.

BELLA-

BELLADONNA.

Sunt Baccæ Solani furioſi, per maturitatem colore nitentes nigerrimo, Ceraſi Uvæque acini magnitudine, quæ ſucco aquoſo, ad vinoſum ſaporem accedente, purpureo turgent.

Hanc plantam Itali ita nominarunt, quod ea mulieres utantur ad ſucum. BELLADONNA, PULCHRA MULIER, SOLANUM MANICUM, SOLANUM FURIOSUM. Doll-Wurtz / Doll-Kraut / Doll-Kirſchen / Schlaf-Beeren / Wald-Nachtſchatten / groſſe dolle Nachtſchatten / Teuffels-Beer. BELLE-DAME.

Eſt plantæ genus flore monopetalo, campaniformi & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum veluti globoſum, mollem, ſepto intermedio in duo loculamenta diviſum, & ſeminibus fœtum placentæ affixis.

Belladonna majoribus foliis & floribus. Tourn. J. R. H. cl. I. S. I. g 2. Solanum manicum multis ſive Belladonna. J. B. 3. 611. Solanum μελανοκέρασος. C. B. P. 166.

In montibus & ſylvis denſis earumque receſſibus reperitur. Amat loca ſterilia, uliginoſa, limoſa, floret Majo & ſqq. Julio & Auguſto baccas obtinet maturas.

STRAMO-

Interne uſurpari nunquam debent, imprimis ejus baccæ. Fructus enim hi comeſti ſoporem inferunt non tantummodo, & nervos conſopiunt, ſed & veternum, tremorem convulſiones & inſaniam inducunt aliaque cauſantur ſymptomata. In cura læſorum ab his fructibus vomitoria optima ſunt pro aſſumptis exturbandis. Hæc excipiunt purgantia, alexipharmaca. Theriaca &c. Imprimis etiam hic conducit Vinum, atque acetum. Ex ſucco harum baccarum pictores præparant colorem viridem.

Exterius

Exterius folia demulcent & reſolvunt. Applicantur hæmorrhoidibus & cancro, gangrænæ, ulceribus carcinomatoſis.

PARIS.

Eſt baccula quadrangula, interdum pentagona, atropurpurea, uvæ fere ſimilis, ſaporis quadantenus vinoſi, odoris viroſi & ingrati.

Partibus ſcatent Baccæ Paridis anodynis, temperantibus, reſolventibus. Commendantur contra venena, dicuntur reſiſtere peſti, aliisque morbis malignis. Specifice laudantur contra nucem vomicam. Prædicantur etiam adverſus epilepſiam & oculorum affectus, faciunt contra venena imprimis arſenicum. Convenire quoque dicuntur Maniacis; item in morbis per incantationem inductis. Externe iisdem gaudent virtutibus ac folia. Doſis ad ʒß. ad ʒj.

STRAMONIUM.

Sunt ſemina reniformia magnitudine Lentis, extûs nigricantia (aut cinerea) intus albicantia & medulloſa, ſaporis ingrati atque amari.

Semen

STRAMONIUM, STRAMONIA, STRAMMONEA, Stech- oder Dorn-Aepffel/ Rauch-Aepffel/ DATURA, TATURA, HYOSCYAMUS PERUVIANUS. POMME DE PEROU, POMME EPINEUSE.

Eſt planta flore monopetalo infundibuliformi & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum plerumque ſubrotundum, & aculeis ſæpe donatum, in quaterna loculamenta diviſum ſepto cruciformi, qua-

tuor placentis inſtructo, quibus adhærescunt plurima ſemina ſæpe ſæpius reniformia. Stramonei ſpecies, quo tempore flore fructuque carent, dignoſci ſolent, foliis amplis, angulatis, fœtidis, obſcure virentibus.

Stramonium fructu ſpinoſo rotundo, flore albo ſimplici. Tourn. I. R. H. cl. 2. S. 1. g. 5. Solanum pomo ſpinoſo rotundo longo flore. C. B. Pin. 168. Stramonia multis dicta ſive pomum ſpinoſum. I. B. 3. 624. Stramonia. Dod. Pempt. 460.

Stramonium fructu ſpinoſo oblongo flore albo. Tourn. l. c. Solanum fœtidum pomo ſpinoſo oblongo flore albo. C. B. Pin. 168. Stramonia altera major ſive Tatura quibusdam. I. B. 3. 624. Solanum Manicum Dioſcoridis. Col. Phytob. 47.

Apud nos colitur in hortis, florens Julio & Auguſto.

Semen hujus plantæ in pulverem redactum & in potu, exhibitum mentem turbat & alienat, inſaniam quandam 24. horas durantem inducens: unde a furibus inditur in cibos eorum, quos deprædari volunt referente GARETO. ACOSTA autem impudicas mulieres illud ℨß. pondere amaſiis ſuis ex vino aut alia, quæ magis arridet, materia, præbere ait. Miſer qui eum haurit, diu velut mente alienatus remanet, aut ridens, aut ejulans, aut dormiens, plerumque etiam alteri colloquens & reſpondens, ut interdum ſana etiam mente eſſe credas, tametſi mentis non ſit compos, neque eum agnoſcat, cum quo ſermones confert, & colloquii habiti plane ſit immemor, poſtquam ad ſe redit. Sunt vero nonnullæ adeo exercitatæ in hoc medicamento exhibendo, idque ſic temperare norunt, ut ad certas easque quot velint horas, quibus id propinant mentem adimant. Nonnulli tamen ad provocandas urinas ex Medicis gentilibus uruntur. Horum prima cura eſt medicamenta vomitum cientia exhibere, deinde clyſteres injicere, fortesque ligaturas & fricationes bracchiis

cruribusque adhibere , interdum etiam cucurbitulas applicare; quæ ſi non juvant venam ſecare in majore pedis articulo neceſſe eſt. Gentiles vero Medici & Chriſtiani indigenæ, cum à cucurbitulis & venæſectione abhorreant , nihil aliud quam vomitum provocant , forteſque ligaturas & frictiones adhibent. Quæ ſi non ſufficiant, balnea ex aqua calida aut pediluvia, præſcribunt ad eliciendum ſudorem, porro a vomitu vinum propinant, cui piper & cinnamomum admiſcetur. Sunt qui ſuadent usum aceti.

Exterius herba eſt emolliens, anodyna, atque reſolvens, conducit in ambuſtis inflammationibus & ulceribus carcinomatoſis. Cum succo & adipe paratur unguentum ad hæmorrhoidum dolores. Semina per noctem in aceto macerata deinde exacte trita utiliter illinuntur herpeti miliari & eryſipelati ſerpenti.

FRUCTUS ET SEMINA TERREIS CONSTANTIA.

Acetoſæ.
Arbuti.
Lilac.
Myrtilli.
Pyri ſylveſtris.
Siliquaſtri.
Sorbi Sylveſtris.
Tribuli aquatici.
Corni.
Liguſtri.
Loti arboris.
Mali Sylveſtris.
Rubi.
Sorbi.
Sorbi torminalis.
Viburni.

SEMEN ACETOSÆ.

Semen hoc laudatur màxime in diarrhœis atque dyſenteriis, hæmoptyſi, mictu cruento, imo in ipſis febribus ardentibus atque malignis; ubi alvi fluxus eſt conjunctus.

FRUCTUS CORNI.

Sunt fructus Cornus ſive Corni oblongi ad olivam accedentes graciliores, primum virides, poſtea rubri ſanguinei manus purpura rutila inficientes, forma ſua ad Jujubas accedentes, guſtu primum acerbo; at ubi maturatione remolliti fuerint, acido dulci & ſuavi cum quadam tamen adſtrictione, oſſa continentes oblonga, teretia, qualia fere in olivis, duriſſima, in quorum anguſtis cavitatibus latitant exigui nuclei, ſubdulces graciles, quique vix integri eximi queunt.

Fructus

CORNUS quoniam & lignum & nuclei inſtar cornu duritiem obtinent. κράνεια vel κρανία. Cornelbaum/ Welſch Kirſchenbaum/ Thierleinbaum/ Hornkirſchenbaum. CORNOUILLER, CORNIER.

Eſt arbor flore roſaceo plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, cujus calyx deinde abit in fructum Olivæ formem, vel globoſum, mollem, carnoſum, oſſiculum condentem in duo loculamenta diviſum, nucleis fœta.

Species uſuales ſunt,

Cornus hortenſis mas. C. B. Pin. 447. Cornus ſativa ſeu domeſtica. I. B. 1. 210. Cornus. Clus. Hiſt 12.

Cornus hortenſis mas fructu ceræ colore. C. B. P. 447.

Cornus hortenſis mas fructu albo. C. B. P. 447.

Cornus

Cornus hortenſis mas fructu ſaturatius rubente cum oſſiculo craſſiore & breviore. C.B Pin. 447.

Cornus frequens in dumetis inſtar aliarum ſylveſtrium provenit; colitur tamen etiam multum in hortis, cultura namque in elegantem arborem evadit. Floret Februario, ſqq. menſibus, fructus Auguſto & Septembri matureſcunt.

Fructus hi, qui vocantur CORNA, Cornel-Kirſchen/ welſch Kirſchen/ Kirbeeren/ Horn-Kirſchen/ Herlitzen/ Dierlein/ Corlen/ Cornellen/ CORNOUILLE, CORNE. Inſtar aluminis colorem cæruleum mutant in rubrum, adeo ut, loquente KOENIG, ei cum ſale aluminoſo maxima ſit affinitas. Comeduntur Corna cruda vel per ſe, vel cum ſaccharo; refrigerant, ſiccant & adſtringunt, unde commendantur in alvi fluxibus, diarrhœa, dyſenteria, fluxibusque ſanguinis aliis. Quidam ſaccharo ea condiunt; alii vero Corna immatura muria conſervant. Curioſum eſt, quod dicunt, homines ab animalibus rabidis demorſos ſtatim in furorem adigi, ſi ſub Corno ambulent, aut ramum Corni in manu detineant.

IN OFFICINIS EXTAT.

Rob Cornorum, welſch Kirſchenſafft/ *Rob de Corne*, ou *Cornouille*. Laudatur in alvi fluxibus.

ARBUTUS

FRUCTUS ARBUTI.

Sunt fructus Arbuti Matthioli, fragis ſimiles, ſed multo majores, exacte rotundi, aceroſi, ante maturitatem lutei, maturi autem rubentes, ſapore non omnino ingrato & dulci, paululum tamen auſtero præditi.

ARBUTUS Græcis vocatur κόμαρος, COMARUS, Erdbeerbaum/ ARBOUSIER.

Eſt arbor flore monopetalo campaniformi globoſo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſubrotundum, carnoſum, in quinque loculamenta diviſum ſeminibusque fœtum placentæ affixis.

Arbutus folio ſerrato, C. B. Pin. 460. Arbutus, Comarus Theophraſti. I. B. 1, 83. Arbutus. Dod. Pempt. 804.

In Siciliæ, Italiæ & Galliæ Narbonenſis ſylvis & dumetis paſſim & copioſe provenit: quin & annotante RAJO in Hiberniæ Occidentali parte reperitur ſpontanea. Semper vel floribus vel fructibus onuſta videtur.

LILAC

Fructus ejus μεμαίκυλον, μεμήκυλον, μιμαίκυλον, MEMÆCYLUM, COMARUM, ARBUTUM vocatur. Audit quoque UNEDO, quod ob noxium & inutilem ejus uſum, unum tantum comediſſe oporteat. Dicitur ventriculo eſſe incommodus & capitis dolorem inducere. Mihi ſane (inquit JOH. BAUHINUS) quoties comedi dolorem cauſarunt ventriculi hi fructus. At CLUSIUS ſe multos ſemel ſine noxa ediſſe ait.

Folia atque cortex ut & fructus Arbuti virtute gaudent adſtringente. Poſſunt adhiberi ad fluxus alvinos; item in gargariſmatibus. AMATUS refert ex foliis & floribus deſtillari aquam, ſacratiſſimum adverſus peſtem & venena antidotum.

BACCÆ LIGUSTRI.

Sunt Baccæ Liguſtri Germanici, C. B. Pin. racematim aggeſtæ, hederæ baccis minores, læviores ac nigriores, Junipe-

perinis æquales, initio virentes per maturitatem nigricantes, continentes quaterna grana hinc gibba, inde compreſſa, cortice ſpadiceo, carne ex albida, ſapore amaro ac injucundo, quamvis aliquid dulcedinis habere quibusdam videantur.

Baccas has, licet non multum in uſum trahantur, easdem obtinere vires ac flores & folia nullum videtur dubium. Alias juxta J. BAUH. acinis Liguſtri maturis quidam rubello vino nigrum inducunt colorem, & ut craſſius evadat efficiunt, quo magis ſit vendibile. Solent etiam illi acini tam nigrum quam Venetum colorem præſtare, quo nomine ab his, qui chartas luſorias, aliasve picturas coloribus variis illuminant, leguntur. Atramentum ex his baccis in aqua decoctis confici poteſt, ſed pictura in cæruleum quadantenus ſpectat. Hæ baccæ urinam reddunt nigricantem.

SEMEN LILAC AUT SYRINGÆ.

Sunt Lilac Matthiol. ſemina compreſſa tenuia marginata.

Se-

LILAC eſt nomen Arabicum. Sunt tamen qui a Lilio derivant à ſimilitudine quadam floris. Vocatur etiam SYRINGA, quoniam fiſtulæ ex ramis fiunt. CAUDA VULPINA quoque audit à ſimilitudine racemorum floris. Syringe / Spaniſcher Syringe-Baum / Spanniſcher Pfeiffenbaum / Fuchsſchwantz / LILAC QUÉE DE RENARD.

Eſt plantæ genus flore monopetalo infundibuliformi plerumque quadripartito, ex cujus calyce ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum compreſſum, linguiformem in duas partes hiantem, ſepto medio in duo loculamenta diviſum, ſeminibus fœtum compreſſis & marginatis,

Lilac,

Lilac. Matthiol. 1237. Syringa cærulea, C. B. Pin. 398. Syringa flore cæruleo ſive Lilac. I. B. 1. 1. 204.

&

Lilac flore albo Tourn. I. R. H. cl. 20. S. 4. g. 1. Syringa flore quaſi argenteo. C. B. Pin. 398.

Colitur in hortis Syringa, floret Aprili & Majo.

MYRTILLUS

Semen hoc ſive in ſubſtantia aſſumptum, ſive in infuſo, gaudet virtute adſtringente. Sal volatile ineſſe floribus declarat odor.

FRUCTUS LOTI ARBORIS.

Sunt baccæ Loti arboris Lob: ſubnigræ Ceraſo ſylveſtri ſimiles, minores tamen, pulpam paucam albam continentes, cum dulcedine adſtringentes, gratæ; oſſiculum ad fructus proportionem habentes, ita ſiccæ, ut vix ea quis ſatiari poſſit.

BACCÆ hæ à quibusdam vocantur FABÆ GRÆCÆ, ab aliis FABÆ SYRIACÆ, Zürgelnuß. MIRCOCOULES. Sunt qui putant has baccas eſſe iſtos fructus ob quod incolæ Lybiæ, inſulæ Pharis &c. Lotophagi vocati fuerunt, & quorum dulcedine Ulyſſis ſocii capti fuerunt. Sed dubitat hac de re RAJUS, dicens. Quæ enim gratia eſſe potuit tam ſicci & exſucci pomi, niſi forte in iis regionibus carnoſior atque etiam ſuavior quam in noſtris ſit. Virtute gaudent adſtringente & roborante, unde in alvi fluxibus conducunt, ut & in hæmorrhagiis. Quidam eas baccas ſaccharo condiunt ad eumdem ſcopum. Immaturæ adhuc magis adſtringunt. Vinum quoque ex illis exprimitur muſto ſimile, quod tamen ultra denos dies non durare narratur.

BACCÆ

BACCÆ MYRTILLI.

Sunt Baccæ Myrtilli officinarum ſingulares, Juniperinis fere pares, per maturitatem violaceæ potius quam nigræ, umbilicatæ, ſapore grato & acido primulum deguſtatæ, quæ tamen paulo poſt neſcio quid nauſeabundi in ore relinquunt, purpureo violacea ſatisque pertinaci tinctura, cui grana immerguntur multa, parva, rubentia.

MYRTILLUS vocatur etiam VITIS IDÆA, VITIS IDÆA NIGRA, Heidelbeerſtrauch/ Heidelſtaud/ AIRELLE, MYRTILLE.

Eſt frutex flore monopetalo, campaniformi, globoſo, è cujus calyce ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, calyx autem abit deinde in fructum mollem, ſeu baccam umbilicatam, ſucci plenam, ſeminibusque fœtam plerumque exiguis.

Vitis Idæa foliis oblongis crenatis, fructu nigricante. C. B. Pin. 470. Vitis Idæa anguloſa. I. B. 1. 520. Vitis Idæa ſive Myrtillus. 1. Tab. Icon. 1078.

Occurrit paſſim in ſylvis, montibus, uliginoſis & tenebroſis vallibus, aliisque locis incultis, etiam macro ſterilique ſolo. Floret Majo, fructus Julio matureſcunt.

IN

BACCÆ MYRTILLI vocantur etiam VACCINIA NIGRA, Heydelbeeren/ Städelbeeren/ Bickbeer oder Pickelbeer/ BAYES DE MIRTILLE.

De uſu harum baccarum ita SEBIZIUS differit. Cum manifeſta adſtrictione reſiccant. Conveniunt ventriculo æſtuanti: ſitim & ardentium febrium calores mitigant: alvum reprimunt; vomitum ſiſtunt: dyſenteriam bilioſam curant: adverſus choleram morbum proſunt. Offendunt autem ſtomachum frigidum & debilem crudæ devoratæ: & tantum abeſt, ut alvum adſtringant, aut fluentem arceant, ut eam

etiam ſua frigiditate ac cruditate perturbent. Ideoque ad hoſce pellendos affectus ſalubrior eſt Syrupus & Rob Myrtillorum. Rob conficitur ex ſucco eo usque cocto donec craſſeſcat, additurque mel, vel ſaccharum, & ad uſum aſſervatur. LUDOVICI timet, ne copioſius aſſumpti fructus etiam exſiccati fermentationem in fluxibus alvinis & periculoſas denuo excitent diarrhoeas, propter ſuccum exſiccatione quidem condenſatum, ſed in corpore humano denuo reſolutum. Videtur autem hic metus eſſe ſuperfluus, præſertim ſi in uſu non excedatur. Paupercula plebs, annotante SCHWENCKFELDT, ex baccis pultes cum farina coquit, non omnino ingratas. Myrtillorum eſu ſcorbutum oris curari, ſunt, qui aſſerunt.

Juxta ETTMULLERUM notandum, quod ea æſtate, quando copioſe proveniunt hæ baccæ, dyſenteria plerumque graſſari ſoleat: ſcilicet baccæ in magna copia comeſtæ, aut potius quando venenatis nebulis afflantur, aut exhalationibus acrioribus corroſivis imbutæ absque prævia lotione devorantur, inteſtina vellicant & ſtimulant, ut neceſſario inteſtinorum tormina & exulcerationes oriantur, quæ facillimam occaſionem dyſenteriæ præbent.

Baccis his peculiariter utuntur Infectores, ad inficienda linteamina & chartam cœruleo colore, ac etiam a Pictoribus adhibentur. Succus cum alumine & Galla coctus eleganti cæruleo tingit chartas. Linteamina, docente J. BAUHINO, eodem colore ita tinges. Ollæ hujus ſucci plenæ affundes poculum aceti, aluminis pulveriſati unicam. j. ſquammæ æris itidem in pulverem redactæ drachmas ij. bulliant una: tum recenti decocto immerge lintea: ſiccentur in aëre: demum frigida aqua lava, & pereleganti cæruleo tincta habebis. Si dilutius velis omitte ſquammam æris, ſi ſaturatius, etiam plus addes.

MALA

IN OFFICINIS PTOSTANT.

Oleum Myrtillorum, Heidelbeeren-Oehl/ *Huile de Baye de Mirtille ou Airelle.* Roborat & adſtringit.

Syrupus Myrtillorum, Heidelbeeren-Syrop/ *Syrop de Myrtille ou d'Airelle.* Ubi adſtrictione opus eſt, in alvi profluviis, hæmorrhagiis &c. locum habet.

MALA SYLVESTRIA.

Eſt fructus Mali ſylveſtris, parvus raro Juglandem æquans, magnitudine fere meſpili, ſed figura rotundior, longiuſculo ac tenui pendet pediculo, cortice ſeu cute viridi, tandem & flaveſcente, quorumdam etiam pulchre rubente. Tanta pollent adſtringenti facultate, tantaque acerbitate hæc poma, ut eſui plane ſint inepta, nec unquam fiant apta; nec ſubſtantiæ mollitie nec ſaporis convenientia unquam ad ſativa accedunt, ac ne quidem ad infimæ notæ accidiſſima vel auſtera.

Poma

MALUS SYLVESTRIS ſive AGRESTIS, wilder Aepffelbaum/ Holtz-Aepffelbaum/ Wald-Apffelbaum/ Sau-Apffelbaum/ POMMIER SAUVAGE.

Malus ſylveſtris acido fructu albo. Tourn. I. R. H. cl. 21. S. 8. g. 5. Mala ſylveſtria minora alba. C. B. Pin. 433. Malus ſylveſtris minor. Tabern. Icon. 1009.

Malus acido fructu ſylveſtris. H. R. Par. Mala ſylveſtria rubra. C. B. Pin. 433. Mala ſylveſtria rubentia. Tabern. Icon. 1008. Poma Malacria. Ruell. de nat. Stirp. 252. Pomme de Malingre.

Malus ſylveſtris fructu valde acerbo. Tourn. l. c. Poma auſtera, Carol. Steph. Præd. ruſt. 146. Pommes d'Etranguillon, Pommes de Bois.

Malus ſylveſtris in Germania, Gallia & aliis regionibus provenit,

 locis

locis tam planis quam montoſis ſylveſtribus, campeſtribus, ſecus vias & ſemitas, floret cum cæteris malis & paulo etiam tardius.

Poma hæc vocantur ἄγρια μῆλα, ἀγριόμηλα, MALA SYLVESTRIA & AGRESTIA, Holtzäpffel / POMMES SAUVAGES.

De uſu horum malorum ita docet JOH. BAUHINUS. Sylveſtria mala authore THEOPHRASTO odoratiſſima ſunt & acerbiſſima. Omnibus ſylveſtribus ſuccus vehementer auſterus ineſt acidus, ex quo in quibusdam locis ſuccum omphacinum prelis exprimunt, quem repoſitum per annum aut etiam plures aſſervant: nam vim acquirit aceti, quo in cibis utuntur ejus loco, exiſtimantes ſpeciatim piſces ex eo coctos firmiores fieri & ſapidiores. Picardi potionis genus ex iis parant, quo utuntur vini loco. Piquette vocant. Eo etiam utuntur in re coquinaria ad embammata & intinctus varios, potiſſimum ad coquendos piſces, quos ſua adſtrictione & aciditate firmiuſcula carne reddit.

Ipſa autem poma adſtringunt & ad fluxus alvinos adhibentur. Stomacho ſunt inutilia, alvum & veſicam circumagunt, nervos lædunt.

PYRA SYLVESTRIA.

Sunt fructus Piraſtri ſeu Pyri ſylveſtris J. B. pyriformes, modo rotundi & modice compreſſi, modo ex rotundo leviter turbinati & longiuſculi, auſteri & acerbi valde, nec edules donec fraceſcant.

PYRA

PIRUS SYLVESTRIS ſeu PIRASTER ἀχράς græce dicitur. wilder Birnbaum / wilde Birn / Holtzbirn / Säubirn / Feldbirn. POIRIER SAUVAGE.

Pyrus

Pyrus ſylveſtris. C. B. Pin. 439. Piraſter ſeu Pirus ſylveſtris. I.B. 1. 57. Pyra ſylveſtria. Tabern. Icon. 1018.

Pyrus ſylveſtris fructu majore. Tourn. I. R. H. cl. 21. S. 8. g. 2. Pyra ſylveſtria majora. Tabern. Icon. 1018.

Pyrus ſylveſtris in Germania, Gallia, aliisque regionibus paſſim occurrit in ſylvis, ſepibus & ad arvorum margines, item in montoſis, floret cum reliquis & etiam ante, fructus tarde matureſcit.

PYRA SYLVESTRIA, quæ dicuntur Holtzbirn/ POIRES SAUVAGES, vehementer adſtringunt & ſiccant. Siccata in vino rubro decocta dyſentericis & alvi fluxionibus divexatis auxiliantur. Idem præſtat ſuccus & aqua ſtillatitia. Fit ex Pyris his per ſe expreſſis aut affuſa aqua muſto & vino ſimilis potus, quo utuntur ruſtici, ſed iis, qui ad colicos dolores proclives ſunt, minus conducit ejusmodi potus. Fungi dicuntur innocentiores tutioresque fieri, ſi in Piraſtri vel fructu vel folio cocti fuerint, quod J. BAUHINUS credere non vult. Ad dignoſcendum an muſtum aquam habeat, Pyrum ſylveſtre injiciunt, quod ſi enim aquam habuerit, in profundum demergitur.

Folia pyri ſylveſtris adſtringunt. In deſeſſionibus mulierum ad vulvæ procidentias adduntur.

Vapor pyrorum ſylveſtrium decoctorum ad genitalia admiſſus laudatur in fluore albo, ſi per plures dies uſurpetur.

RUBI MORA.

Mora hæc ſunt fructus Rubi vulgaris, C. B. Pin. qui rubri per maturitatem nigreſcunt, ariſtis quibusdam aſperiuſculi, acinis parvis, guſtu quibusdam grato, dulci, paululum amaro.

Fructus hi vocantur βάτινα, μόρα τῆς βάτου, μόρα βάτινα, MORA BATI, MORA BASSI, MORA VATICANA, Brombeer/ Kratzbeer/ MEURES DE RENARD.

Sunt Rubi mora, quæ veſca, duplicis generis. Nam quædam, ut cum aliis docet SEBIZIUS, proveniunt ex rubo majore ſive excelſiore, nonnulla ex minore, qui χαμαίβατος, humilis & reptans ſeu humirubus vocatur. Illius fructus cum maturuit, quod Auguſto & Septembri menſibus contingit, major eſt & nigrior, hujus minor, utplurimum cæſius interdum tamen cæruleus aut niger.

Mora hæc, ſi fuerint matura, leviter ſunt adſtrictoria & guſtui haud ingrata. At immatura, quæ rubent, acerba ſunt, hinc ventrem ſtipant, & quidem efficacius, ſi priusquam maturuerint, fuerint ſiccata. Largius manducata Cephalalgiam pariunt, quibusdam etiam dolores ſtomachi creant. Quare priusquam comedantur diligenter à pulvere aliisque ſordibus repurganda & abluenda ſunt. Commendantur in variis profluviis, vomitu, fluxu alvi uteri, narium. Succus maturorum horum fructuum laudatur ad affectus oris & faucium.

FRUCTUS SILIQUASTRI.

Sunt Arboris Judæ Dod. ſiliquæ membranaceæ, purpuraſcentes, compreſſæ, ſemina coloris ſpadicei dura & quaſi reniformia continentes.

Sili-

SILIQUASTRUM à ſiliquis dicitur, SILIQUA SYLVESTRIS á fructu ſimilitudine cum ſiliqua dulci. ARBOR JUDÆ communiter vocatur, quoniam fabulantur proditorem Judam ex arbore hac ſe ſuſpendiſſe, unde & adhuc hodienum non poſſit erecta ſed jucurvata ſemper

ſemper ſervari, quod tamen falſum. Wild Johannes-Brodbaum/ Judasbaum. GUAINIER, GAINIER, quia ejus ſiliquæ cultrorum vaginas æmulantur. ARBRE DE JUDAS.

Eſt arbor flore papilionaceo, alis tamen vexillo ſupereminentibus, carinaque ex duobus petalis compoſita: piſtillum autem ſtaminibus obvolutum, ex calyce emergens, abit deinde in ſiliquam planam, membranaceam, ſeminibus foetam quaſi reniformibus. His notis addenda ſunt folia alterno ordine poſita.

Siliquaſtrum. Caſt. Dur. 415. Judaica arbor. I. B. 1. 433. Siliqua ſylveſtris rotundifolia. C. B. Pin. 402. Arbor Judæ. Dod. Pempt. 786.

Arbor hæc in regionibus calidioribus, in vallibus juxta rivos & in ſepibus provenit. Colitur in hortis, floret Aprili & Majo.

Siliquæ hujus arboris gaudent particulis terreſtribus & virtute adſtringente.

SORBA.

Sorba ſunt fructus Sorbi ſativæ, C. B. Pin. pyrum moſchatellinum parvum æquantes, turbinati, umbilicati; magis minusve rubentes, prout Solem ſenſere, carne flaveſcente, & ante maturitatem adeo auſtero ſucco, ut ſtrangulet, colore in rutilum tanseunte, at ubi velut fermentatione quadam emolliti fuere, vix mutato interno colore, dulci ſatis & veſca carne non ſine adſtrictione.

Sorbus

Οὔη, Οἴη, SORBUS, Sperberbaum/ Speyrlingbaum/ Aeſchenröſslinbaum / Eſchröſslinbaum / SORBIER CORMIER.

Eſt arbor a Pyro & Cratægo foliorum forma diſcrepans, hæc enim veluti per conjugationes naſcuntur fraxini foliorum modo.

Sorbus ſativa. C. B. Pin. 415. Sorbus. I. B. 1, 59, & Dod. Pempt. 803.

Sorbus gaudet teſte TRAGO alſioſis montibus & lapidoſa terra tractui Rheni ſatis familiaris. Colitur & in hortis, viridariis & vinetis. Floret menſe Martio, Septembri maturat fructum.

• Sorba dicuntur à ſorbendo , quod caro eorum matura ſorbeatur. Et ſane fracidorum illa pulpa vix commodius quam ſorbendo aſſumitur, ne ſimul cutim & ſi quid intus ſeminum aut calculoſi ſimul deglutias. Dicuntur ὄης καρποὶ, οὖα, ὄα, Sorb-Aepffel / Spor-Bieren / Speyrling / Eſch-Röſslin. SORBES, CORMES.

Sorba decerpuntur immatura, & in manipulos colligata ſuſpenduntur , aut ſupra ſtramen reponuntur, donec molleſcant , ut Meſpila , nam ante non poſſunt comedi propter eorum aſperitatem.

Vim habent Sorba Cornis & Meſpilis affinem , ut SEBIZIVS docet. Refrigerant enim ſiccant, adſtringunt. Immatura adeo acerba ſunt, ut a nemine attingantur. Si quid Sorba alimenti præbent, id valde exiguum eſt, craſſum & frigidum. Cedunt tantummodo in cibum ventriculo fluenti utiliſſimum. Solent quoque Sorba, priusquam matura fiunt ſiccare , in pulverem redigere , & ægris ad cæliacas & dyſentericas fluxiones, vomitiones, ſanguinis item eruptiones exhibere.

Datur pulvis ſorborum ad ℥ß. ad ℥j.

FRUCTUS SORBI SYLVESTRIS.

Sunt Sorbi aucupariæ, I. B. baccæ acinis Sambuci aquaticæ pares, ex flavo miniatæ, ſapore acido inſuavi.

Fru-

Arboris hunc fructum ferentis character, videatur ſub Sorbo ſativa.

tiva. SORBUS AUCUPARIA dicitur, quod ad aucupia conferat, SORBUS SYLVESTRIS, FRAXINUS AUCUPARIA, wilder Sperberbaum / Ebreſchenbaum / Vogelbeerbaum / groſſer Mählbaum / Quitzenbaum / Qualſterbaum / AGUILLON.

Sorbus Aucuparia. I. B. 1. 62. Sorbus ſylveſtris foliis domeſticæ ſimilis. C. B. Pin. 415. Sorbus ſylveſtris Alpina. Lob. Icon. 107.

Eſt arbor montibus quaſi propria, creſcit uliginoſis & opacis ſylvis & in vallibus, & ſecus ripas torrentium, quibus maxime locis gaudet. Floret Majo & Junio, Septembri fructus primum viridis poſtmodum ruber perficitur.

Fructus hujus arboris vocantur Vogelbeer ab uſu, item Maaßbeer / Quitzbeer / Ebreſchen / Sperbeer / Stinckbeer.

Notante SEBIZIO hæ baccæ refrigerant, ſiccant, adſtringunt. Nullius in cibo uſus ob ingratum ſaporem, qui guſtantem caperare frontem cogat. Illis tamen attagenæ merulæ & turdi delectantur. Aucupibus inſerviunt ad capiendas aves. RAJUS à NEDHAM edoctus baccas has ſuccum acidum hydragogum, & ſcorbuto ſanando aptum præbere aſſerit.

FRUCTUS SORBI TORMINALIS.

Sunt Sorbi Torminalis Dod. fructus rotundi, parvi, umbilicati, quales Oxyacanthæ vulgaris, coloris ferruginei, punctulis albis notati, cum ſunt molles ſaporis primum auſteri, tandem ubi molleſcunt, aciduli grati.

Fru-

Arbor hunc fructum ferens à TOURNEFOTIO ſeparatur à Sorbo & ſub CRATÆGI nomine deſcribitur. Wilder Sperbeerbaum / Elſzenbaum / ALISIER.

Eſt autem Cratægus arbor fructus forma & magnitudine à Pyro diverſa, bacca ſcilicet potius quam fructus dici meretur, ſeminibus

foeta calloſis in loculamentis meditullium occupantibus recondi-tis.

Cratægus folio laciniato. Tourn. I. R. H. cl. 21. S. 8. g. 3. Meſpi-lus apii folio ſylveſtris non ſpinoſa ſive Sorbus torminalis. C. B. Pin. 454. Sorbus Torminalis & Cratægus Theophraſti. I. B. 1. 63. Sorbus Torminalis. Dod. Pempt. 803.

Naſcitur in locis montanis ſolo pingui, aut interdum etiam ſa-xoſo.

Fructus hi, qui dicuntur Areßel / Eſchrößel / Elsbeer/Ar-lesbeer/ Elſchblen/ ſi ſint immaturi, veſci non ſunt, hac in parte Sorbis Cornis & Meſpilis ſimiles. Facti autem mitiores & molliores, ut fructus alii a ruſticis & plebeiis manduntur. Viribus ad ſorborum naturam accedunt. Laudantur contra tormina dyſentericorum, unde nomen Sorbi Torminalis exortum.

TRIBULUS AQUATICUS.

Sunt fructus Tribuli aquatici, C. B. Pin. muricati, ſpinulis aut potius aculeis utplurimum quaternis quandoque ternis armati, nigricantes, Caſtaneis pares, non diſſimiles pulpa nucleove candido, eduli, guſtu haud ingrato, qui authore Dodonæo & recentes mandi, & arefacti molaque contriti in panem cogi poſſe feruntur.

SCHWENCK-

Tribulus Aquaticus ſive Aquatilis, Τρίβολος ἔνυδρος a triangulari forma. Nux Aquatica, Castanea Palustris, Castanea Cornuta, Waſſernüß/ Stahlnüß/ Weihernüß/ Seenüße/ Waſſer-oder See-Caſtanien/ Tribule Aquatique, Macre, Saligot, Chataigne d'eau.

Tribulum aquaticum Tournefortius à Tribulo terreſtri

ſeparat

ſeparat & peculiare plantæ genus ſub nomine Tribuloidis conſtituit.

Eſt autem Tribuloides plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde ſimul cum calyce abit in fructum ſubrotundum aculeatum unicapſularem ſemine fœtum Caſtaneæ æmulo. Fructûs autem aculei aliud nihil ſunt, quam folia calycis in aculeos verſa.

Tribuloides vulgare aquæ innaſcens. Tourn. I. R. H. append. Tribulus aquaticus. C. B. Pin. 194. & I. B. 3. 767. Tribulus aquaticus. Dod. Pempt. 581.

Hæc Caſtanea lacuum & aquarum ſtagnantium imprimis eſt alumna. Comeditur vel cruda, ut antea dictum, vel elixa aut cocta.

ANGELICA

SCHWENCKFELDTIO dicente, Nuci huic ineſt emplaſtica obſtruendique vis, alvum conſtipans. Ob copioſas enim partes terreſtres pauciſſimo phlegmate ſolutas cum pauciſſimo ſulphure adſtringit. Nucleus recens calculoſis utilis. Imflammationes cataplasmate juvat, ulcera oris, gingivas tonſillasque perſanat. Decoctum Tribuli aquatici in conclavia effuſum dicitur pulices fugare.

FRUCTUS VIBURNI.

Sunt baccæ Viburni Matth. primum virides, dein rubræ, per maturitatem nigræ, compreſſæ dulces & viſcoſæ; ſapore minus grato.

MATTHIOLUS tradit has baccas alvum ſolvere, ſed dubitat BAUHINUS & cum DODONÆO dicit eas cum foliis ſymbolizare, refrigerantis ſcilicet, reſiccantis & adſtringentis eſſe facultatis. Præſertim autem exſiccatæ, in alvi fluxu dyſenteria & fluxu menſium nimio deprædicantur.

CAPUT SEXTUM
DE
HERBIS FOLIIS & GERMINIBUS.

PLANTÆ CONSTANTES SALE VOLATILI OLEOSO SEU AROMATICO.

Angelica ſylveſtris minor.	Baſilicum.
Camphorata.	Caucalis.
Chærefolium.	Chærophllum ſylveſtre.
Clinopodium.	Cuminoides.
Horminum.	Marum.
Moldavica.	Molucca.
Molle.	Myrrhis.
Laſerpitium.	Oenanthe.
Santolina.	Teucrium.
Sium.	

ANGELICA SYLVESTRIS MINOR.

Sunt folia Angelicæ ſylveſtris minoris, C. B. Pin. Angelicæ ſativæ foliis minora, atrovirentia, Siſari ſapore, odoris fortis, ſed multo imbecillioris Angelica ſativa.

Folia

ANGELICA SYLVESTRIS vocatur etiam ÆGOPODIUM, GIERSA, HERBA D. GERARDI, PODAGRARIA à virtute Gierſich/ Gieriſch/ Zipperlinkrauth/ HERBE GERARD.

Hæc Angelicæ ſpecies ſequentibus inſignitur à Botanicis nominibus.

Angelica ſylveſtris minor ſeu erratica. C. B. Pin. 155. Angelica ſylveſtris repens. I. B. 3. 2. 145. Ægopodium, Herba Gerardi. Tab. Icon. 83.

Adeo reſtibili, ut SCHWENCKFELDT loquitur, & importuno proventu juxta ſepes hortorum & parietes udis umbroſisque locis pinguibus luxuriat, ut vix inde poſſit radicitus deleri.

Folia recentia hujus Angelicæ tenera adduntur oleribus. Cæterum ſymbolizant cum foliis Angelicæ ſativæ.

BASILICUM.

Sunt folia Ocimi vulgatioris, C. B. P. Parietariæ minora, glabra alias, per ambitum inciſa, alias minime, odore fragranti, ſapore nullo excellenti.

Folia

Ὄκιμον, ὤκιμον, ὄζιμον, OCIMUM, OCYMUM, OZIMUM, quidam derivant à verbo ὀκὺς vel ὠκέως cito, quod ſemen ejus ſatum cito erumpat: alii vero ab ὄζω redoleo deducunt, eo quod herba tota ſuaviſſimum odorem ſpiret. βασιλικὸν quoque audit, BASILICUM, HERBA BASILICA, HERBA REGIA, ab odore ſuavi ita dicta, quod Baſilica & Regia domo digna ſit. Baſilien/ Baſilgen/ BASILIC.

Eſt plantæ genus flore monopetalo labiato, cujus labium ſuperius ſurrectum eſt & ſubrotundum, crenatum & amplius inferiori, quod plerumque criſpum eſt aut leviter inciſum. Ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris partis ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina oblonga, in capſula, quæ floris calyx fuit, recondita. Hæc vero capſula in duo labia dividitur, quorum ſuperius ſurrectum eſt & bifidum, infe-

rius vero multiſariam inciſum. Ocimi ſpecies flore fructuque carentes, odore quodam proprio aromatico & ſuavi, dignoſci ſolent.

Plures equidem ſunt ſpecies Ocimi foliis & odore differentes, quæ promiſcue uſurpari ſolent, imprimis pro uſu oeconomico, ubi in culinis tanquam condimenta delicatiora adhibentur, ſed hic intelligitur principaliter.

Ocimum vulgatius. C. B. Pin. 226. Ocimum medium vulgatius & nigrum. I. B. 3. 2. 247. Ocimum magnum. Tabern. Icon. 343.

Creſcit in hortis; Floret Julio, Auguſto &c. colitur que odoris imprimis gratia. In

Folia hæc ut & tota planta ſcatet ſale volatili aromatico oleoſo & penetrante: Vires obtinet reſolvendi attenuandi, cor exhilarandi. Cephalica eſt planta & uterina. Medetur vertigini & lipothymiis, ventriculum roborat, conducit in aſthmate pituitoſo; Lac auget, urinam, menſes & fœtum pellit, tum interne tum externe. Exiccata hæc planta cum floribus & pulveriſata ſternutationem ciet. Multi in ea ſunt opinione, quaſi ex hac herba contuſa ſole excocta ſcorpiones procreentur. Dicunt enim cum HELMONTIO, herbam Ocymi contuſam & inter lateres depreſſam ſoli expoſitam poſt aliquot dies ſcorpiones edidiſſe, forinſecus enim advenientibus ſcorpionibus via impedita, quod lateres bini invicem contriti adæquate ſeſe contigerint, adeo ut ingreſſum ſcorpionis tam planitie contigua quam pondere impediverint, foſſula in media herbam continente, Imo eo usque progrediuntur, ut non tantum dicant hominem, qui eo die, quo à ſcorpione læditur, baſilicum comederit, non poſſe curari, ſed & à frequenti Ocymi uſu in ipſo etiam cerebro ſcorpiones fuiſſe prognatos. Merito dubitat de hac ce generatione æquivoca atque ſpontanea RAJUS, & magna requiritur perſuaſio, ut ejusmodi narrationibus nugarum & fabularum matribus adhibeatur fides.

CAM-

IN OFFICINIS PROSTAT.

Aqua Baſilici, Baſilien-Waſſer / *Eau de Baſilic* ou *d'Ocymum*. Cordialis habetur & cephalica, apoplexiam præſervat, pectus mundificat, partes genitales roborat, vermesque expellit.

CAMPHORATA.

Sunt folia Camphoratæ Monſpelienſium, I. B. confertiſſima, trientem unciæ non excedentia, tenuia, piloſa, mediocriter rigida, odore aromatico camphorato, ſapore aliquantulum acri.

CAMPHORATA dicitur, quod herba digitis confricata odorem Camphoræ nonnihil referat. Kampffer-Krauth von Montpelier.

Refertur ad flores ſtamineos.

Camphorata hirſuta. C. B. Pin. 486. Camphorata Monſpelienſium. I. B. 379. Camphorata Monſpelienſium an Chamæpeuce Plinii Lob.

Circa Monſpelium, Nemauſum, Avenionem, & alibi in Gallia Narbonenſi ſpontanea hæc planta obſervatur.

Virtute gaudet cephalica, aperitiva, reſolutiva, atque deterſiva, venenis reſiſtit, menſes ciet, vermes necat, conducit in paſſionibus hyſtericis. Symbolizat cum Abrotano.

CAUCALIS.

Sunt folia Caucalis Dod. Paſtinacæ tenuifoliæ vel Carotæ ſimilia, hirſuta, odorata.

Virtute

CAUCALIS LOBELIO dicitur à ſeminum effigie, quæ vaſcula ob-

oblonga & ſemiſphærica imitantur, aut a ſtrepitu, quem edunt hæc ſemina, cum præarida vindemiis exactis ventis concutiuntur. Καυκάλιον autem vaſis genus eſt ita dictum à ſono, quem edit, dum aqua conſertim ingreditur aëre exeunte & e contra. APIUM ſeu PETROSELINUM arvenſe, LAPPA AGRESTIS. Klettenkörffel/ Ackerpeterlein/ Ackerkletten.

Eſt planta flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante, inæqualibus, cordiformibus, in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum compoſitum ex duobus ſeminibus oblongis, hinc gibbis per longitudinem ſulcatis, cum alis denticulatis & veluti aculeatis, inde vero planis.

Caucalis arvenſis echinata magno flore. C. B. Pin. 152. Lappula canaria flore pulchro magno albo. I. B. 3. 2. 79. Echinophora πυκνόκαρπος, an Dioſcoridis Gingidium. Col. part. 1. 91. Caucalis. Dod. Pempt. 700.

Caucalis arvenſis echinata parvo flore & fructu. C. B. Pin. 152. Lappula canaria flore minore ſive tenuifolia. I. B. 3. 2. 80. Echinophora tertia λεπτόφυλλος purpurea. Col. part. 1. 97.

Inter ſegetes Junio floret, deinde ſemen ſuccedit.

Virtute hæc planta gaudet aperitiva, urinas & menſes cit. Calculos & arenulas diſſolvit, humores attenuat, viſum confortat.

CHÆREFOLIUM.

Sunt folia Chærophylli ſativi, C. B. Pin. Apii hortenſis foliis ſimilia, non ita longa, argutius diviſa, averſa parte hirſuta, ſapore aromatico; pediculis ſæpe rubentibus nonnihil hirſutis.

Plantæ

χαιρέφυλλον quaſi herba gaudens & luxurians foliis; aut quia gaudium & lætitiam affert, CHÆROPHYLLUM, CHÆREFOLIUM, CHÆROFOLIUM, CEREFOLIUM, Körbel/ Körbelkrauth/ Kerffelkrauth/ Gartenkerffel/ CERFEUIL.

Eſt

Eſt plantæ genus, flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante inæqualibus & calyci inſidentibus. Calyx autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum, roſtri avium æmulis, non ſtriatis, nunc lævibus, nunc aſperis, hinc gibbis inde vero planis.

Chærophyllum ſativum. C. B. Pin. 152. Chærephyllon. I. B. 3. 2. 75. Chærefolium. Dod. Pempt. 700.

Colitur in hortis: Floret Aprili, Majo &c.

IN

Plantæ hujus folia ob ſaporem aromaticum admiſcentur, ut verbis SEBIZIANIS loquar, acetariis, eduntur que cruda. Diſſecta etiam brodiis frequentiſſime incoquuntur, ſed coctionem propter partium tenuitatem diuturnam ferre non poſſunt. Olus eſt ſuaveolens & ſapidum, ori proinde gratiſſimum, ventriculo convenientiſſimum. Ob ſal aromaticum volatile, oleum copioſum urinoſumque diſcutit, pellit. Planta eſt vulneraria, ventriculo & cerebro confert, ſomnum inducit ſuaviter; Vertigini, Pleuritidi, aliisque pectoris morbis medetur. Diureticum eſt remedium, emmenagogum & lithontripticum. Prodeſt in doloere iſchiadico. Ictero quoque medelam adfert. Convenit etiam in hydrope, ſi ejus ſuccus ad aliquot uncias per tempus aſſumatur; item in caſu ab alto, ad ſanguinem congrumatum reſolvendum. Tempore verno uſurpantur tum ſuccus cum juſculo, tum folia juſculis incocta ad ſanguinem mundificandum. Hæc juſcula imprimis etiam conveniunt, quando quis à frigida ſubita hauſta læſum ſe ſentit, quo in caſu folia quoque cum pane butyro oblito comedi poſſunt. Externe prodeſt in dolore colico & in urina ſuppreſſa; Laudatur quoque in inflatione hypochondriorum infantum, in butyro ſi fricetur. Imponitur mammis vel per ſe, vel butyro incoctum, ad diſcutiendum Lac. Communis fama eſt, ſi æger hydropicus ſuccum chærefolii aſſumat, & illum aſſumptum non ſta-

tim evŏmat, ſignum eſſe ægrotum reconvaliturum, ſi ſecus fuerit, illum moriturum. Morſibus quoque aranearum aliorumque animalium venenatorum medetur. Sunt, qui ad vulnera capitis, item ad cancrum præſertim cum melle appoſitum commendant. Decoctum Chærefolii laudatur in abigendis capitis furfuribus & enecandis pediculis.

℞. Succi Chærefolii cochlearia viij. in quibus infunde marrubii triti ʒj. & calide propina diebus aliquot continuis, in Ictero.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Aqua Chærefolii, Kórbelkrauth-Waſſer / *Eau de Cerfeuil*, deſtillata ex integra planta.

Oleum Chærefolii coctum, Kórbelkrauth-Oehl / *Huile de Cerfeuil*. Reſolvit, diſcutit, carminativum eſt & diureticum. Mammis inungitur pro lacte diſcutiendo.

CHÆROPHYLLUM SYLVESTRE.

Sunt folia Chærophylli ſylveſtris, C. B. Pin foliis Paſtinacæ ſive ſtaphylini tenuifolii ſimilia, minore tamen diviſura, ad Chærefolium ſativum accedente, piloſa, ſapore nullo manifeſto.

Juxta

CEREFOLIUM SYLVESTRE ob ſimilitudinem foliorum, ANTHRISCUS PLINII, CEREFOLIUM ASININUM, ONOSELINUM. Wilder Kórbel / wild Kórbelkrauth / Eſels-Kórbel / Eſels-Peterlein.

Eſt ſpecies Myrrhidis, nempe

Myrrhis annua ſemine ſtriato lævi. Moris. Umb. 44. Chærophyllum ſylveſtre. C. B. Pin. 152. Anthriſcus Plinii quibusdam ſemine longo Cicutariæ vel Chærophylli. I. B. 3. 2. 70. Cerefolium ſylveſtre Onoſelinum. Tabern. Icon 94.

Paſſim juxta ſepes provenit florens æſtate.

CLINO-

Juxta TRAGUM Chærefolium ſylveſtre ad ducendos mulierum menſes efficacius eſt Chærophyllo ſativo, in vino præſertim decoctum ac potum. Valet quoque adverſus peſtim aliaque venena.

CLINOPODIUM.

Sunt folia parva Clinopodii arvenſis, C. B. Pin. Serpillum æquantia, eique ſimilia, nonnullis leniuſculis in ambitu crenis apparentibus, odorem ſuavem ſpirantia.

CLINOPODIUM quaſi LECTIPES à vocibus græcis κλίνη Lectus, & πȣ̃ς pes, floribus, (orbiculato ſuo ambitu) ut ait DIOSCORIDES, lecti pedum ſpeciem præbentibus, ex intervallis marrubii modo diſpoſitis. POLIUM MONTANUM, ACINOS, OCIMUM SYLVESTRE. Kleine Bergmüntzel/wild Kirch-Hyſop/Steinpoley/ BASILIC SAUVAGE.

Eſt planta flore monopetalo labiato, cujus labium ſuperius ſurrectum eſt, ſubrotundum, plerumque bifidum, inferius vero tripartitum. Ex calyce autem ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina oblonga, in capſula, quæ floris calyx fuit, recondita. His notis addendum eſt flores Clinopodii verticillatim diſponi.

Clinopodium arvenſe Ocymi facie. C. B. Pin. Acinos multis, I. B. 3. 2. 259. Ocimum ſylveſtre, Acinos. Dod. Pempt. 280.

Locis incultis & apricis, in ſylvis cæduis, inter fruticeta, ad ſylvarum margines, in locis montoſis & petroſis æſtate floret.

CUMI-

Plantæ hujus, quæ acrimoniam quandam præ ſe fert, permixtam levi amaritudine, odor aromaticus, ſerpillum quâdantenus æmulans, ſatis teſtatur de ſale volatili oleoſo. Calefacit, inquit SCHWENCKFELDT, atque exſiccat, aperit, provocat, diſcutit, venenis reſiſtit, roborat. Tenuium

 eſt

eſt partium. Menſes & partum pellit. Ex vino potum Melancholicos reſtituit.

CUMINOIDES.

Sunt folia Cumini ſylveſtris, Dod. palmum longa, pinnata, Pimpinellæ ſanguiſorbæ foliis ſimilia, foliola ſingularia profunde ſerrata, ſapore & odore fere Cumini.

CUMINOIDES dicitur quaſi planta ad Cuminum accedens. CUMINUM SYLVESTRE etiam dicitur. Haberkümmel.

Eſt planta flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis utplurimum fimbriatis in orbem poſitis & calyci inſidentibus conſtante, qui calyx abit in ſemen plerumque oblongum.

Cuminoides vulgare. Tourn. I. R. H. cl. 6. S. 9. g. 1. Cuminum ſylveſtre capitulis globoſis. C. B. Pin. 146. Cuminum ſylveſtre primum, valde odoratum, globoſum. I. B. 3. 2. 23. Cuminum ſylveſtre. Dod. Pempt. 300.

Colitur in hortis. In regionibus calidioribus ſponte provenit.

Calefacit, exſiccat, aperit, digerit, incidit, reſolvit, menſes & urinam provocat tota hæc planta odorifera.

HORMINUM.

Sunt folia Hormini, Dod. Salviæ ſimilia bina adverſa, non ita retorrida, & ſqualida, ſed affatim hirſuta, odore nullo excellente, ſapore amaricante.

Vir-

HORMINUM, Ὅρμινον ἀπὸ τοῦ ὁρμᾶν impetu agi, quod ſcilicet juxta DIOSCORIDEM ad Venerem ſtimulet. Garten⸗Scharlach/ Römiſcher Scharlach/ ORMIN.

Eſt planta flore monopetalo, labiato, cujus labium ſuperius parvum & galeatum eſt, inferius vero in tres partes diviſum, media

cochlea-

cochlearis inſtar excavata. Ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina in capſula, quæ floris calyx fuit, recondita.

Horminum coma purpuro violacea. I. B. 3. 309. Horminum ſativum. C. B. P. 238. Horminum. Dod. Pempt. 294.

Sponte gignitur in Italia, colitur apud nos in hortis. Floret Julio.

Virtute gaudet deterſiva, reſolutiva atque ſtomachali. Spiritus excitat. Symbolizat cum Hormino Sclarea dicto.

MARUM.

Sunt folia Sampſuchi, ſive Mari Maſtichen redolentis. C. B. Pin. viridia, Thymi durioris foliis ſimilia, ſapore acri prædita, odoris grati, ſed paulo vehementioris.

MARUM dictum quidam eſſe volunt à Thraciæ quodam Rege, cui nomen Maroni eſſet: alii autem derivant per Apocopen ab Amaraco. Quidam MARUM quaſi AMARUM appellant. MASTICHINA GALLORUM ab odore, Marum/ausländiſcher Majoran/Maſtichkrauth/Amberkrauth.

Eſt ſpecies Thymbræ, quæ diſcrepat à Thymo Satureja & Calamintha floribus verticillatim poſitis.

Thymbra Hiſpanica Majoranæ folio. Tourn. I. R. H. cl. 4. S. 3. g. 10. Sampſuchus ſive Marum Maſtichen redolens. C. B. P. 224. Clinopodium quibusdam Maſtichina Gallorum. I. B. 3. 2. 243. Marum vulgare Clinopodium. Dod. Pempt. 271.

Colitur in hortis; floret æſtate.

IN

Odore ſuo admodum penetranti ſal volatile oleoſum aromaticum ſatis prodit, virtutem obtinet calefaciendi & roborandi. Occurrit affectibus frigidis & humidis. Incidit, attenuat, aperit, digerit, lentorem corrigit, & obſtructiones

reſerat. Diureticum, carminativum, antiſcorbuticum eſt remedium. Inter remedia cephalica excellit. Recipitur in Theriacam coeleſtem.

Curioſum eſt, quod feles hanc plantam tantopere deperеant, ut ab ejus odore in laſciviam tantam adigantur, ut etiam quandoque ſemen in hanc plantam, in qua ſe circumvolutant, emittant.

℞. Mari veri, Cardam. minor. Cinam. ana ℥ß. Ambr. ℈j. Mſc. f. pulv. Sunt *Species Diamari* WEDELII, in affectibus cephalicis utiles. Poterit etiam exinde extrahi eſſentia.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Extractum Marocoſtinum, *Extrait Marocoſtin*. Ad plures humani corporis morbos tum præſervandos tum curandos laudatur. Evacuat & alterat.

MOLDAVICA.

Sunt folia Meliſſæ Turcicæ multis dictæ, I. B. longiora & anguſtiora, quam Meliſſæ vulgaris, ſeſcunciam imo duas uncias longa, ſemunciam aut unciam lata, per ambitum ſerrata, in acutum deſinentia, odorem Meliſſæ ſpargentia.

Tota

MOLDAVICA dicitur, quoniam ex Moldavia primum ad nos delata eſt, ubi ſponte per ſe provenit. MELISSA TURCICA, MELISSOPHYLLUM TURCICUM, CITRAGO TURCICA, ob odorem, CEDRONELLA, Türckiſche Meliſſen.

Eſt plantæ genus flore monopetalo labiato, cujus labium ſuperius nonnihil fornicatum eſt, bifidum ac ſurſum reflexum, inferius vero bifidum pariter; deſinuntque ambo in fauces marginatas. Ex calyce autem tubulato in duo labia plerumque inæqualia ſecto ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti em-

embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina oblonga, in capſula, quæ floris calyx fuit, recondita.

Moldavica Betonicæ folio flore cæruleo. Tourn. I. R. H. cl. 4. S. 2. g. 2. Meliſſa peregrina folio oblongo. C. B. Pin. 229. Meliſſa Turcica multis dicta. I. B. 3. 2. 234. Meliſſa Moldavica flore cœruleo. Eyſt. Meliſſa Turcica, Tabern. Icon. 355. Cedronella Turcica. Rivini.

Moldavica Betonicæ folio, flore albo. Tourn. loc. cit. Meliſſophyllum Turcicum flore albo. Lob. Icon. 515. Meliſſa Moldavica flore albo Eyſt.

Colitur apud nos in hortis, & quidem nunc copioſe in quibusdam. Floret æſtate.

Tota planta Meliſſæ odorem adeo imitatur, imo & ſuperat, ut pene præ nimia fragrantia faſtidium faciat. Convenit viribus cum meliſſa, eodemque modo uſurpari poteſt.

MOLUCCA.

Sunt folia Moluccæ I. B. ſubrotunda, per ambitum profunde ſerrata, longis pediculis appenſa, foliis marrubri nigri ſimilia, verum non ita nigra, plane glabra, nervoſa, amara, odoris grati.

Sal

MOLUCCA dicitur à Moluccis Inſulis. Vocatur etiam quibusdam MELISSA TURCICA, MELISSOPHYLLUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Eſt planta flore monopetalo labiato, cujus labium ſuperius cochlearis ad inſtar eſt excavatum, inferius vero tripartitum. Ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina angulata, in capſula campaniformi, quæ floris calyx fuit, recondita.

Molucca

Molucca lævis. Dod. Pempt. 92. Meliſſa Moluccana odorata. C. B. Pin. 229. Molucca. I. B. 3. 2. 234.

Colitur in hortis, floret Junio, Julio, & Auguſto.

μύῤῥις,

Sal volatile oleoſum huic plantæ ineſſe odor probat, & licet rarius uſurpetur, viribus tamen quadantenus cum meliſſa correſpondet. Herba contra venena magni fit, ſuccus ejus capitis vulneribus apprime conferre creditur; ut & ad cordis affectus.

MOLLE.

Sunt folia Mollis Clus. foliis Lentiſci longiora multo, anguſtiora, acuminata, lævia, ſaturate virentia, in tenella arbore inciſa, in adulta vero nec diſſecta, nec crenata, per ambitum æqualia, tantillum nonnunquam per extremum ſerrata, trita fœniculi odorem ſpirantia, ſaporis adſtringentis.

Folia ab arbuſculis revulſa lacteo ſucco, eoque lento & viſcido & odorato manant. Decoctum eorum doloribus ex frigida cauſa ortis auxilio eſt. Intincti panni & calidi vulneribus impoſiti curationem eorum accelerant, & humorum eo defluxum prohibent, conducunt quoque ut cortex ad tumores membrorum.

MYRRHIS.

Sunt folia Myrrhidis majoris ſeu Cicutariæ odoratæ. C. B. Pin. magna, pinnata, Cicutæ foliorum facie, magis albicantia, & albis maculis ſubinde conſperſa, tactu mollia, nervis averſa parte piloſis, ſapore aniſi.

Myrrhidis

μύῤῥις, Myrrhis dicitur à Myrrha, quod ejus odorem ſpiret. Cerefolium magnum, Cerefolium Hiſpanicum, Cicutaria odorata, welſcher Körbel / wilder Körbel/ Cerfeuil Musque'.

Eſt plantæ genus flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante inæqualibus, in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum, roſtri avium æmulis, ſtriatis, hinc gibbis inde vero planis.

Intelligitur hic ſequens ſpecies

Myrrhis major vel Cicutaria odorata. C. B. Pin. 160. Myrrhis magno ſemine longo ſulcato. I. B. 3. 2. 77. Myrrhis. Dod. Pempt. 701.

Colitur hæc planta in hortis, floret Majo, Junio & Julio ſemen perficitur.

Myrrhidis folia non minus quam Chærefolii edulia ſunt, in eorundemque locum ſæpius aſſumuntur in juſcula & acetaria. Cæterum eadem facultate Medica gaudent ac Chærophyllum. Fumus foliorum inſtar Nicotianæ hauſtus conducit aſthmaticis.

LASERPITIUM.

Sunt folia Laſerpitii Gallici, C. B. Pin. nullis pediculis hærentia, ex adverſo ſita, triplici fere per extremum diviſura, Spinæ albæ foliorum æmula, craſſiuſcula & firma, odorata.

Herba

Eſt planta flore roſaceo umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante cordiformibus, in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum compoſitum ex duobus ſeminibus, hinc gibbis, cum quatuor alis foliaceis amplis, interdum criſpis; inde vero planis.

Laſerpitium Gallicum, C. B. Pin. 156. Laſerpitium è regione

Maſſiliæ allatum. I. B. 3. 2. 137. Laſerpitium è regione Maſſiliæ repertum. Adverſ. 313.

Reperitur in Gallo provincia.

Herba æque in uſum trahi poteſt ac radix, quæ eſt prægrandis, intus alba, foris cinericea, ſucco prægnans, mollis, pinguis odorata.

Virtute gaudet hæc planta incidente, attenuante, reſolvente, carminativa, antihyſterica, detergente atque vulneraria. Reſiſtit venenis.

OENANTHE.

Sunt folia Oenanthes aquaticæ, C. B. Pin. longioribus & tenuioribus ſegmentis cæſa, odore & ſapore Sium referentia.

OENANTHE à vocibus græcis οἴνη vitis & ἄνθος flos dicitur, quod floreat cum vite, vel quod ejus flos odore & colore florem vitis æmuletur. FILIPENDULA AQUATICA, FILIPENDULA PALUSTRIS à radicis configuratione. Waſſer-Steinbrech/ Waſſer-Filipendel/ PETITE BERLE.

Eſt planta flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante inæqualibus, cordiformibus, in orbem poſitis & calici inſidentibus. Is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum oblongis, hinc gibbis & ſtriatis, inde vero planis, in aliquos veluti aculeos deſinentibus, quorum medius cæteris validior.

Oenanthe aquatica C. B Pin. 162 Filipendula aquatica. Tabern. Ic. 142. Oenanthe ſive Filipendula aquatica. I. B. 3. 2. 191.

Provenit in paluſtribus, floret æſtivis menſibus.

SANTO-

In uſum trahi poteſt & herba, & radix, quæ conſtat ex bulbis olivaribus, ex tenuibus filis pendentibus.

Planta hæc viribus & temperamento Sio ſimilis eſt. De-

tergit

tergit, aperit, movet urinam & arenulas, expurgatque meatus urinarios: Gaudet etiam virtute carminativa & in hæmorrhoidibus uſurpatur.

SANTOLINA.

Sunt folia Santolinæ foliis teretibus, Tourn. longitudine circiter unciali, cana, minutim denticulata, ita ut quatuor fere denticuli in eadem phalange agminatim diſpoſiti conſpiciantur, odore medicamentoſo & cum quadam ſuavitate gravi, ſapore partim acri, partim amaro.

In

SANTOLINA quaſi herba ſancta á viribus dicitur. CHAMÆCYPARISSUS, χαμαικυπάρισσος, quaſi pumila Cupreſſus ab odore & forma foliorum. CUPRESSUS HERBA, ABROTANUM FOEMINA, HERBA CAMPHORATA. Ἀβρότονον θῆλυ, Ἀβρότονον σικελιώτικον, ABROTANUM SICULUM, θηλυφθόριον, θηλύθαμνον. TELYPHTORIUM, THELYTHAMNUM. ABROTA'NUM CAMPESTRE ideo forſan, quod in Provincia & Gallia Narbonenſi & aliis calidis regionibus ſponte in campis creſcat. ABROTANUM CUPRESSINUM, CYPARISSUS aut CUPRESSUS HORTULANA. Cypreſſkrauth/Garten-Cypreß/Stab-wurtz-Weiblein/Cypreſſen-Stabwurtz. PETIT CYPRE'S, CYPRE'S DE JARDIN, GARDEROBE, quia tineas & vermes à veſtimentis arcet.

Eſt planta flore floſculoſo, globoſo, plurimis ſcilicet floſculis conſtante multifidis, embryoni inſidentibus, foliolis imbricatis intermediis, & calyce ſquamoſo quaſi hæmisphærico comprehenſis. Embryo autem abit deinde in ſemen, pappis nequaquam inſtructum. His notis addendi ſunt flores Abſinthii & Abrotani floribus majores, tum & totius plantæ facies.

Santolina foliis teretibus. Tourn. I. R. H. cl. 12. S. 3. g. 5. Abrotanum fœmina foliis teretibus. C. B. Pin. 136. Chamacypariſſus. I.

B.

B. 3. 133. Polium Theophraſti & Dioſcoridis & Arabum vermiculato folio. Col. part. 1. 54. Abrotanum fœmina. Lob. Icon. 768.

In regionibus calidioribus ſponte provenit, colitur in hortis, floret Julio & Auguſto.

Convenit qualitatibus cum Abrotano mare, uſuſque præcipui eſt in obſtructionibus Epatis, Renum & ureterum. Icterum curat, Ventris lumbricos interimit, quotidiano experimento muliercularum, tum ſemen tum herba ipſa in lacte decocta & pota. Folia ſicca ad ſiſtenda alba fœminarum profluvia conferre ſcribit Matthiolus, ſi continuis decem diebus aut pluribus, ſumantur à jejunis & deinde interpolatis diebus. Ictibus quoque ſerpentum & ſcorpionum medentur & nervos roborant. Uſurpatur hæc herba ejusque ſemen vel in ſubſtantia, in pulvere, vel in decocto.

TEUCRIUM.

Sunt folia Teucrii, C. B. Pin. utrinque hirſuta, ſuperius atro virore ſplendentia, inferius nonnihil caneſcentia, & quidem inferiora forma & magnitudine Chamædryos ſpectantur, ſerrata, ex oblongo rotunda, quæ vero virgularum faſtigia ornant, ad Hormini folia quodammodo accedunt, nequaquam per ambitum inciſa, & circa baſin latiora, in acumen deſinunt, ſaporis acriuſculi, cum amarore non ingrato.

Teu-

TEUCRIUM dicitur ab inventore Teucro.

Eſt Species Chamædryos, nempe

Chamædrys fruteſcens Teucrium vulgo. Tourn. I. R. H. cl. 4. S. 4. g. 1. Teucrium multis. J. B. 2. 290. Teucrium. C. B. Pin. 247. Chamædrys aſſurgens. Dod. Pempt. 44.

In

In Sicilia & Italia perquam familiare eſt Teucrium, colitur apud nos in hortis, floret Julio.

Teucrium ut facie Chamædryn vulgarem refert, ita & iisdem cum illa pollet viribus.

SIUM.

Sunt folia Sii, Dod. pinnatim diſpoſita, Paſtinacæ Germanicæ ſimilia, minus rugoſa, odorata, acria, amara.

SIUM, σίον à σείω quatio, quoniam ſemper fere tremit hæc planta, concuſſa a ventis: aut quod excutiendi vires habeat. Waſſer-Eppich/Froſch-Eppich/Brunnen-Peterlein/ BERLE.

Eſt planta flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante plerumque æqualibus in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum ſubrotundum, ex duobus ſeminibus compoſitum hinc gibbis & ſtriatis, inde vero planis. His notis addenda ſunt folia, per conjugationes coſtæ innaſcentia, ultimo impari claudente.

Sium ſive Apium paluſtre, foliis oblongis. C. B. Pin. 154. Sion umbelliferum. I. B. 3. 172. Sium. Dod. Pempt. 589.

In ſcaturientium fontium rivis ſtationem habet. Julio floret. Auguſto ſemen offert.

Calefacit & ſiccat. Digerit, urinas movet, renum infarctus expedit. Calculos Renum frangit & menſes evocat.

PLANTÆ SALE AROMATICO VOLATILI CUM QUIBUSDAM FIXIS CONSTANTES.

Ambroſia.

Arnica.

Fragaria.
Malabathrum.
Xanthium.

AMBROSIA.

Sunt folia Ambroſiæ Dod. ſuaveolentia, abſinthii communis magnitudine & diviſura, albicantia, lanuginoſa, ſapore aromatico amaricante non ingrato, odoris jucundi.

Ἀμβρόσια, τῶν θεῶν βρῶμα, DEORUM CIBUS dicitur, quod eum mortales non edant, vel quod, qui eum edunt, immortales evadant. Eximiæ fragrantiæ gratia etiam Diis expetita fuiſſe dicitur hæc planta. Vocatur βότρυς Ἀρτεμίσια, ARTEMISIA BOTRYOIDES, HERBA VINOSA, AMBROSIE.

Eſt planta flore floſculoſo, plurimis ſcilicet floſculis ſterilibus calice comprehenſis conſtante. Embryones autem in eadem planta oriuntur a floribus ſeparati, abeuntque in fructum clavæ æmulum & ſemine fœtum plerumque oblongo.

Ambroſia maritima. C. B. Pin. 138. Ambroſia quibusdam. I. B. 3. 190. Ambroſia. Dod. Pempt. 35.

Sponte naſcitur in maritimis Italiæ, floret Junio in hortis.

Vox

Cordialis eſt planta atque cephalica, reſolvit & roborat.

ARNICA.

Sunt folia Doronici plantaginis folio, C. B. Pin. craſſiuscula per terram ſparſa plantaginis more, quatuor, quinque ſex vel ſeptem, alia unciâm longa, aut paulo plus, alia palmum, uncia latiora, leviter in acumen deſinentia, digitalis luteæ fere forma, hirſuta.

Vires

Vox forſan corrupta ex voce Ptarmica, uti DN. FEHRIO, qui hanc plantam in EPHEM. N C. diffuſius deſcripſit, videtur, quod inſignis ipſi inſit vis ſternutatoria. Nuncupatur quoque PTARMICA MONTANA, CALTHA & CALENDULA ALPINA, ASTER LUTEUS & CHRYSANTHEMUM LATIFOLIUM ob florum quandam ſimilitudinem. Quibusdam ALISMA & DAMASONIUM audit, aliis ob ſaporem NARDUS CELTICA ALTERA dicitur. Vocatur etiam ob foliorum formam PLANTAGO ALPINA, aut DORONICUM PLANTAGINIS FOLIO. Arnick/ Johannskrauth/ Lungenkrauth/ Mutterwurtz/ Luciansfrauth/ Engelstranckkrauth/ Fallkrauth welſcher Wegerich. ARNICA, PLANTAIN DES MONTAGNES.

Eſt ſpecies Doronici, nempe

Doronicum plantaginis folio alterum. C. B. Pin. 185. Doronicum 5. Germanicum. 6. Pannonicum. Clus. Hiſt. XVIII. Aliſma Matthioli, ſive Plantago montana. I. B. 3. 1. 20.

In locis montoſis & quidem in pratis & locis humidioribus provenit. Invenitur in Alpibus &c. Noſtra quoque Alſatia hac planta gaudet. Reperitur enim in copia in valle, quæ a petra nomen habet & quidem in pratis montis, quem ab altitudine das hochfeld appellitant. Quo in loco ſuperiori anno hanc plantam cum Dn. Studioſis Commilitonibus abundantiſſime reperi. Notant authores, quod in hortos translata hæc planta culturam non admittat.

FRAGULA

Vires ejus, uti ſupra citatus FEHRIUS loquitur, ex acrimonia & virtute aromatica æſtimandæ veniunt, in caliditate & ſiccitate excedentes cum magna partium ſubtilitate, minimas etiam venarum fibras intimius permeat, easque ab obſtructione liberat, in aſthmate, in catarrho utilis, ſternutamenta ciet, menſes & urinas potenter movet, colicos & hyſtericos dolores mitigat, vaſa rupta perſanat, in exturbandis arenulis & calculo præſtans, ſudorem facile ciet & nonnunquam vomitum, ideoque in morbis chronicis & febribus diuturnis proficua, ſed in contuſionibus & caſu ab alto,

alto, wo man ſich wehe gethan/gefallen/ verrenckt/ verſtaucht hat/ pro diſſolvendo ſanguine grumoſo etiam diutiſſime in corpore deliteſcente & motum ac reſpirationem impediente, tantæ virtutis & efficaciæ,ut vix ullum ipſi facile par reperiatur ſimplex. Lapſorum quædam quaſi panacea jure meritoque deprædicanda, ſtatim enim atque aſſumpta eſt, tanto impetu fertur ad locum affectum, ſanguinisque grumoſi perrumpit latebras, ut magnos ibidem cruciatus & ſummam quandoque reſpirandi difficultatem ſuſcitaſſe obſervatum ſit, præſertim à nimia ejusdem doſi, & ubi malum hoc inveteratum & contumax; quæ tamen omnia brevi vel ſpontaneo vomitu, vel venæſectione &c. iterum ſopiuntur, cum exoptata corporis incolumitate & virium reſtitutione in integrum: ubi autem nulla maniſeſta læſio, ibi quoque nullus ab hac aſſumpta dolor. Quam virtutem præſertim diſſolvendi ſanguinem, pluribus deinde exemplis atque experimentis idem author ſuffulcit.

Uſus eſt in radice foliis & floribus, quorum doſis à pugillo. 1. ad 2. in robuſtis, in decocto atque infuſo. In vino quoque medicato infundi poteſt cum cæteris, ad plures affectus in abdomine, utero, liene & veſica. Pulvis quoque ptarmicus ex foliis & radice paratur præſtantiſſimus. Commendatur etiam in peſte pecorum.

FRAGARIA.

Sunt folia in ſingulis pediculis terna, rubo minora, venoſa, hirſuta, per ambitum ſerrata, ſuperius viridia, inferius albicantia.

Folia

FRAGULA, TRIFOLIUM FRAGIFERUM, Erdbeeren-krauth/FRAISIER.

Eſt

Eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus calyce multifido ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum fere globoſum vel ovato acuminatum, cujus placentæ modo carnoſæ, modo ſiccæ adhæreſcunt multa ſemina. His notis addenda ſunt folia terna, ſummo pediculo inſidentia.

Species ſequentes uſurpantur,

Fragaria vulgaris. C. B. Pin. 326. Fragaria ferens fraga rubra. I. B. 2. 394 Fragaria & fraga. Dod. Pempt. 672.

Fragaria fructu albo. C. B. Pin. 326. Fragaria ferens fraga alba. I. B. 2. 394. Fragum album. Tabern. Icon. 119.

Fragaria fructu parvi pruni magnitudine. C. B. Pin. 327. Fraga fructu magno. Eyſt. Capitons.

Coluntur equidem in hortis, ſed prima præſertim ſpecies, paſſim in montibus, non raro in convallibus in ſylvis ac aliis ſimiliter aliquantum umbroſis locis occurrit, floret Martio, Aprili & Majo; Junio prius ac tardius fructus maturi fiunt.

In

Folia fragariæ, quæ odore produnt ſuaviſſimum ſal volatile, abundant quoque partibus alcalinis terreſtribus fixioribus, quarum ratione ſubadſtringunt, unde ad æſtum ſanguinis temperandum faciunt, aperiunt & urinam movent. Planta eſt hepatica, hepatis dyſcraſiam curat. In affectibus Chronicis in ſpecie Cachecticis, Ictericis prodeſt. Venenis inſuper reſiſtere creditur herba. Vim porro traumaticam inſignem habet ad ulcera v. gr. crurum ſananda, ſi ſaltem per ſe contuſa applicetur. Ingreditur etiam gargariſmata. In vino rubro cocta ac aliquoties pubi & pectini impoſita album fluxum mulierum ſiſtit, & in pollutione nocturna prodeſt.

Herba totâ cum radice fructibus & floribus in hæmorrhagia narium conducit, ſi includatur ſerico rubro, & detineatur in manu ſiniſtra vel dextra eam ſedat.

Decoctum fragariæ conducit in vulneribus pectoris & ulceribus renum atque veſicæ. Venenis quoque reſiſtit; Facit etiam hæc planta ut & ejus ſuccus ad reſtiguendum ſynoviæ fluxum. Pulvis herbæ aſpergitur excoriationibus & intertriginibus. Herba maſticata ſtatim dentium dolorem tollere dicitur.

℞. Herb. fragar. m. ij. paſſul. min. contus. ℥iv. decoquantur in s. q aquæ, addi poteſt aliquid Cinamomi; valet hoc decoctum in Ictero aliisque cachexiæ ſpeciebus.

℞. Flor. centaur. minor. fol. fragar ana m. j. infundantur per tres horas, in aquæ & vini ℔iij. poſtmodum decoquantur jente ad conſumptionem dimidiæ partis. Hujus decocti ℥viij. mane bibat & ſudet Ictericus.

℞. Herbæ fragariæ m. iij. rad. liquir. raſ. ℥ß. uvar. paſſ. ℥iij. cinam. ʒj. Coq. in s. q. aqu. ſimpl. valet in tuſſi & aſthmate.

℞. Herb Fragar. cum toto, Cuſcutæ ana mj Uvar paſſul. Corinth. concis aut contus: ℥ij. ♀ alb. ℥ß. coq. in s. q. decoct. hordei ad remanentiam ℔j. in qua diſſolve Syrup. Berber. q. s. Ictericis atque febricitantibus utile exiſtit remedium.

IN OFFICINIS EXTAT.

Aqua fragariæ deſtillata, Erdbeerkrauth-Waſſer / *Eau de fraiſier.* Commendatur in ſanguinis æſtu reprimendo. Cenſetur ob virtutem diureticam calculum pellere. Ophthalmica porro eſt hæc aqua atque coſmetica, lentigines & maculas abſtergit.

MALABATHRUM.

Sunt folia ex arbore in Cambaya, ut plurimi volunt, naſcente depromta, magnitudine admodum variantia, nam aliquando

aliquando dodrante longiora proſtant, alias palmum longa, latitudine unius aut duarum triumve unciarum. Forma Laurini folii, latiora tamen & quædam rotunda fere, cui & nitore non cedunt parte ſuperiore, color enim parte inferiore eſt cineraceus. Jam vero inſignis eſt coſtarum nota, quas ternas ſemper habet, easque ſubtus quam ſupra magis extentes, mediam rectam, laterales pari ab ea intervallo abſcedentes ſinuatas, à quibus hinc inde & in margines venulæ transverſæ diſcurrunt. Si recentia ſunt, odoris dicuntur eſſe Caryophyllacei, ſaporis vero aromatici. Haud raro autem his qualitatibus deſtituuntur.

μαλάβαθρον, μαλόβαθρον, φύλλον, φύλλον ἰνδικὸν, MALOBATHRUM, MALABATHRUM, FOLIUM, FOLIUM INDUM OFFICINARUM, Indianiſch Blatt / audiunt etiam Negelblätter/ſed judice J.BAUHINO perperam. Gallis dicitur FEUILLE INDIENNE.

MALABATHRUM dicitur à MALABAR & BATHRUM folium quaſi diceres folium Malabaricum.

Nondum certum eſt, ex quanam planta proveniant hæc folia. Somniarunt quidam ea Lentis paluſtris modo aquis innatare, nulla fulta radice. Refutavit autem hanc opinionem ridiculam JOH. BAUHINUS, qui poſſedit folia ramis inſidentia ſatis magnis & mediocriter craſſis, cortice flaveſcente aut nigricante aromatico tectis, materia fagina conſtantibus. Ut adeo probabilius ſit eſſe folium Arboris; cujusnam autem arboris, nondum quoque conſtat, ſunt qui arboris caryophylliferæ folium eſſe ſed falſo ſcribunt. Alii ex Cinamomo arbore legi aſſerunt, ſed rurſus abſurde: RAJUS pluribus rationibus motus putat folium Indum officinarum eſſe Caſſiæ odoratæ, aut ſaltem Canellæ ſylveſtris Malabaricæ folium, donec BREYNIUS probet arborem hujus folii eſſe diverſam: ſed in multis exoticis multum adhuc cæcutimus.

Dicta

Malabathrum viribus cum Spica Nardi convenire dicitur, urinam

urinam potenter ciere, oris halitum emendare; veſtes ab eroſione vermium tueri fertur.

Recipiuntur hæc folia in Theriacam, Mithridatium, aliasque compoſitiones Theriacales, quoniam autem difficulter haberi poſſunt, ideoque Macis & Caryophyllorum ana partes æquales ſubſtituuntur.

XANTHIUM.

Sunt folia Lappæ minoris, C. B. Pin. Tuſſilaginis foliis quodammodo ſimilia, ſinuata, & crenata, colore Xantho, utrinque hirſuta, ſapore acriuſculo & quodammodo aromatico.

Folia hæc ſanguinem grumoſum ex contuſionibus diſcutiunt impoſita. Medentur etiam eryſipelati podagrico, mane ac veſperi applicita & tumorem egregie ſolvunt & diſcutiunt. Cancrorum ardori proſunt.

PLANTÆ SALE AROMATICO VOLATILI OLEOSO CUM MULTO FIXO CONSTANTES.

Anagallis.
Chelidonium majus.
Carduus ſtellatus.
Abies.
Thalictrum.

Alliaria.
Cardiaca.
Harmala.
Larix.
Marrubium nigrum.

Ma-

Matriſylva.
Percepier.
Ros Solis.
Stachys.
Nux.
Porrum.
Smilax aſpera.
Vulvaria.

ANAGALLIS.

Sunt folia Anagallidis officinarum Alſines mediæ ſimilia ex adverſo in caulibus poſita, ſapore fervida cum floſculis cærulei aut phœnicei coloris.

Dicta videtur vel ab ἀνὰ & γάλλος, quod reponat ſedem, vel ἀπὸ τοῦ ἀναγαγεῖν τὰς ψυχὰς, animas evocare ac elicere: magica enim eſt herba, quod in limine veſtibuli ſuſpenſa contra maleficiorum introitum pollere credatur. Gauchheyl/ Grundheyl/ Colmarkrauth/ MOURON.

Eſt plantæ genus flore monopetalo, rotato & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, mediæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam fere globoſam, per maturitatem in duas partes, quarum altera alteri incumbebat, transverſa dehiſcentem, & ſeminibus fœtam utplurimum angulatis placentæ affixis.

Ex anagallidis ſpeciebus ſequentes duæ potiſſimum ſunt uſuales.

Anagallis phœniceo flore, C. B. Pin. 252. Anagallis phœnicea mas, I. B. 3. 369. Anagallis mas. Dod. Pempt. 32.

&

Anagallis cæruleo flore. C. B. Pin. 252. Anagallis cærulea fœmina. I. B. 3. 369. Anagallis fœmina. Dod. Pempt. 32.

Anagallides creſcunt in vinetis, arvis, & hortis. Tota fere æſtate florent.

AL-

In uſum ex hac planta veniunt folia cum floribus.

Juxta TAUVRY ex hac planta elicitur ſpiritus urinoſus, oleum

oleum, terra & ſal: Sal ejus eſſentiale ſimile eſt ſali ammoniaco. Hæc herba detergit & ſubadſtringit. Vulnerarium remedium eſt egregium, pro abluendis vulneribus & ulceribus, nec non dolore in iiſdem leniendo. A quibusdam ceu ſpecificum expertiſſimum commendatur in quacunque hæmorrhagia compeſcenda, ſive appendatur ſcrobiculo cordis, ſicque menſium nimium fluxum certo ſiſtit, ſive manu detineatur, & ſic etiam ſanguinis ex vena ſecta fluxum compeſcere perhibetur. Recte e habent hac in re verba ETTMULLERI. Magnum ſane poſtulatum, de quo tamen experientia conſulenda. Imprimis ſpecifice in Mania & Melancholia atque Phrenitide laudatur Anagallis flore phœniceo, ita ut propterea etiam vocetur Vernunfftkrauth. Adhibetur autem tum ejus ſuccus, tum decoctum, tum infuſum vel cum aqua vel cum vino, tum etiam ejus eſſentia vel tinctura, quam etiam laudant in epilepſia. Externe ſpicula extrahere & podagram levare dicitur præſertim in urina decocta. Commendatur quoque in peſte & adverſus morſus animalium rabidorum Paratur autem eſſentia anagallidis juxta MICHAELEM, ex ſucco anagallidis inſpiſſato, cui ſuperfunditur eſſentia florum Hyperici. Datur pro ratione circumſtantiarum ad ʒß. &c

℞. Extract. anagallidis, extract. hyper. ana ʒß. ☍ ſucc. gutt. vj. Corall. rubr. pp. ℈j. f. bolus contra epilepſiam.

℞. Herb. anagall cum flor. Chamædryos, chamæpit. flor. Hyper. ana m. j fl. anthos, beton. ana p ij rad. helleb. nigr Jalap. ana ℥j. Hermodact. Turpeth ana ʒvj. Cremor. ♀r. ʒij. Coſt. arom. ʒiß. f. nodulus infundendus in Vino: eſt vinum antipodagricum BIERLINGII.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Aqua Anagallidis, Gauchheyl-Waſſer/ *Eau de Mouron*, quæ in ſuffuſionibus oculorum imprimis laudatur,

ALLIARIA.

ALLIARIA.

Sunt folia Alliariæ Matth. primum rotunda hederæ terreſtris modo, mox nonnullum acumen obtinentia, ſerrata, ſapore & odore Allii mitiore.

ALLIARIS, ALLIASTRUM, Knoblauchkrauth / Leuchel / Leuchelkrauth / Lauch ohne Zwieblen / ita dicta, quod folia digitis imprimis comminuta Allium redoleant, ſeu Porrum ſectivum cum Naſturtio. HERBE DES AUX, ALLIAIRE.

Eſt quædam Heſperis; Planta nimium flore cruciformi, quatuor petalis conſtante, ex cujus calice ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam longam, teretem, cylindraceam, ſepto intermedio, cui valvæ imbricatæ utrimque adhæreſcunt, in duo loculamenta diviſam, ſeminibusque fœtam oblongis, quaſi cylindraceis aut globoſis, quæ veluti nidulantur in ſcrobiculis ſepti intermedii.

Heſperis Allium redolens, Mor. Hiſt. Oxon. p. 2. 252. Alliaria, Matth. 843. & I. B. 2. 883.

Juxta ſepes, locis incultis creſcit. Vere floret.

χιλι-

Iisdem fere virtutibus gaudet ac Allium & Scordium. Vim putredini reſiſtendi & ulcera abſtergendi poſſidet. Attenuat inſuper & incidit; unde in affectibus pectoris pituitoſis conducit. Urinam ciet atque ſudorem, ſcorbuto medetur; virtute carminativa & antihyſterica gaudet. Succus verno tempore collectus, tum interne præſertim in febribus malignis uſurpatur, tum externe emplaſtris & unguentis contra gangrænam admiſcetur. Folia Tibiarum ulceribus

me-

mederi aſſeritur. Semen ad reſerandas meſenterii obſtructiones, necandos lumbricos, repurgandos renes & uterum, profligandum etiam ipſum hydropem à quibusdam celebratur.

CHELIDONIUM MAJUS.

Sunt folia Chelidonii majoris vulgaris, C. B. Pin. cum Aquilegiæ foliis ſimilitudinem aliquam habentia, utcunque tamen majora, longiora numeroque plura, tenera, colore herbaceo, altera vero parte ex cæſio viridi, guſtu amaro, graviſſimi odoris.

Folia

χελιδόνιον μέγα, quaſi diceretur HIRUNDINIS HERBA. Creditur à DIOSCORIDE Chelidoniæ nomen ſibi vindicaſſe, quod primo ſtatim Hirundinum adventu prorumpat, earumque diſceſſu marceſcat. Sunt qui tradunt, quod ſi quis ex hirundinum pullis excæcatus fuerit, matres admota herba hac illius cæcitati mederi, viſumque reſtituere. Quam ob rationem etiam vocatur HIRUNDINARIA MAJOR, HERBA HIRUNDINIS, HIRUNDININA, HERBA LUCIS. HERBA ICTERICA à virtute audit, Schöllkrauth/ Schöllwurtz/ Schwalbenwurtz/ Goldwurtz/ Gilbkrauth/ GRANDE CHELIDOINE, ECLAIRE, FELOGNE.

Eſt plantæ genus flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu ſiliquam unicapſularem, valvis feneſtræ adhærentibus, & ſeminibus fœtum utplurimum ſubrotundis.

Species uſualis eſt

Chelidonium majus vulgare. C. B. Pin. 144. Chelidonia, I. B. 3. 482. Chelidonium majus. Dod Pempt. 48.

Locis gignitur incultis, in vepribus prope ſepes inter cætera herbarum vitia, inter rudera, in parietinis muris & vetuſtis vitiis. Toto anno viret, ab Aprili menſe in multam æſtatem floret, ſiliquæ interea perficiuntur ſeminaque maturantur.

IN

Folia, quæ æque ac flores & caules croceum ſtillant lac, uſurpantur. Chelidonium abundat ſale volatili & lixivioſo, oleo ſufficienti cum terra & phlegmate. Vires obtinet attenuantes & abſtergentes, reſolventes & exſiccantes, bilem & urinam evacuat, commendatur egregie in ictero, obſtructionibus hepatis atque lienis. Pulmones ab infarctu liberat. In ictero præſertim non ſymptomatico tanquam ſpecificum laudatur. Uſurpatur autem vel ſuccus plantæ recens expreſſus, aut vino infuſus, aut ipſa planta cum radice in Vino decocta. Suadet autem ETTMULLERUS, ut ſtatim aliquod ſuperbibatur vehiculum ob plantæ acredinem. Celebratur quoque tanquam hydropicum. Virtute porro antiſcorbutica gaudere dicitur. Externe ſuccus oculis applicatur, quia autem eſt acris admodum, diluendus eſt aqua quadam appropriata, aut deſtillandus eſt, aut cum lacte, præſertim muliebri, miſcendus. Lixivium aut potius decoctum hujus plantæ in capillis flavis tingendis, & ad furfures capitis commendatur. Herba cum floribus plantis pedum ſubditur in hydrope ictero atque ſcorbuto. Succus verrucis illitus præſertim Luna decreſcente, uti volunt, illas conſumit. Externe porro Chelidonium eſt egregium vulnerarium, præſertim ſi vulnera non admodum ſint recentia. Herba quoque ſiccata ulceribus fiſtuliſque inſpergitur. Succus porro Chelidonii aut etiam planta contrita laudatur in ſcabie item in lentiginibus curandis. Vix non ejus oblitus fuiſſem, quod ſuccum Chelidonii hujus cum aceto roſaceo & vino in peſte pro ſudore eliciendo commendent quidam: ſicut WAGNER in EPHEM. NAT. CUR. Succi quoque hujus guttas tres vel quatuor aliquot cochlearibus vini albi commixtas in febribus intermittentibus laudat, ita tamen, ut æger poſt aſſumptionem ad ſudorem ſe componat.

℞. Herb. Chelid. cum toto. Abſinth. Centaur. min. ana m. j.

m. j. Chamædr: fl Calend. ana p. ij. rad. Curcum. Gentian. ana ℨj. Chin. Chin. ℨiij. flor. ſal. ammon. ℨß. f. Nodulus cum aqua & Vino, quem commendat KOENIG, ad icterum.

℞. Urin. puerorum ℔j. ⊕l. Roman. ℥iv. ſucc. Chelid. ℔iß. ſtent in digeſtione per aliquot dies & noctes, poſtmodum deſtilla pro aqua ophthalmica.

℞. H. Chelid. cum toto q. v. contundatur, & poſt aliquot dies exprimatur, ut ſuccus profluat, qui clarificatus ad mellaginem abſtrahatur addito proprio alkali Doſ. ad gtt. 30. cum vehiculo in purificatione ſanguinis, à cujus uſu, ut aſſerit HOFFMANNUS, corrupti humores fæculenti, craſſi tartarei, ſale acido fixo abundantes reſolvuntur, attenuantur & volatiles fiunt.

℞. Succ. flor. & fol. Chelidon. major. verno tempore coll. in MB. ad ſufficientem depurationem uſque digeſti, ſucc. Cancror. fluviatilium rite expreſſi ana. Mſc. & in MB. deſtilla. Conducit præſertim ad oculos læſos vulneratos & exulceratos.

IN OFFICINIS EXTAT.

Aqua Chelidonii, Schöllkrauth-Waſſer/ *Eau de Chelidoine* deſtillata ex herba cum floribus, quæ inſigniter eſt ophthalmica cutis quoque maculas & lentigines delet.

CARDIACA.

Eſt herba Cardiacæ, I. B. Marrubio ſylveſtri ſimilis folio Lupini pedis effigie diſſecto, gravis odoris.

In

CARDIACAM appellare conſueverunt, quod cordis palpitationi conferre videatur, aut quod medeatur ſic dictæ affectioni infantum cardiacæ, quæ eſt inflatio Hypochondriaca. BRANCA ſeu PATA Lu-

LUPINA, LUPIPES à foliis, LYCOPUS, wild Mutterkrauth/ Hertzgeſpannkrauth / Hertzgeſperrkrauth / Hertzkrauth / Wolffstrappen/ AGRIPAUME.

Eſt planta flore monopetalo, labiato, cujus labium ſuperius imbricatum & multo longius eſt inferiore tripartito. Ex calyce ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina, angulata, totam capſulam, quæ floris calyx fuit, ocupantia.

Paſſim ruderibus lapidoſis ac aliis incultis & aſperis locis gaudet, juxta ſepes & veteres muros reperitur, provenit in pagorum areis juxta ſemitas & prope urbium moenia; floret Junio ſqq.

Cardiaca. I, B. 3. 320 & Dod. Pempt. 94. & Lob. Icon. 516. Marrubium Cardiaca dictum. 1. Theophraſti. C. B. Pin. 230.

In uſum ex hac planta veniunt folia cum floribus. Continent lene ſal volatile ſulphureum. Vires obtinent attenuandi, diſcutiendi, aperiendi, urinam & menſes pellendi, vermes necandi & pectus à pituita liberandi partumque accelerandi. Imprimis commendantur ad palpitationem cordis & in inflatione hypochondricrum infantum, quam das Hertzgeſpann/ oder das Anwachſen/ ſed male vocant: item in cardialgia. Adhibetur tum externe tum interne. Uſurpatur quoque ad pecorum morbos.

IN OFFICINIS EXTAT.

Unguentum Cardiacum, Hertzgeſpeerr-Salb / *Onguent contre l'enflure des Hypochondres.* Frequentis uſus eſt in affectu infantum, quem cardiacum appellant. Fricant eo Hypochondria & locum cardiæ.

HAR-

CARDUUS STELLATUS.

Sunt folia radicis Cardui ſtellati ſive Calcitrapæ I. B. ſatis mollia, pedem aliquando longa, aliquantum incana, profunde in lacinias inconditas diviſa, ſaporis amaricantis.

 Juxta

Juxta TOURNEFORTIUM in hac planta dominium obtinere videtur ſal armoniacale, ſociatum portioni inſigni ſulphuris & terræ. Virtute gaudet vulneraria, aperitiva, & febrifuga. Sunt, qui aquam ex hoc carduo deſtillatam Lue venerea affectis auxiliari affirmant. Jecur item hujus uſu adjuvari volunt. Non autem tanummodo folia atque capita & flores his virtutibus gaudere videntur, ſed & ſemen ad urinæ difficultatem adhibetur, urinas enim ciere & calculos expellere fertur cum vino exhibitum. Succus hujus plantæ ad ℥ij. pluresve bibitur in febribus intermittentibus initio paroxysmi. Quem in finem foliorum ʒj. in vino albo ſuadent. Doſis ſeminis quoque eſt ad ʒj. Notandum autem quod nimius uſus mictum cruentum cauſetur.

℞. Folior. Card. ſtellat. man. j. coqu. in juſcul. carnium q. s. pro uno hauſtu, adde ♀r. Solub. ʒj. pro ſcopis prædictis.

℞. Semin. Card. ſtellat. Lithosperm. Urtic. ana ʒj. contund. & cum aqu. Lilior. alb. ℥vj. f. emulſio edulcoranda ſyrup. dialth. fernel. ℥j.

HARMALA.

Sunt folia Harmalæ Dod. oblonga; denſa, pinguia & carnoſa, ſature virentia, multifida, Napelli tenuifolii foliis non valde diſſimilia, guſtu lento gummoſo, amaro, aliquantulum tamen mordaci, graveolente & ingrato odore.

Vir-

HARMALA, ἄρμαλα, πήγανον ἄγριον, RUTA SYLVESTRIS.

Eſt planta flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante: ex cujus calyce ſurgit piſtillum quod deinde abit in fructum ſubrotundum, tricapſularem, ſeminibusque fœtum plerumque

ob

oblongis, His notis addenda ſunt folia, alterno ordine in caule poſita.

Harmala. Dod. Pempt. 121. Ruta ſylveſtris, flore magno, albo, C. B. Pin. 336. Ruta, quæ dici ſolet Harmala, I. B. 3, 200.

In regionibus naſcitur calidioribus, locis arenoſis, ſiccis & aridis. Colitur in hortis, floret æſtate.

Θάλικτρον

Virtute gaudet incidente, attenuante, digerente, exſiccante, aperitiva atque diuretica. Hujus herbæ fumo, ut JOH. BAUHINUS docet, ſingulis diebus mane multos Arabum & Ægyptiorum ſe muniunt, ad noxios ſpiritus abigendos ex vana perſuaſione. Rutæ hujus ſemen datur ad purgandam bilem atram, ſi MATTHIOLO credimus, paraturque potandum hoc modo. Conjiciuntur in mortarium ſeminis grana xv. prius clariſſima aqua abluta, & deinde ligneo piſtillo teruntur, affunduntúrque aquæ ℥iv. eodemque piſtillo aliquantiſper miſcentur. Demum linteolo percolatur cremor, cui adduntur mellis optimi ℥iij. & olei Seſamini aut Amygdalini ℥ij. & id omne propinatur melancholicis: Facit enim copioſas vomitiones. Nec eſt hoc medicamento aliud valentius ad comitiales. Scribunt Arabes hujus rutæ ſemine inebriari homines, adeo ut ſubinde diutius dormiant: id quod maxime confert.

ABIES.

Sunt Abietis fœminæ I. B folia numeroſo agmine in ramis utrinque pectinatim diſpoſita, rigidula, ſuperne viridia, glabra, inferne candicantia aut cinerea, linea viridi diſtincta ſed quam *Piceæ* latiora, molliora, læviora, minusque acuta, quædam etiam bifido mucrone donata, ſi adul-

tiores exiſtunt arbores, folia hæc rigidiora obtuſioraque redduntur.

Folia hujus arboris reſiniferæ, reſina balſamica, in receſſu acidum occultum volatile blandum habente, turgentis, uſurpantur in decocto contra ſcorbutum: imprimis, ut ETTMULLERUS docet, ubi ſcorbutus membra externa affligit, & vel arthritidem vagam, vel paralyſin notham vel contracturam partium infert. Unde ABIES ut & PICEA & PINUS κατ' ἐξοχὴν vocantur ARBORES ANTISCORBUTICÆ; propter inſignes & maxime ſtupendas virtutes, quas Abies & Pinus in cura ſcorbuti exſerit, ratione olei balſamici, alterantis acrimoniam ſalis acris ſcorbutici, & per ſudorem auſpicato illud eliminantis. Veteres parum aut nihil ſciverunt de virtute ejus antiſcorbutica, ſed ſuperioribus tantum annis illa innotuit, tunc temporis cum ULADISLAUS IV. REX POLONIÆ bellum contra Moſcovitas gereret, tunc enim morbus talis epidemicus in caſtris graſſatus fuit, in quo militibus pedum nervi ita contracti & crura contracta fuerunt, ut incedere non valuerint; ſuſpicio fuit à ſcorbuto, novum non raro morbum mentiente, oriri malum: hinc milites fuerunt curati à D. ERBENIO, tunc temporis exercitus illius Medico, per decoctum ſummitatum Pini: etiam ſimul deprehenſum poſtmodum fuit, quod tales contracturæ fuerint ſcorbuticæ; unde ad ſimiles ſcorbuticos partium externarum affectus, decoctum hoc ſtrobilorum Pini fuit adhibitum. Ab eo tempore Picea, Pinus & Abies in uſum antiſcorbuticum fuere tractæ; pro quo etiam D MICHAELIS aliique commendant nec ſine cauſa: tota enim ejus natura eſt balsamica: id quod teſtatur pinguedo & oo balsamicum, quo viret perpetua fronde; ita ut aſperrimas hyemis inclementias negligat. Uſurpatur & in corrigenda lympha acida & effectibus catarrhalibus; hactenus

ETT-

ETTMULLERUS. Specificum itaque antiſcorbuticum egregium in ſe continent & folia & ſummitates & turiones.

℞. Turionum abietis man. ij. vel iij. aq. fontan. Vini ana menſ. j. vel ij. coque in diplomate tamdiu, quam gallina arte elixatur, poſtea fortiter exprime. Hujus decocti doſis quotidie eſt ℥ij. ad ℥iij. Quia ingratius delicatulis videtur Saccharo edulcorandum eſt.

℞. Turionum abietis q. v. coq. in s. q. aq. communis per horam unam vel alteram. Colaturam inſpiſſa usque ad extracti conſiſtentiam, huic ſuperfunde ſpiritum cochleariæ & acquires Eſſentiam Abietis cujus doſis eſt ad gutt. 20. ad 30. vel 40. in convenienti vehiculo.

℞. Folior. Abietis man. x. xij. & ultra coque in aqua qu. s. pro balneo. Raræ erat olim notitiæ. ſed ſummæ utilitatis eſt medicamentum, in membris ſcorbuticis tophis & contracturis, ſi toto corpore inſideat æger, vel quoad partem affectam.

LARIX.

Sunt folia Laricis, Dod. leniter odorata, ramos confuſo ordine ambientia, è tuberculis umbilicatis duodecim aut viginti & plura nonnunquam penicilli in morem conjunctim prodeuntia, tenera, perangusta, craſſitudine porcinas ſetas æquantia, uncialia & longiora, viridantia, nec antequam, donec alia Veris initio ſuccedant, hyeme decidentia.

Folia hæc gaudent virtute adſtrictoria; in aceto decocta dentium dolorem mitigant. Folia hæc recentia in acetariiâ ſumi poſſunt contra morbos ſcorbuticos.

THALICTRUM.

Sunt folia Thalictri magni Dod. pulchre virentia, ſaturatis

turatius tincta, ſplendentia, longa, amara, ſubacria, odoris viroſi.

θάλικτρον a θάλλειν virere, quod eleganter vireat, dum germinat, frondesque emittit. RUTA PRATENSIS MAJOR. RHABARBARUM SPURIUM, PSEUDO RHABARBARUM ob radicis colorem, wilde Rauthe / groß Wieſenrauthe / geele Wieſenrauthe / Wundrauthe / Heilblatt / Kröten-Dill / Krötendiſtel / TALITRON.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus meditullio ſurgit numeroſa ſtaminum congeris piſtillum cingens, quod deinde abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur capſulæ modo alatæ, modo alis carentes, ſeminibus fœtæ ſingularibus, utplurimum oblongis.

Thalictrum majus ſiliqua anguloſa, aut ſtriata. C B. Pin. 336. Thalictrum nigrius ſemine & caule ſtriato. I. B. 3. 486. Thalictrum magnum. Dod Pempt 58.

In pratis udis & riguis trium quatuorve cubitorum altitudinem aliquando excedit.

Planta eſt vulneraria, alexipharmaca, attenuat, aperit, obſtructiones hepatis renum & veſicæ reſerat, urinam & calculum pellit. TABERNÆ MONTANUS dicit ruſticos in ulceribus glutinandis expreſſo illius ſucco abſque ope Chirurgi vulgaria vulnera conſolidare. Conducit quoque hic ſuccus in ulceribus verminantibus. Sunt qui totam plantam cunis admotam faſcinationem infantum prohibere aut avertere aſſerunt. Alii hanc plantam in conclavibus ſuſpenſam, aut de collo geſtatam fœtum in utero à variis malis præſervare contendunt. Odor hujus plantæ viroſus Epilepſia correptos excitat Folia Thalictri oleribus admixta alvum nonnihil commovent.

MAR-

MARRUMBIUM NIGRUM.

Sunt folia Marrubii nigri ſive Ballotes, I. B. foliis Meliſſæ ſimilia atrovirentia, rugoſa, fœtida, in ambitu ſerrata.

βαλλώτη, μέλαν πράσιον, MARRUBIUM NIGRUM à foliorum ſimilitudine, & á colore magis fuſco quam in Marrubio; PRASIUM FOETIDUM, MARRUBIUM FOETIDUM ab odore gravi & fœtido. Schwartz Andorn/ ſtinckend Andorn/ Andorn Weible. MARRUBE NOIR, MARRUBE PUANT, MARREQUIN PUANT, MARRUBIN NOIR.

Eſt planta flore monopetalo labiato, cujus labium ſuperius cochlearis inſtar eſt excavatum, inferius vero in tres partes diviſum media ampliori & cordiformi. Ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina oblonga, in capſula tubulata, pentagona & quinquepartita, quæ floris calyx fuit, recondita. Differt à Marrubio floris & fructus forma.

Ballote. Matth. 285. Marrubium nigrum fœtidum, Ballote Dioſcoridis. C. B. Pin. 230. Marrubium nigrum ſive Ballote, I. B 3. 318.

Secus parietes & ſepes, umbroſis locis, occurrit æſtate florens.

Ita

Planta hæc fœtida & amara, ob ſal abundans cum oleo fœtido, abſterſoria gaudet facultate. Conducit in malo Hypochondriaco & hyſterico. Gaudet virtute vulneraria, detergit & mundificat ulcera. Laudatur adverſus morſus canis rabidi ſi folia cum ſale applicentur. Multi uſum hujus plantæ internum diſſuadent. Folia porro cum melle laudantur ad hæmorrhoides. Infuſum laudatur in podagra.

℞. Fol. Ballot. man.ß. Aqu. fervent. ℔iß. ſtent in infuſione. Singulis diebus aliquot hauſtus aſſumantur.

℞. Marrub. nigr. Marrub. alb. Beton. anà p. ij. Aqu. ferv. ℔iv. f. infus: ut antecedens.

MATRISYLVA.

Sunt folia Matriſylvæ Officinarum radiatæ Rubiæ poſitu naſcentia, ſubhirſuta, cum floſculis candidis ſuave olentibus.

Ita dicta quoniam in ſylvis luxuriat, Asperula ab aſperitate. Hepatica Stellata, Waldmeiſter / Steinleberkrauth / Sternleberkrauth / Hertzfreud.

Eſt ſpecies Aparines

Aparine latifolia humilior montana, Tourn. I. R. H. cl. 1. S. 9. g. 2. Aſperula ſive rubeola montana odora, C. B. Pin. 334. Rubeis accedens aſperula quibusdam, ſive Hepatica ſtellaris I. B. 3. 718. Aſperula odorata flore albo. Dod. Pempt. 355.

Aprili, Majo, Junio, Julio in ſylvis, præſertim montium, frequens.

Nux

In uſu herba cum floribus. Gaudet ſale volatili leniter aromatico, eoque ſuaviſſimo, cum terra haud pauca. Vulneraria cenſetur, totius maſſæ ſanguineæ ſalia ſylveſtria corrigit. Vires obtinet hepaticas, obſtructiones reſerat. Menſe Majo infunditur una cum aliis herbis in Vino. Exterius in cataplasmata recipitur ad hepar calidum, tumores maturat; ad partum accelerandum plantis pedum applicatur.

NUX.

Sunt folia Nucis juglandis, ſive Regiæ vulgaris, C. B. Pin. ampla, ſeſquipalmum longa, palmum fere lata principio & mucrone anguſtiora, venis obliquis à medio nervo deductis;

ctis; cum tenera adhuc ſunt rubicantia, ſuaviterque olentia; cum adoleverint pulchre viridantia; odore jucundo fere Laureo, ſed graviori & vehementi, ſapore adſtringente.

NUX JUGLANS, Nußbaum/ NOYER.

Eſt arbor flore amentaceo, plurimis nempe foliis conſtante, axi ſquamatim affixis, quibus ſingulis ſubſunt denſo agmine apices; embryones autem in eadem arbore à floribus ſeparati naſcuntur, abeuntque in teſtam oſſeam cortice molli obvolutam, in duas carinas fiſſilem, nucleo fœtam plerumque quadripartito, cum diſſepimento ligneo.

Species ſequentes ſunt frequentioris uſus.

Nux juglans ſive Regia vulgaris. C. B. Pin. 417. Nux juglans. I. B. 1. 241. & Dod. Pempt. 816.

Nux juglans fructu maximo. C. B. Pin. 417. Nuces Caballinæ, Lugd. 320.

Nux juglans fructu tenero & fragili putamine. C. B. Pin. 417.

Nux juglans fructu perduro. Tourn. I. R. H. cl. 19. S. 1. g. 1.

Hæ arbores nullum fere reſpuunt ſolum, amant tamen loca montana, humida & frigida, plerumque lapidoſa. Paniculas ſeu Julos protrudunt Martio & Aprili. Nuces matureſcunt Auguſto & Septembri. Multos annos ſupervivunt ac mirum in modum grandeſcunt hæ arbores. Cariem vetuſtatemque non ſentiunt. Unde lignum variis utenſilibus fabricandis deſtinatur. Coluntur tum in hortis, tum in agrorum marginibus, tum aliis locis. Gelu ſæpius perduntur ſummitates harum arborum, imo integræ arbores præſertim juniores.

Vocatur

Umbram Juglandis noxiam eſſe & capiti inimicam quidam aſſerunt. Dicunt enim decubitum ſub hac arbore dolorem capitis inducere. RAJUS vero cum aliis non tantum innocuam, ſed & amoenam & ſalubrem exiſtimat, ob odorem gratum, quem folia expirant. Alias dicunt dolorem capitis, quem in umbra juglandis quis contraxit, mira ratio-

 ne

ne in ſalutiferæ. Tiliæ umbra ſanari, teſte SCHENCKIO aliisque.

De uſu foliorum ita diſſerit SIM. PAULI in Q. B. folia arboris juglandis aroma ſpirantia, calida & ſicca temperie à vulgo ſuperioris & inferioris germaniæ frequenter expetuntur, æque ac folia menthæ corymbyferæ, ad pediluvia & balnea ſanorum, quæ conſervandæ valetudinis cauſa inſtituuntur. Recordor etiam ſed incerto authore eadem mihi commendata, ſed lecta inſtante S. Johannis feſto contra podagricos dolores, ſi ex iis adhuc virentibus & modico ſale in olla vitreata, ſtratum ſuper ſtratum fiat, reponendum quotannis in cellam, ut paroxyſmi tempore ſemimarcida folia dorſo pedis, aut parti alii dolenti, cataplaſmatis in modum, adaptari queant. Sane non usque adeo inconveniens podagricis doloribus hoc euporiſton apparet, roborandi enim & diſcutiendi, minime repellendi, facultate eſt præditum.

Foliorum juglandis aqua deſtillata mire commendatur ad ſiccanda & adſtringenda ulcera, & inducendam eis cicatricem, ſi mane & veſperi inde laventur, & madidum inde linteolum imponatur, referente JOH. BAUHINO.

PERCEPIER.

Sunt folia plantæ Chærophyllo nonnihil ſimilia, ſubrotunda, tripartita fere, profunde laciniata, ad Geranii columbini folia quadantenus accedentia, licet minora, hirſutaque.

Neu-

Vocatur & Perchepier ab Anglis, mutuato nomine ex idiomate Gallico. Percepierre à virtute Lithontriptica.

Eſt ſpecies Alchimillæ, videlicet. Al-

Alchimilla montana minima. Col. part. 1. 146. Chærophyllo nonnihil ſimilis. C. B. Pin. 152. Perchepier Anglorum. I. B. 3. 2. 74. Percepier Anglorum. Lob.

Non tantum in Anglia provenit, ſed & in aliarum regionum arvis agriſque ſuapte ſponte primo Vere prorumpit.

Neutiquam, inquit JOH. BAUHINUS, Cerefolio viribus eſt ſecundum. Amaror etiam & acrimonia in eo percipitur, & paſſim valetudinis cauſa olere manditur. Vehementer & repente urinas ciet: Virtuteque quoque gaudet emmenagoga, & in ſcorbuto laudatur. Muria quoque aut aceto conditum ſervatur.

PORRUM.

Sunt folia Porri communis capitati, C. B. Pin. adoleſcentis ſemunciam circiter lata alternatim poſita, inferiore ſuperius ceu vagina aliquouſque complectente. Adultis item poſitus, ſed longitudo cubitalis, latitudo ſextantalis, forma carinata, color fere glaucus, ſapor cepaceus.

Tum

PORRUM dictum putatur, quod porro eat, & longe lateque graſſetur, ut habet SEBIZIUS. Græcis dicitur πράσον & πράσσιον & cum additamento κεφαλωτὸν, PORRUM CAPITATUM, Lauch / POIREAU.

Eſt planta flore liliaceo ex ſex petalis compoſito & quaſi campaniformi, cujus meditullium occupat piſtillum, quod deinde abit in fructum ſubrotundum, in tria loculamenta diviſum, ſeminibus fœtum ſubrotundis. His notis addi poſſunt ſtamina, quæ plerumque lata ſunt, plana in tria capillamenta deſinentia, quorum medium apice donatur, tum & flores, qui in faſciculos fere globoſos colliguntur, demum radices longæ, cylindraceæ, tunicatæ, tunicis in folia plana & quandoque carinata abeuntibus.

Porrum commune capitatum C. B. Pin. 72. Porrum. Dod. Pempt. 688. & I. B. 2. 551.

Porrum ſectivum latifolium. C. B. Pin. 72. Porrum ſectivum. Dod. 688.

Colitur in agris floret Julio, & capitatum dicitur, quod flores in caulis ſummitate collecti ſint in orbiculum.

Tum primæ ſpeciei, præſertim antequam cauleſcat, tum inprimis ſecundæ folia detonſa frequenter tanquam condimentum juſculis aliisque ferculis miſcentur. Porrum cepæ partibus conſtitutivis viribusque eſt ſimile. Calefacit, ſiccat, incidit attenuat atque aperit. Sed viribus cepæ cedit, ut docet SEBIZIUS, qui inſuper ex DIOSCORIDE monet, porrum facere inflationem, noxium creare ſuccum, tumultuoſum parere ſomnum, urinam ciere, alvum movere, oculorum aciem hebetare, menſes pellere, ſed lædere veſicam exulceratam renesque: cum ptiſana vero coctum pectoris extrahere vitia: Venerem ſtimulare.

De Porro hi extant verſiculi apud SALERNITANOS

Reddit fœcundas manſum perſæpe puellas.
Manantemque potes naris retinere cruorem,
Ungas ſi nares medicamine tali.

Promovet etiam fœcunditatem juxta HIPPOCRATEM non ſumptum modo ſed etiam foris uſurpatum in deſeſſionibus, fomentationibus &c. idque propterea, quoniam abſtergit & acredinem habet, qua uterum purgat à mucoſis humoribus, qui prohibent, quo minus ſemen maris retineatur, & ad actionem promoveatur. Hactenus modo dictus author. Laudatur porro porrum ob ſal volatile ad ſcorbutum: folia hæc contuſa imponuntur morſibus animalium venenatorum, ulcera quoque mundificant. Ad dolorem hæmorrhoidum à quibusdam commendantur. Laudantur quoque ad vocem cla-

clarificandam. Uſurpantur ad ambuſta. Succus laudatur ad Polypum narium. Deprædicatur in aurium tinnitu.

℞. Ex albedine porri minutim inciſi q. s. frige parum in ſartagine & applica ſupra partem dolentem in pleuritide.

℞. Succi porri q. s. cum pauco tartari & ceræ viridis f. ung. de quo aliquid ſæpius in naſum immittatur, in Polypo.

ROS SOLIS.

Sunt Roris Solis, C. B. Pin. folia, vel oblonga vel rotunda, pallide viridia, tenuium rubeſcentiumque ſtaminum veluti cilio circumquaque fimbriata, aſpergine rorida guttularum, etiam per ferventiſſimos æſtus pilis adhæreſcentium, madida.

In

RORIDA, RORELLA, ROS SOLIS, SALSIRORA, SPONSA SOLIS nomen inde accepit, quod quamvis ardentiſſimus Solis æſtus eam illuſtret, folia tamen ejus ſemper rore & humiditàte quadam viſcida madeant, eorumque lanugo guttulis aſperſa videatur, quæ putatitiæ guttulæ, mox veluti in exigua ſericea alba filamenta, tenacia ac gummoſa diducuntur. Græcis dicitur δροσιον, Sonnentau/ Sonntau/ ROSE'E DU SOLEIL.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus calyce tubulato ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ovatum vel acuminatum, apice dehiſcentem, ſeminibusque fœtum ſubrotundis vel oblongis. His notis addenda ſunt folia, villis aſperſa, fiſtuloſa, è quibus guttulæ quædam emanare videntur.

Ros Solis folio ſubrotundo. C. B. Pin. 357. Rorida ſive Ros Solis major. Lob. Icon. 811. Ros Solis foliis circinatæ rotunditatis. I. B. 3. 753.

Ros Solis folio oblongo. C. B. Pin. 357. & I. B. 3. 753. Rorida ſive Ros Solis & Droſion recentiorum. Lob. Icon. 811.

Exit

Exit hæc planta locis deſertis, arenoſis, apricis, ſed riguis & raro alibi quam in ipſo huminaſcente candido paluſtri muſco. Æſtte viget, Majo aut Junio floret.

σμίλαξ

In uſu eſt herba, quæ, ut volunt, colligi debet, cum cœli conſtitutio ſicciſſima ac ſereniſſima fuerit. Videtur conſtare, ut KOENIG diſſerit, humido tenaci non parum oleoſo acido & ſale volatili, id quod præprimis confirmat ejus aqua per alembicum deſtillata, utpote quæ flavo vel aureo colore dotata eſt & non parum refocillat vires, ſi per cochlearia exhibeatur. Abſtergit hæc planta, incidit, pulmonaria eſt, commendatur in Phthiſi, conferre dicitur ad arcendam epilepſiam, ad prolongandam vitam facit ex quorundam mente. Cor confortat & contra peſtem valet. Extrinſecus hæc planta dicitur partum promovere abdomini impoſita, odontalgiam ſedare in ore detenta, curare quartanam pulſibus 6. horis applicata, atque dein 6. horis aquæ impoſita, viciſſimque pulſibus applicata, idque multoties. Quidam uſum hujus plantæ internum diſſuadent ob acrimoniam. A quibusdam tamen celebratur etiam in aſthmate, calculo & hydrope. Chymici mendaces ſubtus latentem Auri mineram Rorellæ vires inſpirare ſolares fabulantur. Unde & quidam Tincturam Rorellæ cum Spiritu Vini ſimplici factam pro Tinctura Solis venditant, & contra calculum cochlear unum vel alterum exhibent.

SMILAX ASPERA.

Sunt folia Smilacis aſperæ, I. B. foliis ſigilli B. Mariæ ferè ſimilia, ſed longe craſſiora, rigida, nervoſa, ſpinis non tantum per margines horrentia, ſed & ſecundum nervos, nunc

ampla

ampla & viridia, modo anguſtiora & albis maculis conſperſa, acrimoniam aliquam habentia.

σμίλαξ τραχεῖα, SMILAX ASPERA ab aculeis, quos habet, denominatur. Vocatur etiam MILAX, HEDERA CILICIA, HEDERA SPINOSA, RUBUS CERVINUS. Schmilax/ſtechende oder ſcharffe Winde.

Eſt planta flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, cujus piſtillum abit deinde in fructum mollem, ſeu baccam ſubrotundam, ſemine fœtam, plerumque globoſo vel ovato.

Smilax aſpera fructu rubente. C. B, Pin. 296. Smilax aſpera. I. B. 115. Smilax aſpera rutilo fructu. Clus. Hiſt. 112.

Copioſe provenit in Italia, Sicilia, Gallia Narbonenſi juxta ſepes. Colitur in hortis, floret Julio & Auguſto.

σάχυς

De viribus hujus plantæ ita JOH BAUHINUS diſſerit. Folia fructusque contra venena efficacis antidoti vim habent, authore DIOSCORIDE, ſive ante, ſive poſtea bibantur. Quin & memoriæ proditum eſt, ſi quid ex his infanti recens nato tritum propinetur, nulla ei poſtea venena nocitura. Mundificat ſanguinem, ſudorem & urinam movet, hinc conducit in ſcabie & ulceribus malignis. Prodeſt in affectibus arthriticis & podagricis, in quibus magno eſt ſolatio. Multi iisdem ac Salſaparilla viribus gaudere volunt. FALLOPIUS certe cum in monte St. Juliani Piſis vidiſſet Smilacem aſperam, ſemper ea uſus eſt loco ſalſaparillæ per biennium, quo ibi fuit, felici cum ſucceſſu plurimos à Lue Venerea liberans. Ruſtici Neapolitani pro carbunculis ſecretum habent remedium ex foliis aſperæ Smilacis, ſi peſte affecto folium ea facie applicatur, quæ lævis eſt & glabra, ſtatim ex tumore materiam peccantem educit.

STACHYS.

Sunt folia Stachydis Fuchſii, I. B. Marrubii foliis longiora, lanuginoſa, molicella, per ambitum ſerrata, ſapore citra omnem morſum ſiccante, odore gravi.

στάχυς, SPICA quaſi planta ſpicata diceretur. MARRUBIUM MONTANUM, MARRUBIUM AGRESTE ſive CAMPESTRE, riechendes Andorn/ Feld Andorn.

Eſt planta flore monopetalo labiato, cujus labium ſuperius nonnihil fornicatum eſt ac erectum, inferius vero in tres partes diviſum, media cæteris ampliori. Ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina ſubrotunda, in capſula, quæ floris calyx fuit, recondita. His addenda ſunt folia villoſa & incana, qualia DIOSCORIDES tribuit ſtachydi.

Stachys major Germanica. C.B. Pin. 236. Stachys Fuchſii. I. B. 3. 319. Stachys Dioſcoridis. Lob Icon. 530.

Aſperis locis montibus ac collibus provenit, floret Junio & Julio menſibus.

Folia decocta pota expurgant pectus; Menſes & ſecundinas pellunt, abortumque faciunt.

VULVARIA.

Sunt folia atriplicis fœtidæ, I. B. ex rotunditate modice in acumen deſinentia, potiſſimum ſuperiora, in inferioribus quædam ſinuata, farinaceo pulviſculo aſperſo candicantia, odoris viroſi, intolerabilis, utpote qui vel attactu levi manus ita inficit, ut longo tempore vix poſſit elui.

Con-

ATRIPLEX GARUM OLENS, ATRIPLEX OLIDA, ATRIPLEX HIRCINA, GAROSMUM. Hanc herbam notiſſimam fecit

ſecit odor & ferme infamem, odoratu namque hircus teterque ſpiritus opplet nares, quo imbuti queruntur permulti ſe meretricum impuros loculos ſubodoratos eſſe; planeque referre odorem illum viroſum, quem proſtitutæ libidinis ſcorta ex impura colluvie congeſta ſpirant. Inde vulgo FUTUARIAM dictitant, atque autumant hac illitas veſtium muliebrium plicas canes ſagire atque arrecto veretro Veneris æſtu actos, illas amplexas cupere inire, præſertim in locis, ubi tetrius odor minus ventis difflatur. Vocatur etiam VULVARIA, CONNINA, nam redolet muliebria. Quidam ATRIPLICEM CANINAM dixerunt, quia eam ex urina canum naſci ſed falſo putabant: Audit quoque ATRIPLEX FIMETARIA. Kleine Miſtmelten/ Bockmelten/ Schamkrauth/ Mautzenkrauth. ARROCHE PUANTE.

Pertinet ad Chenopodium; Characterem vide ſis ſub Botry: eſt autem

Chenopodium fœtidum. Tourn. I. R. H. cl. 15. S. 2. g. 4. Atriplex foetida. C. B. Pin. 119. & I. B. 2. 974. Vulvaria. Tabern. Icon. 428.

Juxta parietes provenit & locis ſabuloſis, præſertim quæ lotio canum ſæpius aſperguntur. Æſtate media floret editque ſemen.

Refertur

Conducit in paſſionibus hyſtericis gravitate odoris. Umbilico etiam imponitur & clyſteribus immiſcetur. Juxta TRAGUM vermes in ulceribus putridis animantium quadrupedum natos excutit, certiſſimo experimento, ſi herba tuſa ulceribus imponatur. Sunt qui vermes ejici dicunt ſi herba ſolum adalligetur jumento.

PLANTÆ SALE AROMATICO CUM PAUCA RESINA CONSTANTES.

Abſinthium Seriphium.

 Botrys

Botrys Mexicana.
Conyza major.
Linaria.

ABSINTHIUM SERIPHIUM.

Eſt ſpecies Abſinthii, quæ colitur in hortis, alias in Gallia Narbonenſi, Galloprovincia & Languedocia creſcit. Coincidit ratione virtutum cum Abſinthio. Stomachum roborat, digeſtionem promovet, aperit, urinam menſesque ciet, virtute quoque gaudet anthelmintica.

BOTRYS MEXICANA.

Sunt folia Botrys Ambroſioidis Mexicanæ, C. B. Pin. pallide virentia, Atriplici ſylveſtris vulgaris forma ſimilia, oblonga ſinuata, pediculis oblongis donata & absque ordine caulem ambientia, odoris gravis ſed non omnino ingrati, ſaporis aromatici.

Refertur à TOURNEFORTIO ad Chenopodium, eſt nempe, Chenopodium Ambroſioides Mexicanum. Tourn. J. R. H. cl. 15. S. 2. g. 4. Botrys Ambroſioides, C. B. Pin. 138. & Append. 516. Colitur in hortis floret Julio.

κόνυζα

Hanc herbam ante aliquot annos pro herba Thée quidam venditare ſed falſo voluerunt. Interim vel ex odore colligi poteſt, illam virtute cephalica gaudere. Sicut quoque in affectibus pectoris uſurpata effectu non carebit. Cæterum cum Botry vulgari convenit.

CONYZA

CONYZA MAJOR.

Sunt folia Conyzæ vulgaris majoris, C. B. Pin. foliis verbaſci nigri ſimilia, minora, leviter crenata, odorata, ſapore acri & non nihil amaro.

κόνυζα, κονίζα, CONIZA à κώνωψ culex, quoniam odore ſuo culices fugare dicitur, βάκχαρις aut πάνχαρις PULICARIA, quoniam pulices abigit, groſſe Dürrwurtz/geele Müntze/ CONISE.

Eſt planta flore floſculoſo, plurimis ſcilicet floſculis conſtante multifidis, embryoni inſidentibus & calyce ſquamoſo plerumque cylindraceo comprehenſis. Embryo autem deinde abit in ſemen pappis inſtructum.

Conyza major vulgaris. C. B. P. 265. Conyza major Matthioli, Baccharis quibusdam. I. B. 2. 1051.

Naſcitur cæduis montanis ſylvis, muris, ſecus vias & ſimilibus locis. Floret Julio & Auguſto. Colitur etiam in hortis.

Herba cum floribus poſſidet multum olei exaltati, & ſalis volatilis, parum vero phlegmatis. Aperit menſes & urinam ciet, flatus diſcutit, putredini reſiſtit. Externe conducit in ſcabie. Culices & pulices abigit.

LINARIA.

Sunt folia Linariæ vulgaris, C. B. Pin. caulibus glabris & glaucis innaſcentia, crebra, nullo ordine poſita, anguſta, acuta, Tithymalum Cypariſſiam adeo mentientia, ut niſi lac deeſſet, difficile foret diſtinguere antequam floreat planta, ſaporem obtinentia amaricantem, falſum, odorem vero frictu Sambucum redolentem.

Juxta

LINARIA, PSEUDOLINUM ita dicitur, quoniam folia imitantur

cantur folia Lini: ὄσυρις. Flachskrauth/Leinkrauth/wilder Flachs/Scheißkrauth/ Harnkrauth. URINARIA, quoniam Urinam pellit, Nabelkrauth/ unſer Frauenflachß/ Feigwartzenkrauth/ quoniam hæmorrhoidibus medetur. LINUM BUFONUM, Krottenflachß/ LINAIRE, LIN SAUVAGE.

Eſt planta flore monopetalo, anomalo, perſonato poſterius in caudam deſinente, anterius in duo labia diviſo, quorum ſuperius bifariam inferius vero trifariam ſecatur: ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam ſubrotundam, ſepto intermedio in duo loculamenta diviſam, ſeminibusque fœtam, modo compreſſis & marginatis modo angulatis & ſubrotundis, placentæ affixis. Loculamenta autem diverſimode rumpi ſolent, & ſemina effundere.

Linaria vulgaris lutea flore majore, C. B. Pin. 212. Linaria lutea vulgaris. I. B. 3. 456. Linaria prima. Dod. 183.

Naſcitur paſſim ſecus agrorum margines & aliis locis cultis & incultis. Floret Junio, Julio & Auguſto.

In

Juxta TOURNEFORTIUM folia poſſident ſal acre, ſimile ſali naturali terræ, ſed mixtum cum multo oleo fœtido, & chartam cærulæam haud rubere faciunt. Diſcutiunt reſolvunt, gaudent vi anodyna & diuretica, aperiente abſtergente. Alvum turbant & menſes trahunt. Hepatis obſtructiones ſolvunt: Ictericos & Hydropicos curant. Decoctum Linariæ ad diſſolvendum grumeſcentem ſanguinem celebratur. In hæmorrhoidibus cæcis prodeſt Linaria, quomodocumque etiam applicetur, ſive folia ſive flores, ſive ſola ſive cum Chamomilla: fit autem decoctio in lacte & locus decocto fovetur. Herba quoque recens contuſa applicatur. Si fuerit ſicca ſacculo includitur & in lacte decoquitur. Multum laudatur, *unguentum de Linaria* ſi ſcilicet è Linaria recenti vel ejus floribus recentibus cum pinguedine porcina, vel quod melius eſt, cum butyro non ſalito in mortario plumbeo vel marmoreo, contu-

ſis,

ſis, & cum pauca camphora animatis fiat cataplaſma aut unguentum. Poterit addi vitellum ovi. Applicatur autem parti dolenti cum Lana vel Goſſypio. Tale unguentum tanti fecit WOLFFIUS Archiater Haſſiacus, uti refert ejus amicus HARTMANNUS in PRAXI CHYMIATRICA, ut tanquam ſecretum Principi ſuo LUDOVICO SENIORI HASSIÆ LANDGRAVIO toties rogatus non revelare vellet, priusquam ipſi annuatim bovem ſaginatum promitteret, qua promiſſione facta, non tantum herbam Linariam ipſi monſtravit, ſed etiam addendo verſiculum conſuetum differentiam hujus ab Eſula patefecit, nimirum quod

Eſula lacteſcat, ſine lacte Linaria creſcat,

Hoc poſtquam aſſidens hæreditarius Mareſchallus Haſſiæ JOH. RIEDESEL perciperet, per jocum verſiculum invertit, hoc modo.

Eſula nil vobis, ſed dat Linaria Taurum.

Vulgus Linariæ plantam pedum plantis applicat, & ſic quartanas abigi credit: Succus expreſſus laudatur ad delendas maculas, vulnera curanda & ulcera, ut & ad fiſtulas; ad inflammationes porro & rubores oculorum laudatur. Sudores in balneis pellit Linaria. Inſeſſu infantibus urinam retentam provocat, vulgato, ut vult SCHWENCKFELDT, experimento. TOURNEFORTIUS refert, ſe melius remedium haud noſſe in dolore à Cancro oborto, quam hanc plantam cum butyro & oleo C. C. fœtido mixtam.

℞. Herb. Linar cum florib. rec. inc. m. iij. Scarabæor. No. xij. coque in olei Lini ℔ij. fortiter & exprime: adde vitell. ovor. No. ij. Ceræ ℥iij. vel q. s. pro conſiſt. unguenti in hæmorrhoidibus cœcis.

℞.

℞. Ungu. Linariæ ℥j. adip. Ranar. ℥ß. 🝆 ovor. ℈jv. 🝆 Citr. ʒß. Mſc. applicetur cum linteis.

IN OFFICINIS EXTAT.

Aqua deſtillata ex integra planta, Flachs⸗oder Leinkrauth⸗Waſſer/ *Eau de Linaire*. Ob vim diureticam hydropicis commendatur. Virtute quoque opthalmica gaudet.

PLANTÆ SALE BLANDO CUM PAUCO VOLATILI CONSTANTES.

Galega.
Scrophularia.

GALEGA.

Sunt folia Galegæ, I. B. viciæ fere ſimilia, caulibus ſtriatis quadantenus innaſcentia, ſaporis leguminoſi.

RUTA CAPRARIA, CAPRAGO, quod capræ ea delectentur, PETECHIARIA à virtute, Geißraute/ Ziegenraute/ Geißkraut/ Peſtilentzkraut/ Fleckenkrauth. GALEGA.

Eſt plantæ genus flore papilionaceo, vexillo nempe alis & carina conſtante, ex calyce autem ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam teretem & quaſi cylindraceam, ſeminibus fœtam utplurimum oblongis & veluti reniformibus.

Galega vulgaris floribus cæruleis. C. B. Pin. 352. Galega. I. B. 2. 342. & Dod, Pempt. 548.

Galega vulgaris floribus penitus candicantibus. C. B. Pin. 352.

In uliginoſis locis, ſcrobium aggeribus, in montibus &c. provenit, Colitur in hortis, floret æſtate.

SCROPHU-

In uſu eſt herba præcipue collecta Junio & Julio. Temperata

perata eſt herba, poris, ut loquitur KOENIG, gaudens talibus, quibus facile ſal volatile efferum, acre, malignum in corpore ſeſe inſinuare poteſt, ac etiam per poros cutis diſcuti. Vires ejus prædicantur alexipharmacæ & diaphoreticæ, in morbis malignis & petechialibus variolis & morbillis. Laudatur quoque ad vermes puerorum & epilepſiam. Externe ad vermes & morſum venenatum commendatur.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Aqua deſtillata ex integra planta, Junio & Julio collecta, Geißrauten-Waſſer, *Eau de Galega*. Quæ in variolis & morbillis adhibetur.

SCROPHULARIA.

Sunt Scrophulariæ vulgaris, I. B. folia Galeopſidis majora, acuta, ſerrata atrovirentia, ſaporis amari, odoris ingrati.

Folia

SCROPHULARIA nomen habet a Scrophulis, SCROFULARIA, SCROPHULARIA NODOSA à radice, MILLEMORBIA, FICARIA, CASTRANGULA, Braunwurtz à colore, Sauwurtz/ quoniam vermes ſuum necat, Knollen oder Knottenwurtz/Knollen oder Knottenkrauth/SCROPHULAIRE.

Eſt planta flore monopetalo, anomalo, utrimque patente, plerumque globoſo, in duo veluti labia ſecto, quorum ſuperiori ſubſunt duo foliola: ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam è rotundo acuminatam, bifariam dehiſcentem, ſepto intermedio in duo loculamenta diviſam, ſeminibus fœtam utplurimum exiguis placentæ affixis.

Scrophularia nodoſa fœtida. C. B. Pin. 235. Scrophularia vulgaris & major. I. B. 3. 421. Scrophularia. Dod. Pempt. 50.

Scrophularia aquatica major. C. B. Pin. 235. Scrophularia maxima

ma radice fibroſa. I. B. 3. 421. Betonica aquatilis. Dod. Pempt. 50. Scrophulaire aquatique, herbe du ſiege.

Creſcit in locis umbroſis juxta ſæpes ac in cœmiteriis, item in ſylvis ad ripas & profluentes aquas. Floret Majo, Junio & Julio.

Folia hæc virtute gaudent reſolvente, & emolliente, detergente & vulneraria: laudantur quoque ad ſtrumas hæmorrhoidesque dolentes, cum cibo vel potu aſſumpta. Iisdem enim virtutibus ac radix pollere creduntur.

℞. Herb. Scrophul. m. iij. herb. Dipſac. m. ij. fung. roſac. No. iv. contund. f. pulvis in ſtrumis conducens, ſumatur mane & veſperi ʒj.

℞ Adip. porcin. ℔j. fol. Scrophulariæ Lamii Archangelica dicti, Digitalis purpureæ ana ℔j. coquantur donec adeps ſaturato colore viridi gaudeat, poſtea coletur & addantur Ceræ, reſinæ ana ℔ß. terebinth. ℥ij. Viridis æris ʒj. Mſc. f. emplaſt. contra Scrophulas etiam exulceratas.

In Officinis Extat.

Aqua Scrophulariæ, Braunwurtz-Waſſer / Feigwartzenkraut-Waſſer / *Eau de Scrofulaire.* Laudatur ad dolores hæmorrhoidum, conducit in ulceribus fiſtuloſis ad lentigines faciei prodeſt, ut & in ſuffuſione oculorum.

Ὀξαλις

PLANTÆ SALE BLANDO FIXO CUM QUIBUSDAM TERREIS CONSTANTES.

Acetoſa. Acetoſella.

Andro-

Androſæmum. Barba Capræ.
Ulmaria. Luteola.
Nummularia. Pervinca.
Saxifraga. Senecio.

ACETOSA.

Sunt folia Acetoſæ pratenſis, C. B. Pin. foliis Biſtortæ minora, acuminata pinnatave, ſucculenta, atrovirentia, ſapore acido.

Folia

Ὄξαλις ab acido ſapore, ὀξυλάπαθον, OXYLAPATHUM, LAPATHUM SATIVUM ACETOSUM, ACIDUS RUMEX. Ampfferkrauth/ Saurampffer. OZEILLE.

Eſt plantæ genus flore apetalo, plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtante, ex calyce hexaphyllo ſurgentibus. Piſtillum autem deinde abit in ſemen triangulare, capſula obvolutum. Hæc autem conficitur ex tribus foliis, cæteris tribus marceſcentibus.

Ex Acetoſæ ſpeciebus in uſum veniunt:

Acetoſa pratenſis. C. B. P. 114. Oxalis vulgaris folio longo. I. B. 2. 989. Oxalis. Dod. Pempt. 648. &

Acetoſa rotundifolia hortenſis. C. B. Pin. 114. Oxalis folio rotundiore repens. I. B. 2. 991. Oxalis rotundifolia. Dod. Pempt. 649. rundblätterichter Saurampffer/ Römiſcher oder Italiäniſcher Saurampffer/ OZEILLE MENUE, OZEILLE RONDE, OZEILLE FRANCHE, OZEILLE ROMAINE.

Acetoſæ florent præprimis Majo, turgeſcente ſemine Junio & Julio.

IN

Folia Acetoſæ præter phlegma acidum etiam liquorem acidum & ſpiritum urinoſum cum ſale volatili concreto, exhibent, teſte TOURNEFORTIO, unde concludit eſſe hanc

 plan-

plantam refertam ſale ammoniacali, quod phlegmati acido innatat. Addit quod videatur etiam partes nitroſas continere, quoniam ſal ejus eſſentiale, carbonibus ignitis injectum, flammam concipit, & cum oleo tartari mixtum odorem urinoſum ſpirat.

Folia Acetoſæ non tantum in uſum culinarem, ſed & Medicum cedunt. Aperit hæc planta, cardiaca eſt, ſtomachica atque hepatica. Commendatur ad ſiſtendum motum humorum nimium, auget appetitum à cruditate nidoroſa præſertim proſtratum, ſitim ſedat & putredini reſiſtit; fermentationem & ebullitionem ſanguinis corrigit, laudatut in inflammationibus & inprimis in noſtris regionibus contra ſcorbutum. Acetoſæ quoque jure non denegatur virtus alexipharmaca, nam ut hoc vel in tranſitu moneamus, plus in febribus continuis præſtamus remediis acidulis, quam tantopere, ſed absque ratione, haud raro decantatis bezoardicis volatilibus, ſpirituoſis, & urinoſis bezoardicis. Planta trita vulneri à rabido cane inflicto impoſita à quibusdam commendatur, ut & ad dolorem ulcerum vulnerumque ardentem, & ad lentigines delendas, ſi præſertim in Vino decoquatur.

℞. Herb. acetos. rec. mj. herb. Cichor. rec. herb. taraxac. rec. ana mß. Rad. Cichor. ℥ß. Inc. coque in juſculo, quod colatum ſingulis mane bibatur pro ſcopo imprimis refrigerandi.

℞. Aqu. acetos. ℥iij. Endiv. Borrag. cordial. temp. ana ℥ij. Syrup. Acetos. ℥ij. confect. alkerm. ʒij. -♎- ♀r. ad gratam aciditatem f. Julepus in febribus. ACE-

IN OFFICINIS PROSTANT.

Aqua Acetoſæ deſtillata ex foliis Saurampffer-Waſſer/ *Eau d'Ozeille*, quæ adhibetur in febribus continuis.

Con-

Conſerva Acetoſæ, Saurampffer-Zucker / *Conſerve d'Ozeille*, commendatur in febribus præſertim malignis.

Syrupus Acetoſæ, Saurampffer-Syrup / *Syrop d'Ozeille*. Sitim ſedat, bilem temperat atque refrigerat. Conducit in febribus ardentibus admixtus potiunculis julapiisque.

Sal eſſentiale Acetoſæ in quibusdam quoque locis proſtat.

ACETOSELLA.

Sunt folia Acetoſellæ Officinarum, terna, ſatis magna, latiora quam longiora, cordata, hirſuta, ex viridi flaventia, ſæpe reflexa ſapore acido.

Uſur-

Ὀξύς, Ὀξυτρίφυλλον, OXYS, OXALIS MINIMA, TRIFOLIUM ACETOSUM, TRIFOLIUM ACIDUM, dicitur à ſapore. Vocatur etiam ALLELUIA, quia floret circa feſtum Paſchatos, quo Domino Alleluja canimus. PANIS CUCULI, quoniam Cuculum hac planta delectari putabant, aut quod Oxys folia prima prodat, quando Cuculus clamitare incipit, Saurklee / Gauchklee / Guckauchklee / Haſenklee / Haſen-Roß-Buch-Ampffer / Buch-Gauch-Guckauchbrod. ALLELUJA, PAIN à COUCOU.

Eſt plantæ genus flore monopetalo, campaniformi, patente & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum membranaceum, oblongum, in quinque loculamenta diviſum, extroſum à baſi ad apicem dehiſcentia, & ſeminibus fœta, huc illuc ſæpe diſſilientibus, propter vim elaſticam calyptræ, qua ſingula ſolent involvi.

Locis gaudet memoroſis & opacis, floret Aprili ac Majo.

In uſum cedunt

Oxys flore albo. Tourn. I. R. H. cl. I. S. 3. g. 8. Oxys ſive Trifolium acidum flore albo. I. B. 2. 387. Trifolium acetoſum vulgare flore lacteo. C. B. Pin. 330. Trifolium acetoſum. Dod. Pempt. 578. Alleluja à fleur blanche.

Oxys lutea. I. B. 2. 388. Oxys ſive Trifolium acetoſum flore luteo. Dod. Pemt. 579. Trifolium acetoſum corniculatum. Alleluja à fleur jaune.

In

Uſurpantur folia, quæ multum ſalis eſſentialis, olei ac phlegmatis continent. Iisdem viribus gaudet ac acetoſa. Refrigerat, ſitim ſedat, vires obtinet cordiales atque hepaticas. In febribus ardentibus prodeſt tum ejus ſuccus, tum parata exinde juſcula & aliæ remediorum formulæ. Externe adhibetur in vulneribus & ulceribus oris: commendatur quoque contuſa in eryſipelate.

℞. Conſerv. Acetoſellæ ℥ij. Diaſcord. Frac. ℥j. Theriac. A. ℥ß. confect. alk. inc. rad. contrayerv. ana ʒj. TR. bezoard. Mich. ʒj. Nitr. ♁at. ♁. diaphor. ana ʒß. Syrup. acetos q. s. Mſc. f. elect. med. conſiſt. Conducit hoc remedium in febribus continuis, petechialibus, & malignis, aliisque pluribus venenoſis morbis tum curative tum præſervative. Uſurpatur cuſpidatim.

℞. Aqu. acetoſell ℥vj. Conſerv. acetoſell. ʒvj. ſolv. & colat. add. TR. Roſar. ℥ij. Syrup. acetoſ. ℥ß. ſucc. Citr rec. expreſſ. ad gratam acid Prodeſt ad ſanguinis æſtum ſedandum, ſitim mitigandam, vires reſtaurandas &c. Doſis cochl. 3. vel 4.

℞. Decoct. folior. Acetoſell. ℔iß. Roob ribium, rub. id. ana ℥j. Syrup. Acetoſell. ℥iij. Clyſſ. ♁. ad grat. Conducit ut præcedens.

℞. Aqu. Acetoſell. ℥vij. è typh. Cerv. ℥j. cord. temper. inc. ℥ß. rad. Contrayerv. ʒij ♁ diaphor. non edulc ℈j. TR. Bezoard. Mich. ʒj. Syrup. acetoſell. q. s. fiat mixtura cochleatim ſumenda.

℞. Fol. Acetoſell. m. j. flor. roſar. rubr. ℥ß. Aqu. fontan. menſ. j. facta unica ebullitione adde julep. roſat. ℥j Syrup. Acetos. ℥ij. ♎ ⊕l. rect. gtt. xxx. Uſurpatur pro potu ordinario. Addi poterit radix acetos. C. C. paſſulæ, tamar. &c.

℞. Fol. Acetoſell. rec. cont. ℔ß. ſacch. alb. pulv. ℔iß. Mſc. adde

adde Mithrid. ℥ij. Miſce iterum per dimidiam horam & ſervetur in olla. Uſurpatur cuſpidatim in peſte & morbis malignis & contagioſis omnis generis.

℞. ⦶ puriſſ. q. v. immitte in ♌ ⊕ q. s. ♌um evaporatione aufer, poſt cape reſidui ℥ß. ſal. eſſent. acetoſellæ ℥ß. adde ⁰₀₀i cochlear. cinam. ana gtt. vj. ſacch. cand. ℥j. Mſc. Valet contra omnes affectiones ſcorbuticas, bis in die ſumendum.

IN OFFICINIS EXTANT.

Aqua Acetoſellæ, Saurklee-Waſſer/ *Eau de petite Ozeille.*

Conſerva Acetoſellæ, Saurklee-Zucker/ *Conſerve de petite Ozeille* ou *Alleluja.*

Syrupus Acetoſellæ, Saurklee-Syrop/ *Syrop d'Alleluja.* Sanguinis ebullitiones ſiſtit, corroborat, ſitim ſedat & aphthis medetur.

Sal Acetoſellæ eſſentiale, Saurklee-Saltz/ *Sel eſſentielle de petite Ozeille.* Hepati præprimis eſt dicatum; conducit etiam in febribus ardentibus. Utplurimum autem uſurpatur ad maculas ex linteaminibus abigendas.

ANDROSÆMUM.

Sunt folia Androſæmi Dod. ād Peryclimeni folia accedentia, ſuperne atrovirentia, inferne candicantia, çum floribus Hyperici ſpecioſis, luteis, guſtu reſinoſo.

In

ANDROSÆMUM à vocibus αἷμα ſanguis & ἀνὴρ, ἀνδρὸς, quaſi diceres ſanguinem hominis, quoniam hæc planta, imprimis ſemen maturum, ſuccum ſanguineum fundit.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante: ex cujus calyce polyphyllo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu baccam fere ovatam, unicapſularem, ſeminibusque fœtam utplurimum exiguis, placentæ triplici affixis;

An-

Androſæmum maximum fruteſcens. C. B. Pin. 280. Siciliana aliis Ciciliana vel Androſæmon. I. B. 3. 384. Androſæmum, Dod. Pempt. 78.

Colitur apud nos in hortis frigoris patiens.

In uſum veniunt folia cum floribus. Gaudet hæc planta iisdem cum Hyperico virtutibus, obque inſignem vim vulnerariam vocatur etiam TOTA SANA, TOUTE SAINE.

BARBA CAPRÆ.

Sunt folia Barbæ Capri I. B. Caſtaneæ oblongä, acuminata, ſerrata.

BARBA CAPRINA SYLVESTRIS, BARBULA CAPRÆ, BARBA CAPRI FLORIBUS OBLONGIS SEU SPARSIS. Geißbart mit flatternden Blumen/ BARBE DE CHEVRE.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus calyce monophyllo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ex multis veluti vaginulis in capitulum quoddam collectis compoſitum, quæ ſingulæ ſemine turgeſcunt utplurimum oblongo.

Barba Capræ floribus oblongis, C. B. Pin. 163. Barba Capri. I. B. 3. 488. Drymopogon. 1. Tabern. Ic. 777.

Locis umbroſis & udis juxta ſepes, in ſylvis potiſſimum provenit. Floret æſtate.

ULMARIA

In uſu ſunt folia, flores & radix: coincidit in virtutibus cum Ulmaria.

ULMARIA.

Sunt folia Ulmariæ Clus. læto virore nitentia, ſerrata

nonnihil

nonnihil ſinuata, interdum vero criſpo contextu plicarum ad Ulmi folia accedentia ſapore citra morſum ſtrenue ſiccante, cum floribus ſuaveolentibus albidis.

ULMARIA ab Ulmaceis foliis dicta, BARBA CAPRÆ FOLIIS COMPACTIS. REGINA PRATI, ÆGOPOGON PRATENSE, FLABELLUM St. JOHANNIS, Geißbart/Geißblatt/Wieſenkönigin/REINE DES PREZ.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, ex plurimis vaginulis membranaceis intortis & in capitulum congeſtis compoſitum, ſemineque fœtum utplurimum ſingulari & exiguo.

Ulmaria. Cluſ. Hiſt. cxcviij. & I. B. 3. 488. Barba Capræ floribus compactis. C. B. Pin. 164. Regina prati. Dod. Pempt. 57.

Creſcit locis udis juxta flumina & ſimilia loca. Floret Junio & Julio.

In uſu folia cum floribus, ut & radix, de qua ſupra. Folia ſaporis ſunt nonnihil ſalſi. Virtute gaudent ſudorifera & alexipharmaca, laudantur in febribus malignis, dyſenteria atque diarrhœa maligna; commendantur ob virtutem vulnerariam in decoctis vulnerariis, in phthiſi, hæmoptyſi, ulceribus internis. Flores vino incocti laudantur ad quartanam. Flores hi gratum vino conciliant ſuavitatem, ita ut æmuletur vinum malvaticum.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Aqua deſtillata, Geißbart-Waſſer/ *Eau de Reine de Prez*, ex foliis cum floribus: multum laudatur in febribus ardentibus & malignis, ſcabie, Oculorum doloribus &c. Conducit quoque ad podagram.

LUTEOLA.

Sunt folia Luti herbæ Dod. antequam cauleſcat, humi

in orbem, poſt in caulibus nullo ordine crebro naſcentia, atrovirentia, ſemunciam circiter lata, palmum longa, interdum criſpa, alias æquabili ſuperficie nitentia, ſapore ſubacri cum lentore.

HERBA LUTEA á colore, PSEUDOSTRUTHIUM, FLOS TINCTORIUS, Gelbkraut / Sterckkraut / Streichkrauth / GAUDE.

Eſt planta flore polypetalo, anomalo, plurimis nempe petalis diſſimilibus conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum pene globoſum, concavum, tricuſpidem, ſeminibusque fœtum ſubrotundis.

Luteola herba ſalicis folio. C. B. Pin. 100. Lutea Plinii quibusdam I. B. 3. 465. Lutum herba. Dod. Pempt. 80.

Incultis locis, ſecus itinera & agrorum margines provenit, ubi inaruit, toto palleſcit colore. Seritur etiam pingui ac reſtibili gleba. Majo menſe floret, ſemen deinde adfert, poſtea collecta herba ſiccatur in uſum præſertim tinctorium.

Hæc herba ſive recens ſive ſiccata in aqua cum alumine decoquitur ad tingenda linamenta, aut pannos laneos, aliaque ex lana opera, colore luteo & virenti, luteo quidem candida, & nullo alio prius imbuta, virenti vero cæruleo antea tincta.

Calefacit, rarefacit, diſſipat, aperit, urinas & ſudores ciet. Contra venenoſorum animalium ictus & morſus atque peſtem commendatur, inde THERIACARIA dicta.

NUMMULARIA.

Sunt folia Nummulariæ Dod. foliis anagallidis rotundiora, & nonnihil criſpa, guſtu vehementer citra morſum ſiccante, & adſtringente.

Herba

NUMMULARIA, NUMULARIA, à foliorum forma, qua Nummi

Nummi ſimilitudinem refert, CENTIMORBIA, CENTUMMORBIA, à mirifica ſua adverſus morbos multos plurimaque ulcera medendi facultate & efficacia. HIRUNDINARIA quod paſſim terræ inſtar hirundinis affixa ſit. Sed quis hirundines unquam terræ affixas vidit, uti dicit SIM. PAULI. Pfenningkrauth / Egelkrauth / Schlangenkrauth / Natterkrauth / NUMMULAIRE.

Eſt ſpecies Lyſimachiæ, nempe

Lyſimachia humifuſa folio rotundiore flore luteo. Tourn. I.R.H. cl. 2. S. 6. g. 1. Nummularia major lutea. C.B. Pin. 309. Nummularia ſive Centimorbia. I.B. 3. 370. Nummularia. Dod. Pempt. 600.

Creſcit in campeſtribus ac locis herboſis, juxta ſcrobes & fluenta, aliaque rigua loca, ut & in humidis ſylvis à Majo menſe in multam æſtatem floret.

In

Herba hæc turget ſale aluminoſo, quia multum, ut KOENIG loquitur, phlegmatis acidi & terræ continet, & fere nihil olei & ſpiritus urinoſi, nec ſalis fixi. Quare etiam ob partes alcalinas terreſtres ſubadſtringit. Vulneraria eſt inſignis & antiphthiſica in pulmonum exulceratione, hæmoptyſi, diarrhœa dyſenteria & fluxu quovis. Eſt quoque antiſcorbutica & laudatur contra hecticam infantum & hernias. Uſurpatur in decoctis & infuſis. Adhibetur ad potiones vulnerarias. Externe quoque uſurpatur ob vim glutinandi. Ad ulcera oris & ſtomacacen coquitur in lacte caprillo. Valet etiam ad contuſa & ſugillata, ulcera mundificat, vulnera cito ſanat.

℞. Herb. Nummulariæ, m. j. coq. in Aqu. vel Vin. ℔ij. prodeſt in Hæmoptyſi, Phthiſi, alvi fluxibus, hæmorrhagiis &c.

℞. Herb. Nummul. pulv. ʒß. detur ſingulis mane adverſus hernias infantum.

℞. Succ. Nummul. ℥iß. Hauriatur ſingulis diebus mane & veſperi in decocto bellidis. Prodeſt contra Phthiſin.

IN OFFICINIS HABETUR.

Aqua Nummulariæ, Pfenningkrauth-Waſſer / *Eau de Nummulair*, ex herba cum floribus deſtillata.

PERVINCA.

Sunt folia Clematis Daphnoidis minoris flore cæruleo, C. B. Pin. Laurinis ſimilia, multo tamen minora, acuta, rigida, lævia, brevibus pediculis appenſa, ſuperne ſaturato virore nitentia, inferne dilutiore, ſapore adſtringente ſubamaro.

Planta

VINCA PERVINCA dicitur, quod humi ſerpat, & ſe in modum funiculi porrigat, vicina quæque vinciens. PERVINCA etiam ſimpliciter audit. Nominatur κλημαλὶς δαφνοειδὴς, CLEMATIS DAPHNOIDES, CHAMÆDAPHNE, quaſi planta ſarmentoſa cum Lauro ſimilitudinem habens. Sinngrün/ Jngrün/ Wintergrün/quod ſemper etiam hyeme vireat. PERVENCHE.

Eſt planta flore monopetalo infundibuliformi, quaſi hypocrateriformi, & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum, ex duabus ſiliquis conſtantem, ſemine fœtis oblongo plerumque cylindraceo & ſulcato. Pervinca flore fructuque carens dignoſcitur ſarmentis longis repentibus & foliis glabris ad Laurum accedentibus.

Species uſualis eſt

Pervinca vulgaris anguſtifolia flore cæruleo. Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ. 1. g. 6 Clematis Daphnoides minor flore cæruleo. C. B. Pin. 301. Clematis Daphnoides minor flore cæruleo ſimplici. I. B. 2 130.

Secus mœnia oppidorum & urbium nec non in ſylvis, umbroſis locis, oritur. Vere floret.

Plantă hæc colorem cæruleum mutat in rubrum, indicio ſalis aluminoſi eam participem eſſe & oleum & terram in ea abundare, ceu quæ præ ſale volatili ex ea igne extrahuntur. Virtute gaudet vulneraria inſigni, adſtringente & febrifuga. Commendatur in hæmoptyſi, hæmorrhoidibus nimiis, fluore albo, alvi fluxibus, dyſenteria. Ingreditur potiones vulnerarias. Interim nihilominus, uti HOFFMANNUS in CLAVE SCHROEDERIANA aliique teſtantur, attenuandi, reſolvendi & aperiendi pollet virtute. Hinc in menſium obſtructione in vino vel infuſa vel decocta, imminente conſueto fluxus tempore, laudatur. Externe etiam menſibus ſuppreſſis in forma peſſi applicata ſanguinem ex utero menſtruum elicit. In lactis defectu uberibus nutricis pro epithemate impoſita multam ſuppeditat lactis copiam, at dorſo contra applicata ubera lacte prorſus privat. Commendatur porro in gargariſmatibus in affectibus oris uvulæ & tonſillarum, item in angina. Superſtitioſum eſt amuletum contra incantationes. Alias celebratur etiam externe in ſiſtenda hæmorrhagia narium.

SAXIFRAGA.

Sunt folia Saxifragæ rotundifoliæ albæ, C. B. Pin. fere rotunda, criſtata, ad hederæ terreſtris folia quodammodo accedentia, pinguia.

Folia

SAXIFRAGA quaſi planta frangens ſaxa, vel quod è fiſſuris rupium erumpat, vel quod calculum frangere exiſtimetur. CALCIFRAGA, SAMPETRA RUMPISACUM SAXIFRAGA ALBA. Weiſſer Steinbrech / SAXIFRAGE, ROMPT PIERRE.

Eſt planta flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus calyce multifido ſurgit piſtillum, plerumque bicorne,

corne,

corne, quod deinde ſimul cum calyce abit in fructum ſubrotundum bicornem pariter, bicapſularem, ſeminibusque fœtum utplurimum exiguis.

Saxifraga rotundifolia alba. C. B. P. 309. Saxifraga alba radice granuloſa. J. B. 3. 706. Saxifraga alba. Dod. Pempt. 316.

Locis herboſis incultis, in montibus collibus gignitur. Majo menſe cum floribus reperitur, paulo poſt folia caulesque inareſcunt, relictis circa radicem granis, quæ tempeſtive colligenda, alioquin & evanida futura.

Folia cum floribus gaudent virtute reſolvente & detergente; urinam, calculum atque menſes pellunt. Adhibetur in balneis & ſemicupiis antinephriticis & diureticis.

IN OFFICINIS HABETUR.

Aqua Saxifragiæ, Steinbrech-Waſſer / *Eau de Saxifrage*, deſtillata ex integra planta Majo collecta.

SENECIO.

Sunt Senecionis minoris vulgaris, C. B. Pin. folia uncialia & longiora, pediculo vidua, hirſuta & veluti circumroſa, alterno poſitu naſcentia in caulibus teretibus, ſtriatis, hirſutis, ſapore gaudent aliqualiter acidulo, colore obſcure viridicante.

Planta

Ἠριγέρων, ERIGERON quaſi vernus ſenex, quod flores capillorum ritu vere caneſcant, & in lanuginem abeant, unde Latinis SENECIO. SENECIUM, HERBA PAPPA, quaſi herba papposa, Kreutzkraut / Creutzwurtz / Creutzelkrauth / Grindkraut / Baldgreiß / Griemmkraut / Speykraut. SENEÇON.

Eſt planta flore floſculoſo, plurimis ſcilicet floſculis conſtante multifidis,

tiſidis, embryoni inſidentibus & calyce monophyllo comprehenſis. Embryo autem abit deinde in ſemen pappis inſtructum, quo tempore calyx deorſum inverti ſolet.

Senecio minor vulgaris, C. B. Pin. 131. Senecio vulgaris ſive Erygeron. I. B. 2. 2. 1041. Senecio ſive Erygeron. Lob. Icon. 225.

Naſcitur paſſim in hortis, in agris ſecus vias, ſylvoſisque gaudet & arenoſis. Vere florere incipit, floresque per totam æſtatem producit, alias hyberno quoque tempore viret.

ALLIUM

Planta hæc, ut docet KOENIG, acido ſapore nonnihil pollet, & conſpicue cæruleum mutat in rubrum, ceu & igne præter acidum copioſum multum olei & terræ largitur, nullum autem ſal volatile concretum. Emollit, humectat, refrigerat, aperit, gaudet vi traumatica. Conducit in obſtructionibus meſenterii hepatis, aliorumque viſcerum, laudatur in Ictero, atrophia, malo iſchiadico &c. Virtute gaudet anthelmintica & antepileptica, quem in finem tum ſuccum adhibent, quem ad ℥ij. usque propinant, tum aquam per deſtillationem prolectam. Ad tormina quoque ventris ſedanda dicitur eſſe efficax, unde etiam HERBA TORMINALIS audit. Succus Senecionis ejusdemve decoctum cum uvis Corinthiacis aut melle leniter purgat per vomitum. Veterinarii hunc ſuccum præbent equis verminantibus. Laudatur etiam in præſervatione à morbis peſtilentialibus. Herba hæc præſertim deorſum decerpta menſium negotium promovere fertur. Juxta SCHWENCKFELDT folia hyeme inter acetaria recipiuntur. Salivam cient maſticata. Conducunt extrinſecus in mammarum inflammationibus. Coquuntur vel in lacte vel cum butyro, teruntur & applicantur. Phlegmonum initiis & Eryſipelatibus conducunt. Hæmorrhoidibus valde dolentibus prodeſt Senecio. Ad inflammationes teſti-

teſtium in maribus, & partium genitalium in mulieribus conducit: laudatur ad dolores colicos & iliacos, ad furfures, tineam capitis & ſcabiem totius corporis, in pellendo calculo & movenda urina. Commendatur in podagra, læſione nervorum, vulneribus & ulceribus, clavisque pedum. Amuleti vice febrim fugare dicitur. Laudatur quoque in dolore dentium, præſertim à ſtomacace proveniente. Singularis & ſuperſtitioſus forte muliercularum mos eſt, cum vident infantem atrophia, ut appellant faſcinata, laborantem commendare lavacrum ex hac herba ad abſtergendas ſordes.

PLANTÆ SALE AROMATICO OLEOSO PENETRANTISSIMO CUM AAIDO VOLATILI CONSTANTES.

Allium Urſinum.
Barbarea.
Beccabunga.
Cardamindum.
Coſtus Hortorum.
Dracunculus eſculentus.
Eruca.
Lepidium.
Naſturtium aquaticum.
Naſturtium pratenſe.
Porrum ſectivum.
Trifolium fibrinum.

ALLIUM URSINUM.

Sunt folia Allii Urſini latifolii Lob. læto virore ſplendentia,

tia, ſtriata, tenera, ſeſquipalmum longa, in acumen deſinentia, duas uncias lata, odore vehementi Allii, & guſtu fervido.

ALLIUM SYLVESTRE BIFOLIUM, ALLIUM NEMORENSE, ALLIUM OPHIOSCORODON, Wald-Knoblauch/ Bär-Knoblauch/ Ramſeren/ Rampen/ AIL D'OURS.

Allium ſylveſtre latifolium. C. B. Pin. 74. Allium urſinum bifolium, vernum ſylvaticum. I. B. 2. 565. Allium Urſinum latifolium. Lob. Icon. 159.

In ſylvis umbroſis montium occurrit, invenitur etiam juxta aquas. Floret Majo.

Folia recentia cum piſcium ſalſamento in condimentum veniunt. Alias ſymbolizat cum Allio ſativo hæc planta, & ad venena efficacior cenſetur.

BARBAREA.

Sunt folia Barbareæ, I. B. Raphani minora, lacinia extrema Naſturtii folium extremum æmulante, atro virore ſplendentia, ſaporis acris.

HERBA St. BARBARÆ, SCOPA REGIA, HERBA CARPENTARIORUM, CARPENTARIA, NASTURTIUM HYEMALE, Winterkreßen/ Senffkrauth/ Waſſerſenff/ St. Barbenkrauth/ HERBE AUX CHARPENTIERS.

Eſt ſpecies Siſymbrii, nempe
Siſymbrium Erucæ folio glabro, flore luteo Tourn. I. R. H. cl. 5. S. 4. g. 7. Eruca lutea latifolia ſive Barbarea. C. B. Pin. 98. Barbarea, I. B. 2. 868. & Dod. Pempt. 712.

In campeſtribus paſſim naſcitur: Majo, Junio & Julio floret.

ἀνα-

In uſum vix cedit, convenit interim virtutibus cum Na-

ſturtio: à quibusdam in acetariis adhibetur: Semen laudatur ad calculum, ſicuti herba & flores ad ſcorbutum.

BECCABUNGA.

Sunt folia Beccabungæ Officinarum rotunda, pinguiuſcula, atrovirentia, plus minus longa, crenata, ſaporis quadantenus acris, amari & ſtyptici.

ἀναγάλλυς ἔνυδρος, ANAGALLIS AQUATICA, VERONICA AQUATICA, BERULA, Bachbungen/ Waſſerbungen/ Bachbohnen/ Laachlangen/ Waſſer-Gauchheil/ Pfünde. BECCABUNGA.

Pertinet hæc planta ad Verònicam

Sequentes ſpecies ſunt in uſu potiſſimum.

Veronica aquatica major folio ſubrotundo. Mor. Hiſt. Ox. p. 2. 322. Anagallis aquatica major folio ſubrotundo. C. B. Pin. 252. Berula ſeu Anagallis aquatica Tabern. Icon. 719. Anagallis aquatica folio rotundiore major. I. B. 3. 780.

Veronica aquatica minor folio ſubrotundo. T. I. R. H. cl. 2. S. 6. g. 4. Anagallis aquatica minor folio ſubrotundo. C. B. Pin. 252. Anagallis aquatica flore cæruleo, folio rotundiore minor. I. B. 3. 790. Beccabunga minor.

In reſedibus exit, aquis & circa fontes ac rivorum & fluviorum margines. Majo, Junio, Julio & Auguſto flores ſemenque profert.

In uſum veniunt præſertim folia. Planta hæc temperata, ſucculenta & inſipida quandoque eſt, ſed in receſſu habet ſal blandum ſubtiliſſimum acidulum, involutum magnæ quantitati olei & terræ. Attenuat, lenit, humectat, emollit. Antiſcorbutica eſt egregia: temperat medicamenta antiſcorbutica calidiora. Urinam pellit, calculum & fœtum mortuum ejicit, menſesque ciet. Laudatur quoque, tanquam vulneraria, contra tumores ſcorbuticos pedum, in ſcabie, contractura

tractura membrorum, & ulceribus præſertim tibiarum. Maculas quoque ſcorbuticas delet, & ori gingivisque ſcorbuto laborantibus medetur. Ad acetaria quandoque adhibetur; alias uſurpatur in juſculis. Succus quoque ejus expreſſus hauritur. Succus hic cum ſucco cochleariæ & plantaginis mixtus, facta depuratione & mitigatione in furno, è quo panis recens extractus eſt, antihydropicum conſtituit remedium juxta WILLISIUM.

CARDAMINDUM.

Sunt folia Naſturtii Indici majoris, C. B. Pin. peltata, circinatæ fere rotunditatis, ſæpe latiora, quam longiora, nonnunquam & Hederæ modo anguloſa, ſuperne glabra, inferne brevi lanugine hirſuta, ſaporis & odoris Naſturcini.

Planta

CARDAMINDUM quaſi CARDAMUM INDUM, NASTURTIUM INDICUM ob ſaporem, alias cum Naſturtio nullam plane habet convenientiam. NASTURTIUM HISPANICUM, ACRIVIOLA. Indianiſcher Kreſſen / Spaniſcher Kreſſen/ CAPUCINE.

Eſt plantæ genus flore polypetalo anomalo, ex quinis nempe petalis diſſimilibus, in inciſuris calycis naſcentibus, conſtante. Piſtillum autem ſurgit è fundo calycis in caudam deſinentis, abitque deinde in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur ternæ utplurimum capſulæ, ſubrotundæ, ſemine fœtæ ejusdem formæ.

Cardamindum minus & vulgare. Tourn. I. R. H. cl. xI. s. 2. g. 6. Naſturtium Indicum majus. C. B. Pin. 306. Naſturtium Indicum folio peltato ſcandens. I. B. 2. 175. Naſturtium Indicum. Dod. Pempt. 397. PETITE CAPUCINE

&

Cardamindum ampliori folio & majori flore. Tourn. l. c. Viola indica

dica ſcandens, Naſturtii ſapore maxima odorata. H. L. Bat. GRANDE CAPUCINE.

Colitur in hortis, floret æſtate.

Planta hæc cum floribus uti ſapore ita & principiis atque viribus eſt ſimilis Naſturtio. Laudatur in ſcorbuto & ſcabie. SIMON PAULI in Q. B. hæc de Naſturtio hoc refert. Recordor inquit, à quopiam fide digno, ex America reduce, inſtar ſecreti mecum fuiſſe communicatum adverſus contumacem & malignam ſcabiem, itemque vulnera recentia præſtans oleum, nempe quod ex Naſturtio Indico per ſimplicem infuſionem paratur. Utuntur floribus & foliis in acetariis. Condiuntur quoque muria flores, antequam expandantur, inſtar florum Capparis.

COSTUS HORTORUM.

Folia ſunt Coſti Hortenſis, I. B. herbaceo colore palleſcentia, Lepidii æmula, odore intenſo, agerati ſapore vehementer amaro.

Vocatur alias MENTHA CORYMBIFERA à diſpoſitione florum & odore. HERBA S. MARIÆ, BALSAMITA, COSTUS HERBA. Frauenmüntz / Marienmüntz / Mergenmüntz / Pfannkuchenkrauth. COQ OU HERBE DU COQ.

à TOURNEFORTIO ad Tanacetum refertur.

Tanacetum hortenſe foliis & odore menthæ, H. L. Bat. App. Menthæ hortenſis Corymbifera. C. B. Pin. 226. Mentha Corymbifera ſive Coſtus hortenſis. I. B. 3. 144.

Colitur in hortis, floret Auguſto.

DRACUN-

De hac planta KOENIG ita diſſerit. Balſamita ſale aromatico & volatili foeta & abrotanum æmulans, aperit, attenuat ac

ac proin menſes movet, in pediluvio vel ſuffitu vaporoſo uſurpata. Auxiliatur etiam aliis uteri affectibus; Medetur quoque hydropicis, præſertim anaſarca laborantibus. Tineas & lumbricos necat, id quod etiam præſtat ejus ſemen.

Folia tenera cum butyro & ovis frixa, gratum præbent edulium ſtomachicum: ſunt, qui folia tenui pulticula illita frigunt patellis in oleo aut butyro, & iis in cibis utuntur. Tota planta ſerpentes odore fugat, & eorum venenis reſiſtit.

℞. Summit. menth. Corymbif. ℥vj. Galang. ℥ß. Cinam. ʒiij. Macis ʒij. Spir. Vin. Anis. ℔ij. Spir. Sal. ʒij. ſtent. in infus. per tempus. Doſis Cochlear. j. in ſtomachi cruditatibus flatulentis, colica, paſſione hyſterica &c.

DRACUNCULUS ESCULENTUS.

Sunt folia Draconis herbæ, Dod. Lini folia æmulantia, atrovirentia, ſplendida, indiviſa, ſaporis, acris aromatici, cum quadam dulcedine grata, odoris haud ingrati.

DRACUNCELLUS, TARCHON, Ταρχον, TRAGUM, DRACO HERBA, ACETARIA. Dragun/Zittwerkrauth/Kayſers-Salat/Eſtragun. ESTRAGON.

Eſt, TOURNEFORTIO notante, ſpecies Abrotani, nempe Abrotanum Lini folio acriori & odorato. Tourn. I. R. H. cl. 12. ſ. 3. g. 3. Dracunculus hortenſis. C. B. Pin. 98. Dracunculus hortenſis ſive Tarchon. I. B. 3. 148. Draco herba. Dod. Pempt. 709.

In hortis colitur, & tota æſtate in multum autumnum viget.

ERUCA

Herba hæc incoquitur brodiis, eſtúrque cum acetariis. Additur quoque, & non abſque gratia, cucumeribus viridibus nondum maturis, dum condiuntur. Utiliter additur

Lactucæ & Portulacæ, ut vim illorum vegetabilium refrigerantem corrigat. Calefacit, inquit SEBIZIUS, & ſiccat evidenter. Incidit, aperit, attenuat, concoctionem juvat, menſes & urinas educit, orexin mire excitat, ſtimulatque venerem: quia acrimoniæ particeps: à peſte præſervare dicitur & cordi robur addere.

ERUCA.

Sunt folia Erucæ ſativæ Dod. foliis ſinapi albi minora tenera, glabra, ſaporis acris, urentis, ſpecifici, odoris validi & ingrati & vix non fœtidi.

ERUCA dicitur ab erodendo, guſtata namque os & linguam ſatis acriter vellicat. Alii, ut habet J. BAUHINUS, ſic appellatam punant, quod urendi licentiam nanciſcatur, quaſi URUCAN; εὔζωμος, quia jura commendat & ſuavitatem condiendis obſoniis parit. Vocatur etiam RUCHETTA vel ROQUETTA ITALORUM: Raucke/ Ruckette/ weiſser Gartenſenff/ Rauckenkrauth/ ROQUETTE.

Eſt planta flore cruciformi, quatuor petalis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu ſiliquam, ſepto intermedio, cui valvæ utrinque adhæreſcunt, in duo loculamenta diviſam, ſeminibusque fœtam utplurimum ſubrotundis. His notis addendus ſapor Erucæ proprius.

Ex pluribus Erucæ ſpeciebus in uſum potiſſimum venit.

Eruca latifolia alba ſativa Dioſcoridis. C. B. Pin. 98. Eruca major ſativa annua flore albo ſtriato. I. B, 2. 859. Eruca ſativa, Dod. Pempt. 708.

Colitur in hortis.

λεπί-

Gaudet hæc planta ſale volatili acerrimo, unde ſpiritum partium excitat imprimis genitalium, juxta verſum

Excitat

Excitat ad venerem tardos Eruca maritos.

Hinc etiam ſalaces vocat Erucas OVIDIUS inquiens;

Erucas jubeo vitare Salaces.

Cæterum calefacit, mictionem ſollicitat, concoctionem promovet, alvum turbat. Uſurpatur in acetariis, & inprimis frequens ejus uſus eſt apud Italos. Prodeſt Phlegmaticis, nocet Cholericis, exſuccæ conſtitutionis hominibus: nimis per ſe comeſta capitis dolorem infert. Referenda merito etiam hæc planta inter herbas antiſcorbuticas. MATTHIOLUS laudat decoctum Erucæ in pertinaci infantum tuſſi.

LEPIDIUM.

Sunt folia Lepidii latifolii, C. P. Pin. mali Citreæ foliis ſæpius majora, in ambitu crenata, rigida, ex viridi in luteteum vergentia, ſaporis acris aromatici, inſtar Sinapios atque Piperis.

λεπίδιον vel à λεπίζειν, quod acrimonia ſua ſoleat urere, vel quod λεπίδας ſeu maculas faciei abſtergat & curet. PIPERITIS à ſapore. Pfefferkrauth/ PASSERAGE.

Eſt planta flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum lanceiformem, ſepto intermedio, cui valvæ utrinque adhæreſcunt, in duo loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum utplurimum oblongis.

Lepidium latifolium. C. B. Pin. 97. Lepidium Pauli. I. B. 2.940. Lepidium Plinii. Dod. Pempt. 716.

Colitur in hortis. Vere folia prodeunt, floret Junio & Julio.

In uſum cedunt folia pro uſu culinari frequentius, quam pro

pro uſu Medico. Sal in Lepidio dominans affine eſt ſali ſalſo ſeu terræ foliatæ tartari , quod tamen unitum eſt ſali volatili oleoſo. Laudatur Lepidium, ut remedium inſigne ſtomachium antihypochondriacum, & antiſcorbuticum. Ventriculum calefacit, appetitum ciborum excitat, flatus diſſipat, craſſos glutinoſosque humores atque cibos extenuat & incidit, vermes necat, urinam & menſes provocat. Maſticantur autem folia vel comeduntur, vel vino infunduntur, & ſimul hauriuntur. Frequentiſſime autem condimentum ſunt cum ſale & aceto appoſita. Eduntur præcipue cum carnibus aſſis. Externe ad veſicatoria & phœnigmos uſurpantur, item ad tineam curandam, & ad faciei maculas, fœdasque cicatrices eluendas. Radix Lepidii, uti ex aliis docet SEBIZIUS, ſingulare dicitur eſſe remedium mulieribus ægre admodum parturientibus. Laudatur quoque hæc radix æque ac folia, cum butyro vel axungia veteri mixta, contra dolorem iſchiadicum pro ſinapiſmo.

NASTURTIUM AQUATICUM.

Sunt folia Naſturtii aquatici ſupini, C. B. Pin. glabra viridia & atrovirentia, Erucæ facie, ſapore Naſturtii hortenſis mitiore.

Analyſi

NASTURTIUM AQUATICUM dicitur, quoniam in limpidiſſimorum fontium rivulis, aliisque locis, puras habentibus aquas, creſcit. NASTURTIARIA, σισύμβριον ἕτερον, SISYMBRIUM, SION CRÆTEVÆ ERUCÆ FOLIO, Brunngreſſen/ Waſſergreſſen/ CRESSON D'EAU, CRESSON DE FONTAINE.

Eſt planta flore cruciformi, quatuor petalis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu ſiliquam, ſepto intermedio, cui valvæ utrinque adhæreſcunt, in duo loculamenta

diviſam

diviſam, ſeminibusque fœtam utplurimum ſubrotundis. His notis addenda eſt facies quædam propria.

Siſymbrium aquaticum. Matth. 487. Naſturtium aquaticum ſupinum. C. B, Pin. 104. Siſymbrium Cardamine ſive Naſturtium aquaticum. I. B, 2. 884.

Naſturtium hoc lætiſſimum, naſcitur in puteorum parietibus, & circa piſcinas & ſtagna: Floret Julio Auguſtoque. Viret perpetuo. In

Analyſi Chymica exhibet hæc planta multum acidi & multum alcali, parum ſpiritus urinoſi, & ſulphuris & multum terræ. Calefacit, vim habet ſiccandi, attenuandi, aperiendi atque incidendi In tumido liene, hydrope, tartaro aliisque morbis pulmonum, phthiſi, aſthmate, ſpecifice in ſcorbuto, quartana, aliisque febribus intermittentibus, malo Hypochondriaco, item arthritide ſcorbutica, & omnibus morbis à viſcoſo ſanguine oriundis etiam pleuritide prodeſt. Urinam ciet. Calculum pellit, renibus & veſicæ medetur, menſes movet ad depurandam maſſam ſanguineam maxime commendatur. Unde in juſculis haud raro aſſumitur per aliquot ſeptimanas. Nempe vel ſuccus exprimitur, & ad cochlear unum, duo, tria in juſculo ſimplici vel cancrino ſingulis mane aſſumitur. Vel conſcinduntur folia & in juſculum fervens projiciuntur, removendo ſimul ab igne juſculum, poſtmodum juſculum poſt aliquod tempus colatur & hauritur vel ſolum, vel additis aliis pro neceſſitate rebus. Valet ad atrophiam ſcorbuticam. Lumbricos etiam latos necat. Vim quoque poſſidere dicitur contra philtra. Externe cum aceto naribus illitus arcet vigilias. In nephritide contuſa & calide applicata herba proficua eſt, per noctem impoſita ſcabritiem cutis & fœditatem delet. Ad puncturas inſectorum & crabronum commendatur. Ulcera ſordida mundificat. Cataplasma ex hoc Naſturtio ſingulare dicitur eſſe remedium

 in

in tumore muliebris pudendi in gravidis, ante partum & in puerperis poſt partum. Quidam cum additione fermenti, per fermentationem, exinde parant ſpiritum. Alii autem cum ſpiritu vini deſtillant. Frequenter Naſturtium pro acetario offertur præſertim menſibus hybernis; cum ſale oleo pipere & aceto.

℞. Succ. Naſturtii aquat. ℥iij. Syrup. papav. rh. ℥ij. ſpir. C. C. ʒiij. Mſc exhibeatur cochleatim in pleuritide.

℞. Ol. Amygdal. dulc. ℥iij. ſucc. naſturt. aquat. ℥ij. ſpirit. ſal. Armon. ʒß. Uſurpatur eodem modo.

℞. Naſturt. aquat. flor. papav. rh. flor. Chamom. meliſſ. rec. ana mß. Lumbric. terreſt. No. 60. Balſam. Peruv. ʒß. Vin. generoſ. ℔ß. 🝆 olivar. vel Amygd. dulc. ℔j. Coqu. omnia ad vini conſumptionem, de colatura ſumatur ter quotidie cochleare unum ex juſculo. Eſt oleum anticolicum in Helvetia familiare.

IN OFFICINIS EXTAT.

Aqua Naſturtii ex planta integra, Brunnkreßen-Waſſer / *Eau de Creſſon de Fontaine*, quæ laudatur in ictero, febribus intermittentibus, aliisque ſupra dictis morbis. In defluvio capillorum pro lotione capitis commendatur.

CAR-

NASTURTIUM PRATENSE.

Sunt folia Naſturtii pratenſis, C. B Pin. duplicia, inferiora ſcilicet per terram ſparguntur rotunda, ex longis & tenuibus pediculis in quatuor, quinque, aut ſex foliola rotunda diviſa, ad coſtam per intervalla adhærentia: ſuperiora vero, quæ in caule ſunt, quaterna aut quina, ſine pediculis cauli annexa, in tenues portiunculas, quinas, ſeptenas &

ter

ter denas ad coſtam usque diſſecta, ſaporis Naſturtii aquatici.

CARDAMINE à Cardamo, quaſi planta ad Cardamum ſeu Naſturtium accedens; NASTURTIUM PRATENSE, FLOS CUCULI, IBERIS, Gauchblum/ Wilderkreß / Wießenkreß/ CRESSON DE PREZ, PASSERAGE SAUVAGE.

Eſt plantæ genus flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu ſiliquam, ſepto intermedio, cui valvæ utrimque adhæreſcunt, in duo loculamenta diviſam, ſeminibusque fœtam plerumque orbiculatis. His notis addi debet, valvas per maturitatem helicis in modum revolvi, & ſemina cum impetu excutere.

Cardamine pratenſis magno flore purpuraſcente. Tourn. I. R. H. cl. 5. s. 4. g. 5. Naſturtium pratenſe magno flore. C. B Pin. 104. Iberis Fuchſii, ſive Naſturtium pratenſe ſylveſtre. I. B. 2. 889. Flos Cuculi. Dod. Pempt 592.

Cardamine pratenſis magno flore albo. Tourn. l. c. Naſturtium pratenſe magno flore prorſus albo. C. B. Pin. 104.

Cardamine pratenſis magno flore pleno. Tourn. l. c. Naſturtium pratenſe flore pleno. C. B. Pin. 104. Iberis Fuchſii, ſive Naſturtium pratenſe flore pleno. I. B. 2. 889. Cardamine pleno flore altera. Cluſ. Hiſt. CXXIX.

Naſcitur incultis locis circa itinera & prata, riguis præſertim & humectis locis. Verno tempore apparet, Aprili potiſſimum menſe & Majo, duratque ad æſtatis initia.

PORRUM

Et principiis & viribus cum Naſturtio aquatico concordat, ſed imbecillius agit.

PORRUM SECTIVUM.

Sunt Porri ſectivi juncifolii. C. B. Pin. folia juncea, fiſtuloſa cepæ adoleſcentis, ſeſquipalmum aut dodrantem etiam alta, ſaporis & odoris cepacei & porracei.

PORRUM SECTILE, PORRUM TONSILE, eo quod coma frondens adhuc ad terram usque reſecari ſoleat, inque cibaria & obſonia addi. Schnittlauch/ PORETTE.

Eſt ſpecies Cepæ, & quidem

Cepa ſectilis junci folio perennis. Moris. Hiſt. Oxon. part. 2. 383. Porrum ſectivum juncifolium. C. B. Pin. 72. Porrum ſectivum & Schænopraſum quibusdam. I. B. 2. 553. Schænopraſum. Dod. Pempt. 689.

Porrum ſectivum non niſi ubique obvium. Diu viget ac plurimis annis reſtat, hyemis ac frigoris patiens.

Folia hæc ad obſonia & condimenta præſertim uſurpantur. Immittuntur variis juſculis, imo acetariis. Alias virtute reſpondet Cepis & Porro.

TRIFOLIUM FIBRINUM.

Sunt folia terna Trifolii paluſtris majoris, C. B. Pin. magna, fabaceis forma & magnitudine reſpondentia, ſaporis acris admodum, inſtar piperitidis aut naſturtii, & amari, odoris olidi.

Con-

TRIFOLIUM PALUSTRE, AQUATICUM TRIFOLIUM CASTORIS, TRIFOLIATA PALUDOSA. TRIFOLIUM ANTISCORBUTICUM, MENYANTHES. Biberklee / Waſſer= oder Sumpff=Klee/ Scharbocks=Klee/ Dreyblatt/ Dreykohl/ MENIANTHE, TREFFLE DE CASTOR.

Eſt planta flore monopetalo infundibuliformi & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum, ſeu teſtam utplurimum oblongam, bivalvem, ſeminibus fœtam ſubrotundis.

Menyanthes paluſtre latifolium & triphyllon. Tourn. I. R. H. cl. 2. s. 1. g. 2. Trifolium paluſtre majus. C. B. Pin. 327. Trifolium majus. Tabern. Icon. 520. Trifolium paluſtre. I. B. 2. 389.

Naſcitur uliginoſis ac paluſtribus locis, ſterili ac macro ſolo aqua-

rum

rum tamen affluxu ſemper madente; extra aquam citiſſime flacceſcens. Floret Vere.

IN

Continet hæc planta ultra liquorem acidum, ſal volatile concretum, ſatis terræ & multum olei; adeo ut probabile ſit, juxta ACAD. REG. SCIENTIAR: PARIS: Sal illius eſſe Sal ammoniacale involutum ſulphuri & terræ copioſæ. Aperit incidit, roborat, craſſos & tartareos humores, in ventriculo, pulmonum bronchiis, hepate, liene, pancreate &c. ſtabulantes incidit, digerit & abſumit, viſcera reſerat, & virtute ſua balſamica roborat. Egregium remedium eſt aſthmaticum, Hypochondriacum & cachecticum. Febres & icterum tollit. Convenit in obſtructione menſium, imo in plurimis morbis Chronicis, præſertim, in quibus acidum & acido viſcida cacochylia, ob [illegible] bilis vel ejusdem inopiam, regnat. Laudatur quoque in Hydrope & arthritide vaga. Imprimis vero celebratur tanquam excellens antiſcorbuticum, ex mente quorumdam, ipſi cochleariæ præferendum. Et certum eſt, hanc plantam egregie maſſam ſanguinis depurare atque corrigere. Valet contra atrophiam ſcorbuticam, prodeſt in ſcabie aliisque morbis cutaneis. Ad Paralyſes à colluvie ſeroſa ortas deprædicatur. In podagra quoque ipſa effectum ediſſe tradunt.

Folia trifolii fibrini extus in gargariſmis, cum vino vel aqua factis, ad putredinem gingivarum ſcorbuticam tollendam, dentium mobilitatem auferendam, eosque figendos & immobiles reddendos atque conſervandos laudantur; in balneis ad artuum reſolutionem ex ſcorbuto natam adhiberi poſſunt. Et cum Trifolium hoc citra morſum exſiccet & abſtergat, ſuccum hujus expreſſum ad ulcera curatu difficilia Tibiarum in

ſcorbuticis, maxime ſi inflammatione careant, commendantur. Ruſtici pecoribus ſuis tuſſientibus hoc trifolium exſiccatum vel pulveriſatum exhibent, indeque ea novos pulmones, novaque jecinora nanciſci dicunt. Valet quoque in fiſtulis aliisque ulceribus & vulneribus.

Datur vel in pulvere ad ℈ß. ℈j. ʒß. ʒj. & ultra, in infuſo vel decocto cum aqua, juſculo aut ſero lactis ad manip. unum aut alterum. Poterit quoque hæc planta hauriri inſtar fumi Tabaci ad Catarrhos. Quæ de foliis hic dicta ſunt, alii radici quoque & ſeminibus tribuunt, ſed rarioris ſunt uſus.

℞. Trifol. fibr. m. iij. Rad. Enul. Raphan. ruſtic. ana m. j. herb. Vincetox. flor. bugloſſ. ana m. j. Inc. & cont. infund. in ſeri lactis calidi menſ. v. Doſis quotidie ter ad ℥vj. ad ℥viij. in hydrope & ſcorbuto.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Eſſentia Trifolii fibrini, ex herba, Biberklee-Eſſentz/ *Eſſence de Menianthe* ou *treffle de Caſtor.* Colore viridi elegantiſſima Tinctura virtutes obtinet inſignes antiſcorbuticas atque deoppilativas, unde & in malo hypochondriaco obſtructionibusque Lienis commendatur; Datur ad guttas triginta & ultra.

Spiritus Trifolii fibrini, Biberklee-Spiritus/ *Eſprit de Treffle de Caſtor.* Antiſcorbuticus eſt egregius. Datur ad gtt. x. xv. xx. & ultra. Exterius conducit in affectibus oris a ſcorbuto enatis.

PLANTÆ SALE VOLATILI ACRI CONSTANTES ABSQUE OLEO VOLATILI.

Clematitis Sylveſtris. Clematitis ſurrecta.

Clematitis,

Clematitis, flammula. Erica.
Heliotropium. Iſatis.
Nerium. Pulſatilla.
Ptarmica.

CLEMATITIS SYLVESTRIS.

Sunt folia Clematitidis ſylveſtris latifoliæ, C. B. Pin. Dulcamaræ æmula, alias integra, alias dentata & fimbriata, guſtu acria, viticulæ mediæ tortili, qua capreolorum loco vicinis arboribus implicita ſcandit, annexa.

CLEMATITIS, κληματῖτις ἀπὸ τῶν κλημάτων, à flagellis, quæ emittit: SARMENTARIA ex eadem cauſa dicitur. VIORNA ab uſu urendi vulgo vocata, VITALBA. Lienen quibusdam Waldreben. CLEMATITE, HERBE AUX GUEUX.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, quaternis ſcilicet petalis plerumque conſtante, & calycis experte; ex floris meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur ſemina, in tenue capillamentum quaſi plumatum deſinentia.

Clematitis ſylveſtris latifolia, C. B. Pin. 300. Clematis latifolia dentata. I. B. 2. 125. Vitalba. Dod. Pempt. 404.

Ad ſepes & rudera reperitur paſſim ſponte proveniens, vicinis arboribus & ſepibus ſeſe implicans; Julio menſe floret, fructus, plumis ſuis incaneſcentes, Autumno dependent.

Guſtus fervidus & acris calidam vim arguit. Urendi vim habet, veſicas excitat, atque exulcerat. Unde Mendici malitioſi ea abuntuntur, ut cutim ulceroſam oſtentant. Nihilominus à DIOSCORIDE folia contuſa laudantur ad lepram. TRAGUS laudat radicem in aqua & vino decoctam, cum-

cum addito ſale ad hydropem: Bene autem notat CHOMEL, ejusmodi remediis eſſe abſtinendum.

CLEMATITIS SURRECTA.

Sunt folia, Clematitidis ſive flammulæ ſurrectæ albæ, I. B. ſarmentis nullius opis indigis, ſed ſurrectis innaſcentia, oblonga, acuminata, cujusmodi fere in vulgari flammula, averſa parte ſubhirſuta, incana, adversa vero atrovirentia, ſaporis acris & adurentis.

FLAMMULA, FLAMMA SURRECTA, FLAMMULA JOVIS, Brennwurtz/Blatterwurtz.

Clematitis ſive flammula, ſurrecta alba. I, B. 2. 127. Flammula recta. C. B. Pin. 300. Flammula altera. Dod. Pempt. 40.

Sponte naſcitur in montoſis Helvetiæ & Germaniæ; colitur in hortis; Floret Julio & Auguſto.

FLAM-

Ex flammula juxta MATTHIOLUM, aqua elicitur, quæ eadem, qua ipſa herba pollet, acrimonia, quamque in morbis frigidiſſimis commendat. Flammula quoque veſicas excitat & carnem exulcerat. Adeoque intus non debet adhiberi, quamvis ſint, qui eam quartanariis edendam præbeant. Alii ejus oleum commendant iſchiadicis, articulorum doloribus, urinæ anguſtiis & renum calculis, in quibus morbis aut calidum illud inungunt, aut clyſteribus infundunt. Id autem præparant hoc modo; flammulæ folia tenuiſſime conciſa in oleum roſaceum imponunt, & inſolant obturato vaſe. Folia carpo impoſita veſicas excitant & multis contra odontalgiam prodeſt. Uſurpantur quoque in febribus peſtiferis. Tumores ſuppuratu difficiles cataplasma ex flammula contuſa cum oleo tum maturat, tum aperit.

CLEMATITIS

CLEMATITIS ſive FLAMMULA.

Sunt folia Clematitidis ſeu flammulæ repentis, C. B. Pin. oblonga, rigida, averſa parte ſubhirſuta & fere incana; adverſa vero atrovirentia, à Vitalba ſive Athragene longitudine, anguſtia & ſoliditate differentia, ſaporis admodum acris & adurentis.

FLAMMULA dicitur, quod contuſa applicata veſicas flammæ inſtar excitet; CLEMATIS URENS, FLAMMULA ADMINICULIS EGENS. Brennwurtz/Blatterzug.

Pertinet ad Clematitidem; eſt nempe Clematitis ſive flammula repens. C. B. Pin. 300. Clematis ſive flammula ſcandens tenuifolia alba, I. B. 2. 227. Flammula. Dod. Pempt. 404.

Hinc inde reperitur ad ſepes & arbores quas ſcandit.

Acris & valde calida, veſicas excitat, imo cauſtica eſt & cutim carnemque exulcerat.

ERICA.

Sunt folia Ericæ vulgaris glabra, C. B. Pin. in virgultis numeroſis, lignoſis, duris, ramoſis, colore ſpadiceo præditis, vel in nigro rubeſcentibus, frequentia, ſemper virentia, quatuor verſiculis ſquamatim incumbentium foliolorum minimorum conſtantia, ut ſuperne deorſum inſpicienti cruces continuæ videantur, ad Cupreſſum & Tamaricem accedentia, quæ temporis ſucceſſu in ramulos efformantur.

Cale-

Ἐρείκη παρὰ τὸ ἐρείκειν à multiplici foliorum inciſura, ERICE, MYRICA HUMILIS, Heyde/ Heydekrauth/ Heyden. BRUYERE.

Eſt plantæ genus flore monopetalo campaniformi, è cujus fundo

ſurgit

ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum utplurimum ſubrotundum, quadrifariam hiantem & in quatuor loculamenta diſtinctum, ſeminibusque fœtum utplurimum exiguis.

Erica vulgaris glabra. C. B. Pin. 485. Erica vulgaris humilis ſempervivens flore purpureo, I. B. 1. 354. Erica. Tabern. IIII.

Erica vulgaris glabra flore albo. C. B. Pin. 485. Erica vulgaris humilis ſempervirens flore albo. I. B. 1. 354. Erica alba. Tab. IIII.

Erica Myricæ folio hirſuta. C. B. Pin. 485. Erica Myricæ folio tomentoſis & incanis foliis. Clus. I. B. 355. Erica foliis tomentoſis & incanis. Clus. Hiſt. 41.

Planta hæc plusquam notiſſima in aridis campeſtribus, collibus & ſylvis provenit.

Ἡλιο-

Calefacit, ſiccat, in Lienis affectibus, ut habet SCHWENCKFELDT, calculo & colica commendatur. Experimento MATTHIOLI, aqua, in qua vulgaris Ericæ folia decocta ſunt, ſumpta tepide, tam mane quam veſperi, per triginta dies ℥v. pondere tribus horis ante cibum, valet ad veſicæ calculos comminuendos & expellendos. Verum id felicius ſuccedere idem notat, ſi poſt id tempus male affecti in balneum decoctionis Ericæ ingredi, atque ibidem morantes ſuper Ericam decoctam ſedere jubeantur, idque pluries repetatur. Addit idem author ſe noviſſe aliquos, qui ſervata victus ratione, hujus tandem potu veſicæ calculos in minimas partes comminutos ejecerunt. *Quis hoc credat?* uti bene exclamat RAJUS. Additur etiam Erica balneis ad ſudorem ciendum, inſeſſibus itidem podagricorum & paralyticorum. Succus Ericæ ruborem oculorum tollit & dolorem mitigat quin & colica laborantibus utiliter exhibetur, teſte TRAGO:

Ovium gregibus Erica hyberno tempore pabulum præbet, & ignibus fovendis inopia lignorum inſervit.

Docente RAJO, SCOTI MONTANI pro lecto ſæpe

ſub-

ſubſternunt Ericam, radicibus deorſum, frondibus ſurſum verſis: adeoque ſcite hac ratione lectos concinnant, ut mollitie cum plumis certent, ſalubritate longe ſuperent. Erica enim naturali ſiccandi vi prædita, ſupervacuos humores exhaurit, nervisque eorum moleſtia liberatis ſuum vigorem reſtituit, ut qui veſpere languidi & feſſi decubuerint, mane vegeti & alacres reſurgant.

HELIOTROPIUM.

Sunt Heliotropii majoris Dioſcoridis folia amara, ad ramulorum exortum & per ipſos diſpoſita, Ocymi foliis paria, ex rotundo oblonga, nervoſa, ex viridi incana, hirſuta, cum floribus ramoſis, albis, parvis, foliolis lanuginoſis obſitis, quorum florum racemus ſpicatus cacumen in ſe Scorpionis caudæ inſtar contorquet.

Juxta

Ἡλιοτρόπιον dicitur ab ἥλιος Sol & τρέπω verto, quod hæc planta ad Solis motum convertatur, ſeu, ut ait DODONÆUS, quod æſtivo ſolſtitio floreat, quo tempore Sol longiſſime ab æquinoctiali circulo digreſſus ad ipſum rurſus converſionem faciat; aut quod flos hujus Sole Oriente & Occidente aperiatur & claudatur. Alii ἡλιοῦρον, CAUDAM SOLIS vocant, eo quod, ut animal caudam, ita Sol hanc herbam trahat. Appellatur porro SOLSEQUIUM, HELIOSCOPIUM, HELIOSTROPHIUM. Vocatur quoque CAUDA SCORPIONIS, SCORPIOIDES ab inflexu ſpicæ florum; HERBA VERRUCARIA, HERBA CANCRI à virtute. Sonnenwend / groſſe Krebsblum / Scorpionkraut / Scorpionſchwantz / Wartzenkraut. HERBE AUX VERRÜES.

Eſt plantæ genus flore monopetalo infundibuliformi, centro ſtellæ in modum corrugato, & in decem partes alternatim inæquales ad oram inciſo: ex calyce autem ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, & quatuor veluti ſtipatum embryonibus, qui deinde

 abeunt

abeunt in totidem ſemina, hinc angulata, inde gibba, quæ in calyce ipſo matureſcunt.

In uſu quidem potiſſimum eſt

Heliotropium majus Dioſcoridi. C. B. Pin. 253. Heliotropium majus flore albo. I. B. 3. 604. Heliotropium. Dod. Pempt. 70.

Sed & altera ſpecies uſurpari poteſt

Heliotropium minus ſupinum. C. B. Pin. 253. Heliotropium minus quorumdam ſive ſupinum. I. B. 3. 605. Heliotropium ſupinum Dod. Pempt. 70.

Utrumque Heliotropium paſſim fere provenit, in campis, ſecus vias, circa ædificiorum areas, aridis item & ſcabuloſis locis.

Ἰσάτις,

Juxta JOH. BAUHINUM verrucas, Myrmecias & thymos aſtricta valenter adimit hæc herba. Efficaciſſima eſt adverſus carcinomata & ulcera gangrænoſa, ad quæ magno admodum ſucceſſu eo utuntur Chirurgi, qui plantam & ejus vires compertas habent. Heliotropio herba formicæ necantur obturatis ea earum foraminibus. Si Scorpionis cavernula (ut quidam memoriæ prodiderunt) Heliotropii ſurculo circumſcribatur, nunquam is foras egredietur, impoſita vero herba protinus illum emori ajunt. Folia ex roſaceo illita capitis dolorem mulcent. Epotum foliorum decoctum, una cum cumino, renum calculos pellit & frangit, & inteſtinorum animalia necat. Sicuti autem MATTHIOLUS totam plantam, ita LOBELIUS ſemen ad tumores ſtrumoſos, verrucas, & ulcera phagædenica magni eſſe experimenti docet.

Quatuor ſemina Heliotropii maximum ſunt remedium contra quartanam, ſi a quartanario ante acceſſum cum vino bibantur. Fabulam olet, quod Heliotropio vis credatur ineſſe cujusvis favorem conciliandi.

ISA-

ISATIS.

Sunt folia Iſatis ſativæ Dod. ad Cynogloſſum accedentia, nonnihil glauca, oblonga, glabra, quædam etiam hirſuta, amara & adſtringentia.

Ἰσάτις Ἰσάτις ἥμερος, GLASTUM SATIVUM, ISATIS DOMESTICA, Weyd/ Weid/ zahmer Weid/ PASTEL, GUEDE.

Eſt planta flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum lingulatum, ad oram compreſſum, bifariam dehiſcentem, unicapſularem, & ſemine fœtum utplurimum oblongo.

Iſatis Sativa vel latifolia. C. B. Pin. 113. Iſatis ſive Glaſtum ſativum. I. B. 2. 909. Iſatis ſativa. Dod. Pempt. 79.

Iſatis ſylveſtris vel anguſtifolia. C. B. Pin. 113. Iſatis ſive Glaſtum ſpontaneum. I. B. 2. 909. Iſatis ſylveſtris. Dod. Pempt. 79.

Sylveſtris locis incultis & pinguibus provenit, prior autem ſpecies ſeritur in lætis & pinguibus agris. Utraque floret Majo & Junio.

NERION

Hæc herba inſervit præprimis Tinctoribus ad pannos tingendos & lanas. Quando nempe extima folia flaveſcunt, demetitur, & ad molam defertur, & molendo comminuitur tamdiu, donec in globulos formari apta ſit. Globulos hos craticulis vimineis imponunt ad exſiccandum, cumque penitus ſicci evaſerint, molæ iterum ſubjiciunt, & in pulverem, quam poſſunt, ſubtilem, comminuunt. Pulveriſatum in area complanata ſeu tabulato in acervum componunt, & copioſa aqua affuſa irrigant ſeu madefaciunt, donec concaleſcat & vaporem emittat, adeoque per plures ſeptimanas calentem & effumigantem ſinunt, ut paulatim maceretur & matureſcat, humore aqueo evaporante. Ad calorem autem moderandum, ne nimis invaleſcat, per tres

quatuorve hebdomadas pala quotidie verſant , mucedinem autem inter exſiccandum & canitiem contrahit , quam iterum deponit , antequam plenam maturitatem adipiſcitur, perfectum ſaccis inferciunt & divendunt. Glaſtum non ſolum colorem cæruleum de ſe præbet , verum aliorum fere omnium colorum baſis & fundamentum eſt , ut docet RAJUS.

Planta eſt Sale volatili refertiſſima , uti id oſtendit WEDELIUS de SALE VOLATILI PLANTARUM. Digerit & ſiccat. Conducit in tumoribus abſumendis, vulneribus glutinandis & ſanguinis profluviis ſiſtendis. Laudatur quoque ad hernias. Decocta in vino vel aqua, vermes necat ſanguinem purificat , & lienoſis prodeſt , ictero que medetur.

NERIUM.

Sunt folia Nerii acuta, longa, unciam circiter lata , rigida, dura, craſſa, ſuperiore parte atrovirentia , ut Lauri folia , inferne magis propter aſperſas hinc inde maculas albida, exſucca.

Ne-

NERION dicitur a νὴ & ἔραμαι, quaſi inamabilis herba. Alii á Nereidibus Nymphis nomen impoſitum eſſe volunt. Alii ἀπὸ τοῦ νὴ ῥεῖν quod corpus minime fluidum reddat. RHODODAPHNE dicitur à flore Roſæ ſimili, & à foliis Laurinis. RHODODENDRON ſeu ROSEA ARBOR quoque audit. LAURUS ROSEA, OLEANDER, ROSAGO etiam appellatur Nerion / Unholden=krauth / Roſenbaum / Loorbeerroſen / NERION, LAURIER ROSE.

Eſt arbuſcula flore monopetalo veluti infundibuliformi multifido. ex cujus calyce ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum teretem, ex duabus veluti ſiliquis compoſitum, ſemine fœtis pappis inſtructo.

Ne-

Nerion floribus rubeſcentibus. C. B. Pin. 464. Nerion ſive Rhododendron flore rubro. I. B. 2. 141. Oleander Laurus roſea. Lob. Icon. 364.

Nerion floribus albis. C. B. Pin. 464. & Lob. Icon. 365. Nerion ſive Rhododendron flore albo. I. B. 2. 141.

Colitur Nerion in hortis floretque æſtate.

PTAR-

Nerium interno uſu hominibus pecudibusque eſt venenum. Intolerabiles excitat anguſtias. Intumeſcit venter, ſubſequitur univerſi corporis inflammatio, omnisque humidi extinctio. Antidota hujus veneni ſunt oleum Amygdalarum dulcium, lac, butyrum, decoctum caricarum pinguium, radicis althææ, aliarumque mucilaginoſarum rerum, ad involvendam acrimoniam veneni hujus corroſivi aptarum. Externe vero folia contuſa applicata reſolvunt, & contra morſus animalium venenatorum laudantur.

PULSATILLA.

Sunt Pulſatillæ purpureæ cæruleæve, I. B. folia Paſtinacæ ſylveſtris ſimilia, ſed minora, tenui diviſura pilisque reſpondentia, ex pediculo longiori palmari circiter admodum villoſo & propter terram ſubrubente appenſa odoris acris & admodum nares ferientis, dum digitis conteruntur, guſtus acerrimi.

Analyſis Chymica, ut KOENIG refert, plurimum acidi largitur, ut & ſulphuris & terræ, parum ſalis fixi, nullum vero ſal volatile concretum. Calefaciunt folia, incidunt, attrahunt, digerunt, expurgant & exulcerant. Debentur, monente TRAGO, magis externis quam internis corporis partibus. Commendantur ad calculos, gangrænam, putrida vulnera, papulas, mariſcas, verrucas & maculas. Folia exterius

terius appoſita veſicas excitant, unde in febribus proſunt. Plantis pedum quoque admoventur. Veterinarii ad ulcera rebellia equorum hanc plantam uſurpant. VALENTINI ſpiritum, dicente ſupra dicto KOENIG, abſtractitium in ſcorbuto & impuritate ſanguinis & aquam deſtillatam in quartana in Hydropem abeunte laudat.

PTARMICA.

Sunt Dracunculi pratenſis longo ſerrato folio, C. B. Pin. Draconis eſculenti foliis ſimilia, argutis, aſperiuſculisque denticulis circumquaque ſerrata, atro virore ſplendentia, ſapore acri & fervido Pyrethri mitiore.

PTARMICA, πταρμικὴ ab effectu nomen habet, DRACO SYLVESTRIS, TANACETUM ALBUM, weiſſer oder ſpitzer Rheinfarn/ wilder Bertram. PYRETHRE SAUVAGE.

Eſt planta flore radiato, cujus ſcilicet diſcus ex plurimis floſculis, corona vero ex ſemifloſculis conſtat, embryonibus inſidentibus & calyce ſquamoſo comprehenſis. Embryones autem deinde abeunt in ſemina tenuia, His notis addenda ſunt folia vel denticulata, à millefolii inciſuris aliena.

Ptarmica vulgaris folio longo ſerrato flore albo. J. B. 3. 147. Dracunculus pratenſis ſerrato folio. C. B. Pin. 98. Draco ſylveſtris ſive Ptarmica. Dod. Pempt. 710.

Creſcit in pratis ut & arvis incultis aliisque locis ſaxoſis. Floret Junio, Julio, Auguſto.

Vocatur

Herbæ ſiccæ pulvis naribus ſi immittatur, ſternutationem ciet, id quod etiam præſtant flores. Eundem effectum quoque exerunt folia recentia, contrita & naribus indita. Folia hæc recentia tenera Lactucis aliisque acetariis admiſcentur, partim ob guſtus gratiam, partim ob temperandam eorum frigiditatem.

PLANTÆ

PLANTÆ SALIBUS FIXIS SEU AMARIS CONSTANTES CUM PAUCO VOLATILI SALE.

Acmella.

Chelidonium minus.
Blattaria.
Dens Leonis.
Jacobæa.
Lauroceraſus.
Perfoliata.
Sonchus lævis.
Tertianaria.

Carduus Hæmorrhoidalis.
Crithmum.

Buxus.
Gentiana cruciata.
Lamium.
Parnaſſia.
Scandix.
Sonchus aſper.

ACMELLA.

Sunt folia plantæ cujusdam Ceylanicæ foliis Lamii aut Urticæ longiora, & acriuſcula.

Vocatur ACMELLA, ATTMELLA, ATMELLA, HACMELLA, ACEMELLA, ADMELLA,
à VOLCKAMERO refertur ad Bidentem, & vocatur.
Bidens Urticæ folio Lithontriptica Ceylanica, Volckam. Eph. Nat. Cur. d. 3. anno 7 & 8. Cannabina aut Bidens Urticæ folia Indica Lithontriptica. Pet. Hotton Act. Phil. Angl. Chryſanthemum Zeilanicum Acmella dictum, ſeu Bidens Zeilanicum flore luteo, Lamii folio, Breyn.
Naſcitur in Inſula Ceylan, ibidemque familiaris eſt.

Commendatur ad dolores Nephriticos demulcendos & calculos renum & veſicæ comminuendos & expellendos, & urinam pellendam. Folia lecta, antequam flores prodeunt, in umbra ſiccata & in pulverem comminuta, dantur in convenienti vehiculo, aut aquæ calidæ infunduntur; bibiturque ita infuſio inſtar infuſionis herbæ Thée; infunduntur & in ſpiritu vini, paratur etiam per deſtillationem ſpiritus ex radice caulibus & ramis.

Flores, radices, extractum, & ſal in pleuritide colica & febribus deprædicantur.

Fabulam olet, quod ſcilicet lapides cum hac herba maſticati emolliantur, atque diſſolvantur. Id quod jam BREYNIUS, qui peculiarem de hac planta diſſertationem edidit, agnovit.

CARDUUS HÆMORRHOIDALIS.

Sunt folia Cardui repentis folio Sonchi, C. B. Pin. longa, viridia, ſuperius albicantia, inferius nigricantia, profunde inciſa, aculeis non adeo rigidis dotata.

Ca-

Vocatur à quibusdam CARDUUS SEGETALIS, CARDUUS AVENARIUS, Haberdiſtel/ Ackerdiſtel / CHARDON AUX ASNES.

Eſt ſpecies Cirſii.

Cirſium autem eſt plantæ genus, flore floſculoſo, plurimis ſcilicet floſculis conſtante multifidis, embryoni inſidentibus, & calyce ſquamato non aculeato comprehenſis. Embryo autem deinde abit in ſemen pappis inſtructum. His notis addenda ſunt folia aculeis mollibus munita.

Cirſium arvenſe Sonchi folio radice repente, flore purpuraſcente. Tourn. I. R. H. cl. 12. ſ. 2. g 5. Carduus vinearum repens Sonchi folio. C. B. Pin. 377. Ceanothos Theophraſti. Col. part, 1. 46.

Cirſium

Cirſium arvenſe Sonchi folio radice repente caule tuberoſo. Tourn. l. c. Carduus vinearum repens, Sonchi folio, floribus albis caule tuberoſo, qui Hæmorrhoidalis Pariſienſium, H. R. Par.

In agris abundat & vineis, item inter ſegetes, præſertim Avenam. Floret Julio & Auguſto.

Capitula hujus Cirſii ſiccata, in pera geſtata, dicuntur prodeſſe ad hæmorrhoides cæcas. Alii eligunt tubercula in caule enata, à puncturis inſectorum dependentia, & induſio illigant. Ipſa planta gaudet virtute aperitiva & diuretica.

CHELIDONIUM MINUS.

Sunt folia Chelidoniæ rotundifoliæ minoris, C. B. Pin. longis pediculis, ex lato principio, coloris carnei, ſenſim in anguſtum vireſcens deſinentibus, aliquatenus hederacea, ſed molliora, minora, rotundioraque, nervoſa, ſplendentia, ſaporis herbacei.

Herba

χελιδόνιον μικρὸν, SCROPHULARIA MINOR, quod ſcrophulis & ſtrumis medeatur. FICARIA HERBA, quoniam ad hæmorrhoides tumentes & dolentes ad ficus & mariſcas utilis. TESTICULUS SACERDOTIS à forma radicis, HERBA ANTISCORBUTICA à virtute dicitur. Kleinſchölkrauth/ klein rundblätterich Schwalbenkrauth/ klein Feigwartzen oder Feigblätterkrauth/ Biberhödlein/ Pfaffenhödlein/ Scharbockskrauth. PETITE CHELIDOINE, PETITE SCROFULAIRE.

Inter ranunculos recenſetur

Ranunculus vernus rotundifolius minor. Tourn. I. R. H. cl. 6. s. 7. g. 3. Ranunculus latifolius. Lugd. 1036. Chelidonia rotundifolia minor. C. B. Pin. 309. Scrophularia minor, ſive Chelidonium minus vulgo dictum. I. B. 3. 468.

Gignitur, uti SCHWENCKFELDT loquitur, ubique, uli-

ginoſis

ginoſis tractibus, in pratis hortis & limitibus humidis. Circa Martii calendas oritur, paulo poſt floret; Aprili deficere incipit. Majo integre perit.

Herba ſaporis eſt herbacei absque acrimoniæ ſenſu, teſte TOURNEFORTIO, juxta alios vero acris ad cochleariam accedentis; ſed notandum quod non omnibus locis pari acredine prædita proveniat. In humido enim loco nata adeo non acris eſt juxta JOH. BAUHINUM, ut commanducando ſæpe nullam prorſus ſentias acrimoniam. In ea autem planta, quæ locis ſiccis provenit, ſenties & amaritudinem & acrimoniam, ſenſim tamen guſtum erodentem. Eſt Hepatica, ſplenetica & antiſcorbutica, ſuccus exhibetur tempore verno ad corrigendam maſſam ſanguineam; ad dentium putredinem ſcorbuticam conducit. Si Capra Chelidonio minore & naſturtio aliisque antiſcorbuticis nutriatur, lac ejus multum celebratur in Scorbuto, Arthritide & Phthiſi. Deprædicatur quoque contra hæmorrhoidum vitia. Uſurpantur autem vel folia contrita vel ſuccus expreſſus, & quidem tum interne tum externe. Contra ſcrophulas uſurpatur aut in pulvere, aut in infuſo & decocto. Quidam aquam exinde deſtillant, illamque ſat acrem eſſe aſſerunt, dum alii illam acrimoniam in dubium vocant.

CRITHMUM.

Sunt folia Chritmi, ſive fœniculi marini, I B. latiora & breviora quam fœniculi, craſſa nec tam crebro incisa, atrovirentia, ſapore ſubsalſo.

Eſtur.

κρίθμον, κρίθαμον, κρέθμον, κρῆθμος, CRITHMUS, CRITHMUM, CRETHMUM, CRITHAMUM, FOENICULUM MARINUM.

RINUM. CRETA, SALSA MARINA, forſan, ut SEBIZIUS putat, quia & flores & folia candida ſunt, hæc etiam ſalſi guſtus. PETROSELINUM MARINUM quibusdam audit. Vocatur etiam UNGUIS AQUILÆ, HERBA Sti PETRI. Meerfenchel/Bacillen/Bacillenkrauth/Meerbacillen/ BACILLE, FENOUIL MARIN, PERCE PIERRE ou PASSE PIERRE.

Eſt plantæ genus flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis, & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum compoſitum ex duobus ſeminibus planis, leviter ſtriatis, involucrum plerumque deponentibus. His notis addenda ſunt folia carnoſa, anguſta, trifariam diviſa.

Crithmum ſive fœniculum maritimum minus. C. B. Pin. 288. Crithmum multis, ſive fœniculum marinum. I. B. 3. 2. 194. Crithmum marinum. Dod. Pempt. 705.

Crithmum ſive fœniculum maritimum majus, odore Apii. C. B. Pin. 288. Crithmum ſive fœniculum marinum, grandius, cui ſuccus luteus. I. B. 3. 195. Crithmum Siculum, Baticulæ alterum genus Cæſalpini Bocc. Rar. Plant. 53. & 54.

Naſcitur maritimis ſaxoſisque locis. In Italia abundat. Colitur etiam in hortis, floret æſtate. Ab-

Eſtur crudum coctumve in olere. Servatur etiam in muria. Hac quippe conditum quandoque in alias regiones infertur, & coctum veluti cappares cum aceto & oleo manditur. Gratum eſt ciborum condimentum; ventriculum juvat, ciborum appetitum reſtituit, urinam provocat, viſcera ab obſtructionibus liberat. Ob virtutem abſterſoriam laudatur in ictero, calculo & menſibus pellendis.

BLATTARIA.

Sunt folia Blattariæ luteæ, I. B. Verbaſci foliis anguſtiora, atrovirentia, ſuperius ſplendentia, nulla lanugine donata, in ambitu laciniata, odore ingrato.

Abjecta, ut ait PLINIUS, Blattas in ſe contrahit, ideoque Romæ BLATTARIAM vocarunt. Schabenkraut / Mottenkrauth/HERBES AUX MITES.

Differt à Verbaſco fructu rotundiori.

Blattaria lutea folio longo laciniato. C. B. Pin. 240. Blattaria. Dod. Pempt. 145. Blattaria lutea. I. B. 3. App. 858.

Pluribus locis juxta aquarum margines, in lutoſis aggeribus & haud longe à fluviorum ripis provenit. Floret à Junio menſe in Septembrim usque.

Folia ſaporem habent amarum, aperiunt atque abſtergunt, & virtute gaudent anthelmintica.

BUXUS.

Sunt folia Buxi arboreſcentis, C. B. Pin. æterni viroris, lævia Myrtinis obtuſiora, firmiora, &, quod notatu dignum, duplicia, quæque diligenti cultello, ita a ſe invicem ſeparari poſſunt ut tenuiſſima & fere pellucida alterius plantæ eſſe, exercitatiſſimo cuique videantur, odore parum grato, ſapore adhuc ingratiore. Ab his parum diſcrepant Buxi foliis rotundioribus, C. B. Pin. folia parva Myrti Tarentinæ rotundiora & dilutius virentia quam Buxi arboreæ, odoris tetri & ingrati.

Folia

BUXUM, πύξος, πύξον à denſitate & ſpiſſitudine ligni. Bux/ BUIS, BOUIS.

Gaudet flore apetalo, plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtante, è fundo plerumque tetragono calycis foliati ſurgentibus. Embryones autem in aliis ejusdem plantæ locis oriuntur, abeuntque in fructus ollæ inverſæ quodammodo æmulos, in tres partes apice dehiſcentes, in tria loculamenta diviſos, ſeminibusque fœtos in capſula, vi elaſtica munita, reconditis.

Buxus

Buxus arboreſcens. C B. Pin. 471. Buxus, I. B. 1. 496. & Dod. Pempt 782.

&

Buxus foliis rotundioribus. C. B. Pin. 471. Chamæpyxos. Tabern. Icon. 1 50.

Colitur partim in hortis uterque Buxus ; topiario quippe operi accomodabilis, & perpetua atque amoena viriditate placens , licet ſponte quoque in montibus & collibus variarum regionum proveniat, floret Februario & Martio.

Folia Buxi in decocto exhibentur non ſolummodo ad febres intermittentes , ſed & ad icterum. Valent quoque in colica , laudantur in mania , & epilepſia : cum ligno decocta dicuntur capillos colore flavo tingere. De floribus Buxi referunt , quod violenter purgent , ſi ad ʒj. aſſumantur. Interim tamen alii aſſerunt , quod ſanguinem egregie mundificent. Notandum etiam quod ſuffumigium ex foliis & ramis valeat ad deſcenſum uteri. Curioſum id addendum venit, quod flores odore ſuo apes enecent.

DENS LEONIS.

Sunt folia Dentis Leonis, Dod. oblonga, utroque margine profundis inciſuris , veluti per lacinias , diviſis , ſylveſtris Cichorii æmula , ſed læviora , cuſpidata , ſaporis amaricantis.

Folia

DENS LEONIS dicitur à lacera foliorum figura, qua dentes Leoninos æmulatur. TARAXACUM OFFICINIS audit. CAPUT ſeu CORONA MONACHI, à pappis in capitulum collectis. URINARIA porro, LECTIMINGA, SERIS URINARIA à virtute vocatur. ROSTRUM PORCINUM audit. Seichblum / Löwenzahn / Pfaffenrohrlein / Röhrlein-Krauth / Pfaffenſtiehl / Pfaffen-

Pfaffenblatt/ Münchskopff/ Wild-Gänßdiſtel/ Hundslattich/ Pappenkraut/ Pappenblum/ Pippau/ DENT DE LION, PISSE EN LIT.

Eſt plantæ genus flore ſemifloſculoſo, plurimis ſcilicet ſemifloſculis conſtante embryoni inſidentibus & calyce comprehenſis. Embryo autem abit deinde in ſemen pappis inſtructum, in capitulum globoſum collectum, & thalamo affixum. His addendum eſt flores innaſci pediculis plerumque fiſtuloſis, ſed non ramoſis.

Dens Leonis latiore folio. C. B. Pin. 126. Hedypnois ſive Dens Leonis. Fuchſii I. B. 2. 1035. Dens Leonis. Dod. 636.

Ubivis in campis, pratis, hortis, agrorum marginibus oritur. Floret ut SCHWENCKFELDT loquitur, majo lucens, paulo poſt una cum ſemine in pappum fatiſcens.

IN

Folia Taraxaci parum ſaltem cæruleum in rubrum mutant. Dum progerminat vere planta, folia adhuc tenera acetariis immiſcentur, & ab haud paucis cum delectamento aſſumuntur. Virtutibus multum cum Cichoreo ſymbolizat. Lacteo & amaricante ſucco abundat Dens Leonis, abſtergit, aperit, dyſcraſiam ſanguinis emendat, primarum viarum Hepatis Lienis & Meſenterii obſtructiones reſerat. Ictericis & febricitantibus prodeſt. In febribus, aſſerente ETTMULLERO, intermittentibus quibuscunque tam recentioribus, quam inveteratis & chronicis adeo egregium eſt ſimplex, dum infuſum vel in aqua vel in vino & expreſſum, vel decoctum, vel alio quocunque modo aſſumptum ante paroxyſmum, illas ſolet per ſudorem curare. Decoctum ſolum hæmoptyſin, diarrhœam, pollutionem nocturnam, vel gonnorrhæam ſimplicem, cum lentibus vero dyſenteriam dicitur ſiſtere. Succus quoque non tantummodo in morbis dictis, ſed & in pleuritide laudatur. Urinam præterea pellit. Herba porro contrita & impoſita, docente SCHWENCKFELDT omnem inflammationem nigricantium & adurentium

um puſtularum compeſcit. Imponitur etiam nuchæ in affectibus & inflammationibus oculorum, ut puſtulas & veſiculas excitet proficuas. Laudatur porro ad materiam craſſam in pulmonibus. Succo quoque attribuitur vis inſignis in malo Hypochondriaco. Externe hic ſuccus in affectibus oculorum inſtillatur, leniter quidem, ut ſupra dictus ETTMULLERUS loquitur, morſicat & pungit, attamen pro viſu clarificando & pro delendis maculis, nebulis, albuginibus oculorum, & abſtergenda tunica cornea optimus eſt, & viſus impedimenta tollit, ſive ſolus ſive propter acrimoniam, cum aqua fœniculi dilutus. Conducit tandem hic ſuccus ad vulnera & ulcera quæcunque mammillarum, aliaque putrida manantia & ſordida pudendorum ac tibiarum purificanda & pro detergendo eorum pure. Succus lacteus hic præſertim ex pediculis cavis abruptis expreſſus, ad verrucas delendas commendatur. Merito Gerris Siculis annumerat, & meras eſſe Affanias dicit SIMON PAULI eam obſervationem, quam ANONYMUS IN DODONÆUM refert; nonnullos in Italia credere, ſi ſucco dentis Leonis ex oleo delibuti incedant, ſibi conciliari Magnatum & Principum favorem atque clementiam, & pro lubitu, quid velint, efficere poſſe. Sed apage has nugas, pergit prædictus author: Helleboro certe & Naſturtio indiget, qui vel admittit, vel ejusmodi ſtolidum & ſuperſtitioſum conſilium alii ſufficit, quod longe infra prudentiam orbi notam Italicæ nationis ſubſidit & jacet. Et nonne ſolius Dei eſt ceu Domini Dominantium conciliare nobis Regum Principumque clementiam & favorem. Impium ergo ab ulla creaturarum herbarumque ejusmodi effectus expectare. Et certe ſi vera eſſent, quæ de conciliando per dentem Leonis Magnatum favore dicuntur, raro inventu ruri eſſet Dens Leonis: imo verendum, ne ſola & unica hæc planta in univerſo orbe ſive germinare, ſive

 efflo-

efflorescere, ſeu collectim deſiiiſſet hæc illius ſpecies in rerum natura, quippe in ſuos uſus quilibet eam effodiſſet, vel certe Deo immortali poſthabito mane & veſperi ſuperſtitioſe Dentem Leonis quamplurimi gnatones adorarent.

℞. Succi Taraxaci depurati ℔ iß. Aqu. Plantag. ℥ij. Scabios Card. bened. ana ℥j. Ocul ♋ pp. ʒß. Syrup: papav. errat. ℥j Mſc. in Pleuritide præſertim in principio maximopere conducit. Datur ſingulis ſemihoris cochleare unum alterumve.

℞. Decoct. folior. Dentis Leonis, Lactis vaccin. ana partes æquales. Mixtura edulcoretur Saccharo. Convenit in tuſſi ferina & in catarrho.

℞. Dent. Leonis m. iij. infundatur in vini aut decoquatur in aquæ aut Vini & aquæ qu. s. ſumatur hauſtus hora una ante paroxysmum in febribus intermittentibus. Diebus quoque intercalaribus, mane & veſperi, aſſumatur hauſtus. Ejusmodi decoctum conducit etiam infantibus, qui inviti noctu in lectum mingunt, ſed bene notandum, quod tantummodo tempore matutino ſit exhibendum, minime veſpertino, alias malum adaugeretur.

IN PHARMACOPOLIIS PROSTAT.

Aqua Taraxaci, Pfaffenröhrlein oder Seichblumen-Waſſer / *Eau de Dent de Lion* ou *Piſſe en Lit*, deſtillata ex foliis floribus & radice, ſeu ex integra planta. Laudatur in febribus tam intermittentibus quam continuis, morbis inflammatoriis, pleuritide, morbis malignis, febribus petechialibus, Dentitione infantum difficili & exinde orta epilepſia, tuſſi, aſthmate, obſtructionibus viſcerum, ictero, urina pellenda &c Medetur pleuriticis & tuſſientibus, ac ſomnum quoque conciliare fertur. Externe contra ruborem & maculas oculorum valet. Uſurpatur quoque pro coſmetico & ad maculas puſtulasque faciei conducit.

GEN-

GENTIANA CRUCIATA.

Sunt folia Gentianæ cruciatæ, C. B. Pin. foliis Saponariæ nonadmodum diſſimilia, longa, lævia, pinguia, craſſiuſcula, amara.

γεντιάνη μικρά, GENTIANA MINOR, GENTIANA CRUCIATA, à quibusdam dicta putatur à radice, alii vero melius deducunt à foliis cruciatim cauli incumbentibus. RADIX SIBYLLÆ, HERBA Sti PETRI, Creutz-Entzian/ Creutzwurtz/ Modelgeer/ Sibyllenwurtz/ Bitterwurtz/ Sperenſtich/ Heyl aller Schaden. GENTIANE CROISE'E, L'HERBE DU CRY.

Caracterem vide ſub Gentiana majore lutea.

Gentiana cruciata, C. B. Pin. 188. Gentiana minor ſeu vulgi cruciata. I. B. 3. 522. Gentiana iij. cruciata. Cluſ. Hiſt. 313.

Naſcitur in collibus, montibusque apertis & gramineis, tum ſiccioribus pratis, & herboſis ſecundum vias publicas locis; floret Julio. JA-

Folia hæc ſymbolizant cum Gentiana majore: confer quæ ſupra dicta ſunt de radice hujus Gentianæ cruciatæ. In peſte ac Lue Venerea ſanandis à quibusdam cenſetur appropriatum medicamentum.

℞. Folior. Gentianæ cruciatæ man. vj. coquantur in aquæ fontanæ ℔xvj. ad medietatem; vel etiam æſtivo tempore Cymbalariæ man. ij. & albo fluore præſente filipendulæ man. j. addantur, hyberno vero Iberidis ſeu Naſturtii ſylveſtr. m. ij. præſertim in corporibus obeſis. Doſis ℔ß. vel ℥viij. horis matutinis, præſertim ſi calefactum, quod bene notandum, bibatur, & in lecto ſudor expectetur, hocque ſimiliter hora à prandio ſeptima repetantur, idque per 15. vel 20. dies. Sic mirabilia in Lue præſertim venerea quis experietur teſte ZAPATA.

JACOBÆA.

Sunt folia Jacobææ Dod. Senecionis majora levi adſtrictione prædita, cum floribus Senecionis majoribus luteis, amara, aromatica, nonnihil adſtringentia.

JACOBÆA quaſi FLOS St. JACOBI, FLOS JACOBÆUS, à tempore florendi, SENECIO MAJOR, St. Jacobs-Blum/ groſſe Creutz-Blum / JACOBEE, HERBE OU FLEUR DE St. JACQUES.

Eſt planta flore radiato, cujus ſcilicet diſcus ex plurimis fl iſculis, corona vero ex ſemifloſculis componitur, embryonibus inſidentibus, & calyce tubiformi ac multifido comprehenſis. Embryones autem deinde abeunt in ſemina, pappis inſtructa, thalamoque affixa.

Jacobæa vulgaris laciniata. C. B. Pin. 131. Jacobæa vulgaris. I. B. 2. 1057. Jacobæa. Dod. Pempt. 642.

Reperitur paſſim, floret Majo, Iunio, Iulio, Auguſto.

LAMIUM

Planta hæc, quæ plurimum olei & terræ & ſali ſal terræ naturali ſimile continere videtur, gaudet virtute traumatica & detergente, aperitiva & reſolvente. Medetur vulneribus inflammationibus & fiſtulis. Laudatur in gargariſmatibus adverſus anginam & alios faucium morbos. Juxta HOFFMANNUM in SCHROEDERUM & SIM. PAULI in Q. B. decoctum Jacobææ in dyſenteria epidemica ut euporiſton maxime commendatur. Quin & in forma cataplasmatis ad ventris tormina applicata abdomini notabilis eſt virtutis. Admiſceri etiam clyſteribus poteſt. Ex ſucco, qui in fiſtulis conducit, unguentum parari poteſt in eryſipelate.

LAMIUM.

Sunt folia Lamii vulgaris, C.B. Pin. ad radicem ſubrotunda, ad

ad marrubium fœtidum accedentia, ſuperiora vero urticæ ſimilia, pilis hirſuta ſed inertibus, rugoſa, atrovirentia atrove purpurea, ſerrata, fœtida, amareſcentia.

Plantæ

LAMIUM dictum exiſtimatur à perſonata, neſcio qua, effigie, quam Lamiam vocant. GALEOPSIS quoque dicitur à florum effigie galeata, muſtelæ faciem & rictum quodammodo exprimente: URTICA INERS, URTICA MORTUA, URTICA FATUA, URTICA NON MORDAX, à foliorum ſimilitudine & deficiente vi urente; URTICA FOETIDA, MILZADELLA juxta Italos, ſive HERBA DELLA MILZA à virtute. Todte Neßel/ taube Neßel/ORTIE MORTE.

Eſt plantæ genus flore monopetalo labiato, cujus labium ſuperius cochlearis inſtar eſt excavatum, inferius vero bifidum cordiforme, deſinuntque ambo in fauces marginatas. Ex calyce autem tubulato ac quinquepartito ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina, in capſula, quæ floris calyx fuit, recondita. Lamii ſpecies flore fructuque carentes dignoſci ſolent foliis ad urticam accedentibus, & fœtidis, ſed notæ illæ ſpecificæ Galeopſidi etiam conveniunt.

Plures ſunt Lamii ſpecies, quæ in uſum trahuntur:

Lamium purpureum fœtidum folio ſubrotundo, ſive Galeopſis Dioſcoridis. C. B. Pin. 230. Galeopſis ſive Urtica iners folio & flore minore. I. B. 3. 323. Urtica iners altera. Dod. Pempt. 153. Taubneßel/ſtinckende Neßel.

Lamium folio oblongo flore rubro. Park. Theatr. 606. Lamium purpureum non fœtens folio oblongo. C. B. Pin. 231. Galeopſis ſive Urtica iners flore purpuraſcente majore, folio non maculato. I. B. 321. rothe taube Neßel.

Lamium vulgare album ſive archangelica flore albo. Parck. Theat. 604. Lamium album non fœtens folio oblongo. C. B. Pin. 231. Galeopſis ſive Urtica iners floribus albis. I. B. 3. 322. Urtica iners ſive Lamium primum Dod. Pempt. 153. Weiße Taube Neßel.

Lamium folio caulem ambiente minus. C. B. Pin. 231. Galeopſis

 ſive

ſive Urtica iners minor folio caulem ambiente. I. B. 3. App. 853. Morſus Gallinæ folio Hederulæ alterum. Lob. Icon. 463. Klein Taubneſſel.

Idem flore albo.

Lamium alba linea notatum. C. B. Pin. 231. Lamium Plinii montanum Campoclarenſium. Col. Part. 1. 192. Lamium quod Milzadella Italorum eſſe creditur. Camer. in hort. 83. Bergneſſlen.

Creſcunt Lamii ſpecies juxta ſepes parietes, vias, in ruderibus ſecus agrorum margines, in ipſis arvis, in montibus; magna ex parte tota æſtate florent.

Planta hæc iiſdem virtutibus ac urtica prædita eſſe cenſetur. Partes obtinet ſalinas alcalinas, paucas ſulphureas. Calefaciunt folia & exſiccant. Laudantur ad calculum tam curative quam præſervative, in infuſo Theiformi, præſertim Lamium Plinii. Folia porro hæc durities ſtrumas & carcinomata diſcutiunt, ad putreſcentia ulcera, gangrænam & nomas cum ſale illinuntur. Laudantur quoque ad obſtructiones jecoris & Lienis. Quo in caſu à SOLENANDRO præfertur rurſus Lamium Plinii, exhibendo pulverem foliorum in ovo ſorbili vel vino.

LAUROCERASUS.

Sunt folia arboris Lauroceraſi, I. B. non decidua, Lauri latifoliæ ſive potius Citriæ mali foliorum æmula, obiter per margines crenata, hilari virore micantia, lævia pinguiuſcula ſaporis ſubamari & adſtringentis, nucleorum mali Perſicæ aut amygdalarum amararum æmuli.

Folia

LAUROCERASUS nominatur partim à foliis, partim à fructu. CERASUS audit quoque FOLIO LAURINO. Kirſch-Loorbeerbaum/LAURIER CERISIER.

Eſ

Eſt arbor flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus calyce infundibiliformi ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum Ceraſiformem, mollem, oſſiculum includentem, nucleo fœtum ſubrotundo. His notis addenda eſt propria quædam Lauroceraſi facies.

Lauroceraſus. Clus. Hiſt. 4. & I. B. 1. 420. Ceraſus folio Laurino. C. B. Pin. 450.

Colitur in hortis.

Folia hujus arboris adſtringunt, roborant & ventriculum firmant. Multum olei continent ſed non tantum ſalis. Curioſum eſt quod folia hæc Lacti, ſi in eodem coquantur, ſaporem Amygdalinum concilient. Obſervandum autem τὸ ne quid nimis, quoniam alias amaritiem conciliant. Sufficiunt folia duo tria quatuor pro integra menſura.

PARNASSIA.

Sunt folia Graminis Parnaſſi albo ſimplici flore, C. B Pin. longis pediculis rubeſcentibus appenſa, Hederaceis non anguloſis ſimilia, ſed multo minora, craſſiuſcula, ſaporis ſubamari, leniter acris, & modice adſtringentis.

Pe-

Parnassia, Gramen Parnassi, vocatur a ſimilitudine cum planta quadam, &, ut Dioscorides vult, graminis ſpecie, quæ in monte Parnaſſo naſcitur, & gramen Parnaſſi vocatur. Gramen Hederaceum, Flos Hepaticus, Hepatica Alba à virtute. Weiſſe Hertzblümlein/ weiß Leberkrauth.

Eſt planta flore roſaceo, petalis amplioribus aliisque minoribus fimbriatis, & in orbem poſitis conſtante; Ex calyce autem ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum membranaceum utplurimum ovatum, unicapſularem, ſeminibusque fœtum quadruplici plerumque placentæ affixis.

Parnaſſia paluſtris & vulgaris. Tourn. I. R. H. cl. 6. s. 2. g. 12. Gramen

men Parnaſſi albo ſimplici flore. C. B. P. 309. Gramen Parnaſſi Dodonæo, quibusdam Hepaticus flos. I. B. 3. 537. Gramen Parnaſſium. Dod. Pempt. 564.

Naſcitur macris & putridis pratis, quæ nunquam omnino ſiccantur. Auguſto & Septembri floret Autumni nuncia.

Peculiari facultate imbecillum jecur roborat, obſtructumque aperit. In dyſenteria & diarrhœa utiliter adhibetur, maxime ad potiones vulnerarias, & vulnera. Succus naribus inditus hæmorrhagias ſiſtit. Vulgus, ut SCHWENCKFELDT loquitur, ad cordiales affectus prædicat. Quidam uſurpant etiam ſemen præſertim ad renes purgandos, urinam ſabulum & calculos pellendos.

℞. Lign. Saſſafr. ℥ij. herb. Gramin. Parn. cum flor. m. iij. Pyrol. m. iij. Sanic. Vinc. per Vinc. flor. lilior. convall. flor. til. ana mß. Aqu. Beton. ℔vj. Coqu. in diplomate, poſtmodum æger mane & veſperi hauriat ℥ij. calide. Laudatur in vulneribus capitis adhibito ſimul exterius Emplaſtro de Betonica.

PERFOLIATA.

Sunt folia Perfoliatæ Dod. quæ caulis vel ramus transadigit, ex rotundo ſublonga, glauca, dilute virentia, lævia, glabra, ſapore oleraceo ſed fervidiore.

Herba

Διαφύλλον, ita dicitur quoniam folia á caulibus quaſi perforari videntur. Durchwachs / Stopsloch / Nabeltrauth / Bruchwurß / PERCEFEUILLE.

a TOURNEFORTIO refertur ad Bupleurum.

Species quæ hic intelligitur, eſt

Bupleurum perfoliatum rotundifolium annuum. Tourn. I. R. H. cl. 7. s. 1. g. 11. Perfoliata vulgatiſſima ſive arvenſis. C. B. Pin. 277.

Perfoliata

Perfoliata ſimpliciter dicta annua vulgaris. I. B. 3. 2. 198. Perfoliata. Dod. Pempt. 104.

Nonnullis locis in arvis, inter ſegetes ſponte exit, naſcitur & in pratis ac juxta agrorum margines.

SONCHUS

Herba hæc amaricans vulneraria eſt. Competit ipſi vis ſolidandi & ferruminandi. Datur, inquit I. B. decoctum herbæ ex vino paratum, aut folia in pulverem trita, internis affectionibus, ruptis, & ex alto delapſis. Ad ramices inteſtinorum præſertim puerorum commendatur hæc planta, horum enim prominentem umbilicum, recens cum farina & vino tuſa ac cataplasmatis modo impoſita reprimit, ſtrumas etiam hoc modo reſolvit. Ad fracturas quoque & eryſipelata laudatur. Laudatur etiam in ganglio.

℞. Herb. perfoliatæ cum toto m. j. Auriculæ muris, Herniariæ, plantaginis, muſci acaciæ noſtratis ana mß. coque in ſuffic. q. Vini rubri. Applica in exomphalo. Eſt remedium SIMONIS PAULI in Q. B.

SCANDIX.

Sunt Scandicis vulgaris, C. B. Pin. folia, longis pediculis appenſa, Coriandri diviſura tenui, ſapore ſubdulci, ſubacri & nonnihil nauſeoſo.

Herba hæc, præſertim antequam floret & tenera eſt, tum olim inter olera referebatur, tum adhuc à quibusdam cum butyro & oleo comeditur, tum in acetaria recipitur. Stomacho atque ventriculo dicitur eſſe utilis. Virtute inſuper gaudet aperitiva & diuretica, ut radix.

℞. Herb. Scandicis part. ij. herb. Petroſelini p. j. coqu. cum butyro & vino meraco in ſartagine, applica deinde

inter duo linteamina regioni pubis ad provocandam urinam remorantem.

℞. Herb. Scandic. cum radice part. ij. fol. Malv. cum radic. part. j. coqu. in aqu. q. s. pro ſemicupio in calculo & dolore nephritico, præſertim apud infantes.

SONCHUS LÆVIS.

Sunt folia Sonchi lævis Dod. longa, lævia, fere glauca Dentis Leonis diviſura, latiora, teneriora, lacte prægnantia ſalſa, amara, alternatim prodeuntia, alia pediculo longo alia nullo gaudentia, ſed latiore baſi caulem amplectentia, in circuitu quaſi dentata, in quibus vel nullæ ſpinæ vel molles.

Exiſti-

SONCHUS nomen habere videtur ἀπὸ τοῦ σῶον χέειν, quod ſalubrem ſuccum fundat. Roſiones enim ſtomachi lenit, inquit DIOSCORIDES, & lactis copiam nutricibus affert, cum brodio carnium aut decocto hordei hauſtus. Unde & LACTUCELLA & LACTERON nuncupatur. Quanquam hunc titulum etiam inde habere credatur, quod caule ſauciato lacteum ſuccum fundat, ut docet SEBIZIUS. Vocatur etiam INTYBUS SYLVESTRIS, LACTUCA LEPORINA, quoniam in cibatu Leporibus gratiſſimus. LACTUCA LEPORARIA, PABULUM LEPORIS, SONCHUS LENIS, ENDIVIA SYLVESTRIS, glatt Sonchenkrauth/ weiche oder linde Gänß oder Saudiſtel/ glatte Leberdiſtel/ Haſenkohl/ wilde Endivien. LAITRON DOUX, PALAIS DE LIEVRE.

Eſt plantæ genus flore ſemifloſculoſo, plurimo ſcilicet ſemifloſculis conſtante embryoni inſidentibus, & calyce craſſo comprehenſis, qui per maturitatem conicus fere evadit. Embryo autem abit deinde in ſemen pappis inſtructum thalamoque affixum.

Sonchus lævis laciniatus latifolius. C. B. Pin. 124. Sonchus minus lacinio-

laciniosus mitior, ſive minus ſpinoſus, I. B. 2. 1014. Sonchus lævis. Dod. Pempt. 643.

Agris incultis & hortis oleraceis familiaris. Æſtate floret.

σόγχος

Exiſtimatur, Sonchum, ut olera quædam alia, quæ à nobis neglecta jacent, in acetariis haud eſſe ingratum, dummodo tenellus & infans (verba ſunt SEBIZIANA) adhuc decerpatur. Adultior quippe factus inſuavior eſſe ſolet.

Sonchus, docente KOENIG, cæruleum colorem multum in rubrum mutat, nimirum continet ſal ſalſum, ſolutum in multo phlegmate & ſulphure, ſal ammoniacum vero pauciſſimum continet. Unde & quoad vires humores in imo ventre mediocriter ſolvit, circulationi reſtituit, acrimoniam eorum ſummopere mitigat, adeo ut ad venena ſummopere laudetur à BOCCONE. Hepati cumprimis utilis cenſetur & ſalutaris. Ejus calorem mitigat, refrigerat. Perhibetur pellere urinam & frangere calculum. Dicitur & ſuccurrere peripneumonicis, orthopnoicis, atque ſuſpirioſis, qui aſthmatici vocantur: ad æſtuoſas ſtomachi lancinationes conducit: Tertianis & putridis febribus medetur. Stomachi & inteſtinorum fluxionibus convenit, ſtranguriam ſanat. Lac auget: Succus partum accelerare fertur & dolores aurium mulcere. Prodeſt hecticis.

℞. Conſer. roſ. rubr. ℥iij. Conſ. borrag. ℥j. ſucc. ſonch. inſpiſſ. confect. alkerm. ana ʒj Diamarg. frigid Diaph. Jovial. ana ʒiß. Mſc. conducit in metu hecticæ.

SONCHUS ASPER.

Sunt folia Sonchi aſperi laciniati & non laciniati, C. B. P. foliis Sonchi lævis craſſiora, obſcurius viridia, in crebras la-

cinias diviſa , ad Endiviæ folia accedentia , baſi ſua caulem inanem amplexantia , ſpinulis longioribus & rigidioribus aſpera, (quin etiam folia extrema & laciniæ in anguſtiores & acutiores mucrones deſinunt) Lac fundentia ſalſum & amarum.

σόγχος à quibusdam dicitur quaſi σομφός ab inanitate caulium. Vocatur etiam CARDUUS SUILLUS, CARDUUS ANSERINUS, CICHORIUM PORCINUM, ROSTRUM PORCINUM, Rauch-Sonchenkrauth/ Gänßdiſtel/ Sawdiſtel/ ſcharffe Leberdiſtel/ wilder Haſenkohl/ LAITRON EPINEUX.

Characterem vide ſub Soncho lævi.

Sonchus aſper non laciniatus. C. B. Pin. 123. Sonchus minus lacinioſus aſperior ſive ſpinoſior. I. B. 2. 1014. Sonchus lævis tenerior. Lob. Icon. 235.

Sonchus aſper laciniatus folio Dentis Leonis. C. B. P. 124. Sonchus laciniatus ſpinoſus. I. B. 2. 1016. Sonchus aſpera. Matth. 496.

Agris quoque incultis & hortis oleraceis familiaris eſt. Æſtate floret.

Quæ de Soncho lævi dicta fuerunt , etiam de Soncho aſpero locum habent.

TERTIANARIA.

Sunt folia Lyſimachiæ galericulatæ Lob. Betonicæ æmula, minora , perinde rugoſa , rarius per ambitum ſerrata, ſapore inſigniter amaro, odore non injucundo.

Planta

TERTIANARIA dicitur à virtute; vocatur quoque GRATIOLA CÆRULEA, LYSIMACHIA GALERICULATA à flore. TERSOLLA, TERZOLLA. Blauer Augentroſt/ Fleckenkrauth/ Fieberkrauth.

Eſt ſpecies Caſſidæ.

Caſſida

Caſſida paluſtris vulgatior, flore cæruleo. Tourn. I. R. H. cl. 4. s. 1. g. 6. Lyſimachia cærulea galericulata, vel gratiola cærulea. C. B. Pin. 246. Tertianaria aliis Lyſimachia galericulata. I. B. 3. 435. Lyſimachia galericulata Lob. Icon. 344.

In foſſis, ubi effluunt aquæ, & aliis humectis reperitur locis, Æſtate flores exeunt.

Planta hæc amara calefacit & exſiccat, virtute gaudet vulneraria, ſanguinem mundificante. Imprimis autem commendatur ad febres intermittentes & ſpecifice febrim tertianam, unde & nomen obtinuit. Uſurpatur in infuſo & decocto.

PLANTÆ PURGANTES.

Cicuta.
Convolvulus major.
Linum Catharcticum.
Digitalis.
Colutea.
Convolvulus minor.
Ranunculus acris.
Cotula fœtida.

CICUTA.

Sunt folia Cicutæ Dod. multifariam partita, foliis Petroſelini aut Myrrhidis non abſimilia, atrovirentia, odoris viroſi & ingrati.

Folia hæc ut & tota planta analyſi Chymica, juxta TOURNEFORTIUM, ſuppeditat copioſum oleum, phleg-

phlegma acidulum & terram, cum mediocri quantitate Spiritus Urinoſi & Salis volatilis, unde concludit, abundare hanc plantam ſulphure narcotico, tartaro, & Sale Armoniacali.

Herba Cicutæ æque nociva eſt ac radix; eademque inducit Symptomata. Ab incautis & ignaris ſæpius pro petroſelino in acetaria & alia fercula fuit recepta & comeſta. Longius foret recenſere exempla eorum, qui ex comeſta cicuta ægrotarunt & perierunt. Succus ex hac planta expreſſus dulcis quidem primo videtur, ſed poſtmodum acrimonia quadam linguam pungit. Cicutam inviſam fecit publica Athenienſium pœna, ut loquitur PLINIUS, & notus eſt exitus SOCRATIS, quem ſucco cicutæ epoto è medio ſublatum tradunt, ut Demoſthenem aliosque hoc modo enectos taceam. Sunt tamen, qui Cicutæ ſuccum SOCRATI fuiſſe propinatum negant, ſtatuuntque mixtum quoddam fuiſſe toxicum, quod Cicutæ ſucco temperatum Cicutam dixerunt, quoniam poculum mortem SOCRATI, ſimilem naturali, intulit, in quo ſenſim & ſine ſymptomatibus extinguitur ignis vitalis; Ubi enim Socrates pharmacum ſumſit, obiit non ſolum ſine ſopore, ſed etiam mente integra, orto à pedibus primum frigore, inde ad crura progreſſo, quibus in partibus cum ſenſum amiſiſſet, non prius è vita diſceſſit, quam in cor invaſerit ſtupor. Jam ex funeſtis obſervationibus conſtat, quod non tantummodo triſtia illa ſupra de radice Cicutæ allegata, ſed & alia horrenda inducat ſymptomata ſumpta Cicuta. Aliis quoque animalibus infenſa eſt Cicuta. Oves ea moriuntur. Anſeres, quando de ea comedunt, furere incipiunt & moriuntur. Aſini profundiſſimo ſomno & torpore corripiuntur, ut non ſolum ſtupidi ſed plane mortui videantur. Id quod aliquando, referente

MAT-

MATTHIOLO, ruſticos fefellit: nam dum aſinis, quos extinctos credebant, pellem ad uſum detraherent, accidit mirum, quod in medio fere operis aſini experrecti ſint, non ſine magno excoriantium terrore atque ingenti ſpectantium riſu. Quædam tamen animalia ea innoxie utuntur, juxta verſus LUCRETIANOS

Quippe videre licet pingueſcere ſæpe
cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ eſt acre
venenum.

Sic Sturni quoque cicuta utuntur pro alimento absque ullo nocumento. Hinc ſunt, qui ejus uſum internum quoque concedunt. PLINIUS perhibet caulem cicutæ viridem à multis edi. Sed ſicuti diverſæ Cicutæ æque ac Cicutariæ dantur ſpecies non æque venenatæ, ita quoque venenum hujus plantæ pro diverſitate ſoli & poli nunc exaltatur, nunc mitigatur. Non male SIM. PAULI in Q. B. ratiocinari videtur, dum ſequentia verba pronunciat. Quod vero quidam objicere poſſent: veſci nempe quosdam populos cicuta, neſcio quo ſub Climate degentes; vel negligi hic leges Hiſtoriæ reſpondeo, vel errorem eſſe primi Authoris, quia ut facile in dignoſcendis umbelliferis herbis etiam à rei herbariæ perito error committitur, ita ille Chærefolii aut Myrrhidis quandam eſculentam ſpeciem dubio procul cum Cicuta vera confudit, primo nihil penſi habens accuratam differentiam, unde poſtmodum Cicuta aliquibus in regionibus inno-

innoxia, unde ubi veſci nonnullos populos (non loquor de coturnicibus) perhibitum & creditum eſt.

Veteres putarunt Cicutam eſſe venenum propter frigus enecans & ſanguinem coagulans. Rectius vero WEPFFERUS, HARDERUS aliique vim Cicutæ ab acribus ſalinis particulis aculeisque quaſi igneis, quibus non parum ſtipata eſt hæc planta, deducunt: Iis quippe nervoſam ventriculi membranam irritare, vellicare, per conſenſum totum genus nervoſum convellere valet. Inſuper particulis ſuis ſubtilioribus ſanguinis Oceano immiſtis eum rarefacit & fundit, donec tandem, ut loquitur HARDERUS, labe aliqua ipſi cerebro (ſi non potius ſpiritibus) illata, elangueſcente fluidi utriusque influxu præcedanea violentia animal corruere faciat. Adde quod ſulphure ſuo narcotico, volatili inebriativo ſenſuum torporem deliria atque amentiam apoplexiam &c. inducere valeat.

Curationem, quæ inſtituenda eſt poſt aſſumptam Cicutam optime delineavit WEPFFERUS in TRACTATU de CICUTA AQUATICA, quæ eo redit.

Poſt aſſumptam Cicutam vomitorium ſtatim adhibeatur, ut quantocyus vomitu rejiciatur, obſervatum enim eſt vomitu partibus Cicutæ rejectis ſymptomata ceſſaſſe. Impediendum enim quam maxime eſt, ne Cicuta è ventriculo ad inteſtina, & Chylo permixta ad maſsam ſanguineam perveniat. Talia autem vomitoria ſunt adhibenda quæ virulentiam atque acrimoniam Cicutæ non adaugeant. Conducunt in hoc caſu ad vomitum ciendum juscula pinguia, decoctum hordei cum oleo ſimplici, aqua tepida cum butyro, lac cum oleo & butyro, cerevifia cum oleo & butyro. Hauſtibus autem iſtis tamdiu inhærendum donec omnis Cicuta è ventriculo expulſa ſit. Singulis libris Oxymellis ℥ij. Oxymellis

mellis ſcillitici ℥iß. admiſceri poſſunt, ſi tempus concedatur, nec ob ſymptomatum ferociam feſtinandum ſit, cum aqua aut Cereviſia coqui poſſunt rad. Aſar. betonic. Cucumer. ſummit. aut. Cort. Virides Sambuc. Aneth. flor. geniſt. perſic. ſem. aneth. Atriplic. aliaque hujus generis: fortiora non neceſſaria ſunt, quia vomitus prompte ſequitur, ſi modo opera detur ut fibræ circulares gulæ & ſtomachi motui fibrarum circularium ventriculi inverſo non reſiſtant, quod impetratur imprimis potulentis quibusvis. Si vero vomitus tardetur ad fortiora vomitoria recurrendum eſt. Ano porro ſuppoſitoria acria intrudantur, item clyſteres acres, ut illa, quæ ad inteſtina jam deſcenderunt, ejiciantur. In vomitoriis tam diu pergendum donec Cicuta omnis, vel maximam partem rejecta ſit, nullaque ejus in ventriculo ſuperſtitis ſigna adſint, ſi nullos ructus allii tetrum odorem ſpirent, non angantur circa præcordia, nec valde doleant. Si eſuriant ad Alexipharmaca progrediendum eſt. Antequam tamen hoc fiat, ut dictum dejectiones alvinæ procurandæ, vel clyſteribus & ſuppoſitoriis vel mitioribus purgantibus, præſertim ſi ex torminibus ardore & inflatione ventris aliquid in inteſtinis de Cicuta hærere conſtet. Si enim ante tempus exhibeantur alexipharmaca, accelerari poteſt mors, vi venenata una cum alexipharmacis intimius in maſſam ſanguineam deducta.

Educta è ventriculo & inteſtinis Cicuta omni vel maximam partem, tum demum, juxta DIOSCORIDEM, ad maximum & præſentiſſimum auxilium, Vini generoſi potum eſt deveniendum, quia citiſſime ſpiritus ex afflictione vehementiſſima deperditos reparat, oppreſſos ob circulationem ſanguinis nunc impeditam, nunc confuſiſſimam ſuſcitat, atque hac ratione præ aliis vires reſtaurat. Poterunt vino admiſceri abſinthium, piper, caſtoreum, ruta, mentha, folia

Lauri &c. Theriaca, Mithridatium aliaque antidota prodeꝛunt, ut & aquæ cordiales, Tincturæ Bezoardicæ &c. remedia itidem diaphoretica. Sunt, qui ad recenter ſumptum venenum ſuadent pinguia, Lac, Oleum, Butyrum. Præfertur Lac Aſininum, inque ejus defectu Lac Vaccinum aut aliud, ubi tamen notandum, quod Lac non ſtatim poſt Vinum ſuperingerendum ſit. Ad ardorem Ventriculi à cicuta prodeſſent, ex mente WEPFERI, (ex quo hæc maximam partem deſumta) juſcula alterata herbis recentibus borrag. bugloſſ. portul. endiv. flor. bellid. minor. acetoſæ &c. Bibant mane & veſperi ℥iij. vel ℥v. calide. Addi poſſunt cremoris hordei aliquot cochlearia. Alia quoque attemperantia & demulcentia in uſum trahi poſſunt. Quoniam autem præcipue hic ventriculus à cicuta male mulctatus eſt tractandus, mallem potius, ut cum prædicto Authore loquar, omnem curam ad victus rationem ſeu ad alimenta medicamentoſa transferre, quam medicamentis labem hanc emaculare, maxime apud illos, quorum valetudinem antea neque deſidia neque luxuria vitiavit. Ex dictis itaque patet has potiſſimum eſſe indicationes. Cicutam aſſumtam quantocyus è ventriculo eſſe educendam: Si quid Maſſæ ſanguineæ communicatum jam, per ſudorifera & alexipharmaca eſſe eliminandum: Cicutæ acrimonia infringenda, ſpiritus conſumpti reſtaurandi, intercepti vero vel oppreſſi excitandi. Labes ventriculo vel inteſtinis vel cerebro impreſſa, ſive inflammatio ſive denudatio membranæ nerveæ ſive exulceratio ſit, emendanda: nam Cicuta rubificantibus, veſicatoriis, erodentibus & putrefacientibus affinis eſt. Et demum vires laudabili victus ratione reſtituendæ & conſervandæ.

Cum itaque tantam noxam inferat Cicuta, interne exhibere nemo facile audebit. Non ignoratur, quod quidam ejus

ejus uſum & imprimis MELCHIOR FRICCIUS in paradoxis de venenis, commendent. Laudant videlicet ad menſium & lochiorum fluxum inhibendum, decoquendo pugillum Cicutæ in aqua & hauriendo. Suadent ſeminis Cicutæ uſum in tuſſi contra colicam, dyſenteriam, dolores nephriticos &c. ad ſomnum conciliandum quoque fuit adhibita Cicuta. Uſurpabatur ad extinguendum calidioris hepatis ſeu potius ſanguinis fervorem. Sacerdotes Ægyptii & Athenienſes uſu ejus libidinis incendia extinxerunt. RAJUS refert quendam nomine BOULLE Cicutæ majoris radicem ad ℈j. in febribus malignis & quartanis datam omnibus diaphoreticis prætuliſſe. RENEALMUS eo audaciæ acceſſit, & pulvere hujus radicis partim in ſubſtantia ad ℈j. ʒß. cum vino, partim in infuſo ad ʒj. ad ʒij. in ſcirrhis Hepatis, Lienis, & Pancreatis uſus eſt. Quicquid autem ſit, præſtat ab uſu interno Cicutæ abſtinere, cum tutiora proſtent. Alia res eſt de uſu ejus externo, hunc enim, etiamſi à quibusdam condemnetur, locum habere cæteris paribus poſſe, & cum ſucceſſu applicari experientia loquitur. In tumoribus duris ſcirrhoſis reſolvendis magnarum eſt virium. Hinc Lienis & Hepatis regioni applicatur. Ad dolores porro arthriticos ſedandos & tophos reſolvendos ſæpius cum ſucceſſu Cicuta & aliis uti licet. Uſurpatur ad oculorum dolores, rubores & inflammationes. Nonnulli cicutam ad ſororiantes & luxuriantes virginum & mulierum mammas coercendas, & lac in puerperarum mammis ejus ſucco ſupprimendum imponunt. Sed & hoc in caſu caute agendum eſſe monent authores. In ſtrumis quoque adhibetur. A quibusdam ruſticis herba applicatur Cancro, ulceribusque cancroſis. Cicuta cataplasmatibus immixta in tollenda gangræna ſæpius cum ſummo ſucceſſu uſurpatur teſte BARBETTE. HENRICUS AB HEER commendat Cicutam ad tumorem & dolorem penis ex nimia Venere.

℞. Radic. ſymphyti major. recent. caulium viridium Cicut. ana man. jv. folior. Tabac. ℥vj. coque in lacte ad putrilaginem, piſtentur, trajiciantur, trajectis adde micæ panis albi lacte macer. medull. pomor. toſtor. ana libr. j flor. Caſſiæ, ℥iv. Spermat. Ceti ℥iij. medull. cruris bovis ℥v. croci pulveris. ʒij. Msc. fiat cataplasma, ſemel quotidie renovandum, ad dolores arthriticos ſedandos & tophos reſolvendos.

℞. Fol. viridium Vinc. Pervinc. Chærefol. Apii, Cicutæ ana man. ij. contundantnr in mortario addendo aceti & olei roſacei ana q. s. f. cataplasma mammis applicandum pro reſolvendo lactis coagulo.

℞. Fol. menth. exſicc. man. j. Cicut. man. ij. Coriandr. pp. ℥ß. Misce & coque in aquæ & aceti æquali portione pro epithemate.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Emplaſtrum de Cicuta, ſive *Spleneticum*, Schierling oder Miltz-pflaſter/ *Emplaſtre de Ciguë.* Præſtantiſſimum eſt in tumoribus duris & ſcirrhoſis. Imprimis vero Lieni dicatum eſt, eum obſtructum aperit, roborat, ejusque duritiem emollit, imponitur ſiniſtro Hypochondrio in dolore & obſtructione Lienis nec non pancreatis.

COLUTEA.

Folia foliis Senæ ſunt molliora rotundiora nec in acutum mucronem deſinentia, ſuperne glabra magisque viridantia, inferne albidiora & hirſuta, guſtu amaro.

Con-

κολυτέα, SENNA SPURIA quibusdam, COLUTEA, VESICARIA à fructu, COLUTEA dicta putatur, quod mutilata effractave ejus virgulta (non præciſa) intereant. Schafflinſen/Linſenbaum/ welſche Schotten/ BAGUENUDIER.

Eſt planta flore papiloniaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde

deinde abit in capſulam membranaceam, veſicæ adinſtar inflatam, ſeminibusque fœtam reniformibus.

Colutea veſicaria. C. B. Pin. 396. & I. B. 1. 380. Colutea. Dod. Pempt. 784.

Colitur in hortis, floret æſtate.

Continent multum olei & ſalis eſſentialis. Leviter ſaltem laxant. BARTHOLINUS Sennæ ſurrogavit in obſidione Haffnienſi. KOENIG Decoctum ejus pugillare Hyſtericis & Hypochondriacis ſingulariter proficuum aſſerit.

Purgat, juxta eundem authorem, cerebrum & ſenſus egregie acuit, ſi inſtar Tabaci fumus ore hauriatur.

℞. Fol. Colut. Senn. ana ʒiß. cremor. tart. ʒß. ſem. anis. ℈j. flor. acac p. j. polypod. quern. ʒj. affunde aquæ ferventis ℥x. pro 2. doſibus.

CONVOLVULUS MAJOR.

Sunt Convolvuli majoris, I. B. folia hederaceis longe majora, acuminata, duas alas hinc & hinc juxta pediculum promittentia, levia, nitida, viridantia, ſucco lacteo turgentia cum floribus albidis, Linguam amaritudine vellicantia aliquali.

Ob-

CONVOLVULUS, dicitur quod aliis plantis circumvolvatur, VOLUBILIS MAJOR, Σμῖλαξ λεία, SMILAX LÆVIS, SMILAX LENIS ALBA MAJOR, SCAMMONIUM GERMANICUM, ob vim purgantem. FUNIS ARBORUM, CAMPANELLA. Glocken/ Winde/ groſſe weiße Winden/ Baumwinde/ Windekrauth/ Wegwinde/ glatte Winden/ Weißglocken. LISERON, CAMPANETTE, LIZET, GRAND LISERON.

Convolvulus eſt plantæ genus flore monopetalo campaniformi, ora plerumque repanda, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, infimæ flo-

ris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſubrotundum, membranaceum, ipſo calyce plerumque involutum, modo unicapſularem, modo tricapſularem & ſeminibus fœtum utplurimum angularibus.

Convolvulus major albus. C. B. Pin. 294. Convolvulus major. I. B. 2. 154. Smilax lævis major. Dod. Pempt. 392.

Naſcitur paſſim per fruteta & ſæpes, ſeſe involvens. Amat culta & in illis etiam potiſſimum gignitur. Æſtate interdum adhuc Autumno floret. Autumno ſemen profert.

CON-

Obtinet convolulus virtutem detergentem & purgantem. Serum Hydropicorum evacuat. Decoquitur in aqua & vino, mane hauſtus ſumitur. Decoctum hujus plantæ contra Colicam quidam laudant. TOURNEFORTIUS ex relatione Ruſticorum Provincialium refert, herbam contuſam vulnerique impoſitam inſigniter eſſe traumaticam. Commendatur quoque hæc planta contuſa & Luna decreſcente impoſita ad Gibbos præſervandos & curandos. Sunt, qui his foliis utuntur in ſemicupiis, ad ſtranguriam doloresque à calculis. Nonnulli oleum ex floribus per decoctionem paratum laudant in membris præcluſis & paralyticis. Deſtillatur quoque ex hac planta aqua, quæ celebratur tum interne pro urina pellenda & calculo eliminando, ut & hydropicos juvandos; tum externe ad inflammationem & ruborem oculorum, gingivasque putredine corruptas. Semen e Vino ſumptum ſtranguriæ mederi perhibetur.

Radices hujus Convolvuli dicuntur porcis gratum & utile alimentum eſſe.

CONVOLVULUS MINOR.

Sunt folia Convolvuli minoris arvenſis flore roſeo, C. B. Pin.

Pin. multo minora quam Convolvuli majoris, minus pinnata, magis tamen rugoſa cum floribus ex albo purpuraſcentibus, aut etiam albis, turgentia lacte.

CONVOLVULUS MINOR, VOLUBILIS MINOR, ἑλξίνη κισσάμπελος, παρὰ τὸ ἑλισσέσθαι à circumvolvendo. HELXINE CISSAMPELOS, CONVOLVULUS ARVENSIS ROSEO FLORE. Kleine Winde/ Ackerwinde/ Erdwinde/ Kornwinde/ kleine Glocken. PETIT LIZERON.

Characterem vide ſub Convolvulo majore.

Convolvulus minor arvenſis flore roſeo. C. B. Pin. 294. Helxine Ciſſampelos multis ſive Convolvulus minor. I. B. 2. 157. Smilax lævis minor. Dod. Pempt. 393.

Paſſim obſervatur. Gignitur autem in cultis arvis frequentius, non raro tamen & in neglectis ac ſecus margines agrorum, frugibus præſertim pluvioſo cœli ſtatu moleſta; quaſcunque enim plantas arripit, ſtrangulat, & in terram deprimit. Flores oſtendit æſtate albos, lævi purpura perfuſos, calathi figura.

Succus foliorum potus, docente SCHWENCKFELDT, alvum ſubducit. Cum ſale & aceto illitus cutis ſorditates & ſcabiem delet. Folia miſcentur inſeſſibus ad calculum & ſtranguriam.

LINUM CATHARCTICUM.

Sunt folia Lini pratenſis, C. B. Pin. infima, mucrone obtuſo & ſubrotunda, ſuperiora in caulibus crebra exigua, ſemunciam longa, glabra, ſapore ſubamaro & ſubacri.

Herba

LINUM CATHARCTICUM dicitur à virtute.

Eſt

Linum pratenſe floribus exiguis. C. B. Pin. 214. Alſine verna glabra

bra floſculis albis, vel potius Linum minimum. I. B. 3. 455. Linum ſylveſtre Catharcticum. Germ. emac.

Majo, Junio, Julio & Auguſto reperitur in pratis præſertim ſiccis, paſcuis ſiccioribus, præſertim montoſis.

Herba integra cum caulibus & capitulis in vino albo per noctem ſuper cineres calide infuſa feroſos humores purgat ſatis valide. Sumi poteſt vel herba contuſa, vel ejus exſiccatæ pulvis cum tantillo cremoris Tartari & ſeminum Aniſi, & purgat ſine moleſtia docente BOWLE apud RAJUM.

RANUNCULUS ACRIS.

Sunt folia Ranunculi pratenſis erecti acris, C. B. Pin figura & diviſura Napelli aut Aconiti lutei foliis perſimilia, purpureas interdum maculas habentia, brevi lanugine hirſuta, acria, nec ad pediculum usque in tres partes diviſa, quemadmodum Ranunculi repentis folia.

Vocatur etiam RANUNCULUS CAUSTICUS, RANUNCULUS LUTEUS, gelb Hahnenfuß/ ſcharffer oder brennender Wieſen-Hahnenfuß/ Brennkrauth/ Blatterkrauth/ Fröſchkrauth. HERBA SCELERATA ab APULEJO dicitur, quod mendici flagitioſi ſibi crura & lacertos hac ipſa dilaniare ſoleant. RENONCULE, BACINET, PIED DE CORBIN, PIED DE COCQ.

Ranunculus eſt plantæ genus, flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, & calyce multifolio plerumque donato. Ex floris meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum fere globoſum, vel cylindraceum aut ſpicatum, cujus axi ceu placentæ multa ſemina adhæreſcunt, plerumque nuda.

Ranunculus pratenſis erectus acris. C. B. Pin. 178. Ranunculus rectus non repens flore ſimplici luteo. I. B. 3. 416. Ranunculus pratenſis ſurrectis cauliculis. Lob. Icon. 665.

Ranunculus pratenſis erectus acris & maculatus. C. B. Pin. 179. Ranunculi alterius ſpecies maculis notata Trag.

In

In pratis pluſquam notiſſimus, cujus flores ſæpe integra prata operiunt.

DIGITALIS

Eſt planta, uti ZORNIUS loquitur, acerrimi ſucci, ita ut foris admota cutem in veſicas attollat ceu veſicatorium, humoreſque extrahat. Folia contuſa plantis pedum & carpis manuum (vel per ſe, vel cum ſale & aceto) appoſita ignea vi attrahendi fermentum febrile attrahunt, diſſipant & paroxyſmos quaſi abrumpunt. Sic quidam a febre quartana, diuturna & acutiſſimis in ſiniſtro humero doloribus liberatus eſt teſte SENNERTO, & odontalgia curatā per plantam bracchio impoſitam, ut docent EPHEM. NAT. CUR. Dicitur etiam ungues deformes, digitorum verrucas & hujus generis excreſcentias tollere Ranunculus. Quibus capilli defluunt, docente ETTMULLERO, folia quædam per ſemihorulæ ſpatium impoſita, proficua creduntur, non tamen nimis diu relinquenda, ne cutim capitis exedant. Cocta folia perniones exulceraſcentes eluendo & fovendo & curare & partibus colorem nativum reſtituere perhibent. Contra iſchiadicum dolorem folia contuſa regioni lumbari applicant per 6. horas, donec veſicas excitent, quæ disciſſæ pro more ſuo plorant ſerum acre, poſtea butyro non ſalito eas illinunt, aut folium braſſicæ recentis tepefactum & butyro illitum ſuperimponunt, ſicque dolorem lenire & brevi iterum conſolidationem promovere credunt Authores. Contra Catarrhos oculorum, qui nulli alii remedio cedunt, pari ratione capiti, deraſis prius capillis applicant; item in graviſſima odontalgia, doloribus articulorum atrocioribus &c, carpo applicatur, purgato tamen prius corpore. Bubonibus quoque peſtilentialibus depreſſis, vel non extra cutim protuberantibus imponuntur. Annotante TOURNEFOR-

TIO circumforanei quidam locis, ubi dolores podagrici ſentiuntur, folia contuſa applicant, ſed peſſime, quoniam metus adeſt, ne gangræna accedat. Laudatur ad clavos pedum prius aqua emollitos. Interne nunquam fere, niſi à paucis quibusdam folia 5. vel 6. cum paſſulis minoribus comeſta pro purgatione per ſeceſſum uſurpantur. Dicitur quandoque epilepſiam excitare. Aqua deſtillata vomitum movere & febres propulſare à nonnullis cenſetur. Radix hujus plantæ contuſa naribus ſufflata ſternutationem excitat; denti cavo vero indita illum extirpat. Herba recens fœdum equorum morbum (quem vulgo farcin appellant) ſanat, in maſſam contuſa & equi affecti auribus impoſita.

DIGITALIS.

Sunt folia Digitalis purpureæ, I. B. Verbaſco ſimilia oblonga, in acutum deſinentia, hirſuta, in ambitu ſerrata, ſuperne atrovirentia, inferne incana.

Di-

DIGITALIS à ſimilitudine floris cum Digitali, ſeu Dactylotheca, qua mulieres & ſartores inter conſuendum digitos munire ſolent, Δακτυλῖτις, VERBASCULUS DIGITALIS, NOLA SYLVESTRIS quoque vocatur. Fingerkrauth / Fingerhut / braun Fingerkrauth / braun Fingerhut / Waldglöcklin / Walſchell / DIGITALE, DOIGTIER.

Eſt plantæ genus flore monopetalo anomalo tubulato, utrimque patente & quaſi labiato, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, poſtica floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam è rotundo acuminatam, bifariam dehiſcentem, in duo loculamenta diviſam, & ſeminibus fœtam utplurimum exiguis.

Digitalis purpurea. I. B. 2 812. & Dod. Pempt. 169. Digitalis purpurea folio aſpero. C. B. Pin. 243.

In montibus Alſatiæ noſtræ ſponte umbroſis locis luxuriat. Integra fere æſtate flores gerit pendulos elegantes.

Digitalis herba Emetica eſt. Somerſeti Angliæ, ut RAJUS docet, ruſtica turba hujus decocto febricitantibus purgationes & interdum ſuperpurgationes & vomitiones humidioribus alvo molitur. PARCKINSONUS efficacem eſſe aſſerit contra epilepſiam. Qui enim viginti & ſex annos continuos eo morbo laborarunt, ita ut ſingulis menſibus bis terve caderent, hujus decocti uſu penitus liberati ſunt, ſaltem per integros ſedecim menſes ne unum quidem paroxyſmum ſenſerunt. Verum, monente RAJO, medicamentum hoc robuſtioribus tantum convenit, ſiquidem violenter admodum purgat, & vomitiones immanes excitat. Strumoſis conducere tritam & impoſitam ſuccumve ejus in unguento experientia comprobatum eſt. Novi plures (inquit DN. BATESIUS in Mſc. nondum edito ut refert RAJUS) qui in ſtrumoſis tumoribus digitalis floribus valde confidunt, quos in butyro Majali, quot poſſunt immittentes, curant inſolandos per æſtatem. Alii cum adipe porcino miſcent & ſub terra defodiunt per 40. dies; utrique flores cum unguento reſervant, una linteis inducunt & tumoribus applicant: hoſce tumoribus diſcutiendis vel maturandis, ulceribus detergendis vel explendis ſufficere ferunt ſe expertos. Quinto & ſexto quoque die Diacarthamo purgant; interim continue decoctum Herbæ Robertianæ præbent; pars ulceris rubens parte unguenti tenuiori illinatur, pars autem craſſior unguenti linteamini imponatur, quod nunquam mutetur. Sunt qui novella & primo erumpentia plantæ germina accipiunt, eorum ſuccum expreſſum in butyro coquunt ad ſucci conſumtionem, atque hoc novo ſucco addito bis terve repetunt. Oportet ut paretur ſufficiens quantitas unguenti eo anno, quo flores haberi poſſunt, cum nonnunquam integer annus aut eo amplius ad curam perficiendam requiratur. Quamvis ulcera primo majora fiant, ne metuas, ſiquidem unguentum, poſt-

quám humores ōmnes abſumſerit & exſiccaverit ea demūm ſanabit & cute obducet. Unguentum hoc in ſcrofulis humidis & pure manantibus præcipue utile eſt; in ſiccis parum valet; ſed ad Baſilicon & præcipitatum confugiendum. Habui ex relatione viri amiciſſimi, tum rei Herbariæ, tum totius Medicinæ pertiſſimi, D. E. HULSE.

Proverbium eſt Italicum, Aralda (Digitalis) tutte le piaghe ſalda; Digitalis omnes plagas ſanat.

℞. Herb. digitalis man. ij. Rad. Polypod querni ℥iv. coque in Cereviſiæ vel aquæ q. s. Decoctum propinetur in Epilepſia.

COTULA FOETIDA.

Sunt folia Chamæmeli fœtidi, C. B. Pin. Chamomillæ vulgari ſimilia, odore abominabili, guſtu amaro.

κυνάνθεμις, κυνοβοτάνη. COTULA FOETIDA ab odore vocatur. CAUTA quoque dicitur, ut & COTTA & COTA; CHAMOMILLA FOETIDA, HERBA CANIS, CHAMOMILLA CANINA, CHAMÆMELUM FOETIDUM, ANETHUM CANINUM, PARTHENIUM ſed non adeo bene, BUFONARIA. Stinckende oder wilde Chamille/ Hundsdill / Hundsblum/ Hundschamillen/ Krottendill. CAMOMILLE PUANTE.

Chamæmelum fœtidum. C. B. Pin. 135. Chamæmelum fœtidum ſive Cotula fœtida. I. B. 3. 120. Cotula alba. Dod. Pempt. 258.

Provenit hinc inde in arvis aliisque locis, floret æſtate.

σφιν-

De uſu hujus Cotulæ ita diſſerit JOH. BAUHINUS. Odor hujus capiti obeſt, & ſi crebro utaris phreneſin inducere creditur, teſte BRUNFELSIO. Sed decoctio ejus, authore TRAGO, non aliter quam Caſtoreum, contra præfocationem uteri, inſeſſu, fomentationibus, ac odoratu, ſa-

ſaluberrima eſt. Cotula fœtida tuſa & emplaſtri inſtar vulneribus impoſita, illa conglutinat ac perſanat. Sapore eſt acutiſſimo juxta Matthiolum & vi exulcerante prædita. Calidam autem ſiccamque eſſe odor ſaporque demonſtrant. Apiariis, ut prodidit RUELLIUS, optime cognita, qui hac ſuas fricant manus, vel ſecum habentes geſtant, cum alvearia caſtranda ſunt, atque ſævientium apum impetus ſunt cohibendi, illico furore hujus ſenſu edomito miteſcunt. Nam etſi flos ſit pulcherrimus, ita ut apes amoenitate hujus illectæ eminus advolent, huic tamen non inſident, ſed herbam totam peroſæ diffugiunt, vel certe guſtato flore protinus faſtidioſæ transvolant. Nam apiculæ muſcæque, quæ convenientes ramis hujus cohæſerunt, emoriuntur: argumento, quod hanc plantam demortuis apibus aut muſcis invenies ſemper onuſtam; ita apibus adverſatur.

Bilem atram præterea hæc Cotula, ut SCHWENCKFELDT cum aliis docet, & pituitam, haut ſecus atque Epithymum, per inferna ducit. Aſthmaticis, Melancholicis, Vertiginoſis atque calculoſis prodeſt. Vino decocta hæc planta bibitur adverſus Hydropem & uteri ſtrangulationem vulgi experimento. Icterum quoque curat. Lotio pedum ex florum decocto capiti confert, melancholicis & vertiginoſis fœminis, quæ uteri ſuffocationem patiuntur, competit. Decoctum foliorum laudatur etiam in angina, ubi quoque conducere aſſerunt ſuffitum hujus decocti. Laudatur quoque ad ſtrumas. Conducit in arthritide vaga in inſeſſibus.

PLANTÆ CONSTANTES SALE LAXANTE.

Branca Urſina.	Polygala.
Saponaria.	Alſine.

BRANCA URSINA.

Sunt Brancæ Urſinæ Germanicæ folia, Acanthi foliis ſimilia, altius plerumque laciniata, & ex pluribus foliis ſingularibus in alam digeſtis, coſtæ adhæreſcentibus, compoſita, tam prona quam ſupina parte tenera lanugine obtecta, ſapore dulci.

σφονδύλιον, Sphondylium, à Sphondyle inſecto, cujus odorem æmulatur. Branca Ursina à foliorum forma, Acanthus Vulgaris ſive Germanica, Platanella, Chamæplatanus, teutſch Bärenklau/ Bärentatz/ Bärwurtz/ Berce, Branc Ursine Batarde,

Eſt planta flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante inæqualibus, cordiformibus, in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum compoſitum ex duobus ſeminibus amplis planis, ovatis, apice introrſum emarginato, ſtriatis, involucrum plerumque deponentibus, lituris nigris, qua parte ſibi adhæreſcunt, notatis,

Sphondylium vulgare hirſutum. C. B. Pin. 157. Sphondylium quibusdam ſive Branca Urſina Germanica. I. B. 3. 2. 160. Sphondylium. Dod. Pempt. 307.

In pratis uligine madentibus, circa agrorum & pratorum margines locis humidioribus ac paluſtribus, Junio floret menſe.

Poly-

Folia Brancæ urſinæ, ut cum ETTMULLERO loquar, reſolvendo & blande laxando operantur, clysmata, cataplasmata & ſimilia emollientia & demulcentia ingrediuntur; recipiuntur quoque inter cataplasmata ſuppurantia. Poſſunt etiam adhiberi in fomentis ſeu decoctis emollientibus contra obſtructiones, in balneis nephriticis & uterinis in calculo & partu difficili, pro emolliendis & laxandis viis. Folia hæc cum fructu imponi eryſipelati dicuntur. Referuntur inter 5.

her-

herbas emollientes. Succus foliorum conducit ad capillos criſpos reddendos. Poloni & Lithuani inter olera uſurpant. Parant quoque Poloni & Uratislavienſes ex decocto hujus plantæ fermentato potum medicamentoſum, quem vulgo Bartzſch vocant, pro ſcopo diuretico & antiſcorbutico. Juxta SENNERTUM hoc potulento utuntur quoque febricitantes, & imprimis heluones poſt pocula heſterna ad ſitim ſedandam. Quid in Plica Polonica valeat, videatur ſub Lycopodio: Semen hujus plantæ laudatur ad epilepſiam, Icterum, hydropem, aſthma &c. ſed raro uſurpatur.

℞ Fol. Branc. Urſin. m. ij. Mercur. Althææ ana mj flor. Chamom. p iij. Semin. Cumin. Anis. ana ʒj. coqu. in ▽ fontan. vel juſcul carn. Colat. ℞. ℔j. ☍ Lini ℥iij. Vitell. ov. No. ij. Mſc f. enema emolliens carminativum & anticolicum.

℞. Fol. branc Urſin mijß. fol malv: m. ij. Sem. anis. ʒij. Coq. in Aqu. font. Colat. ℞. ℥x. Mellis anthos. ℥ij. ☍ Anethi, Chamom. coct. ana ℥j. vitell. ovor. No. ij. f. Clyſter in colica conveniens.

POLYGALA.

Sunt folia Polygalæ vulgaris, C. B. Pin. humi ſparſa & in caulibus numeroſa: illa ſubrotunda, hæc oblonga & acuta, carnoſa, guſtu vehementer amaro.

In-

POLYGALA dicitur a πολὺ multum & γάλα lac, quoniam lac augere perhibetur. POLYGALON item, & FLOS AMBARVALIS appellatur, quod feſtis ambarvalium diebus præcipue vigeant hujus plantæ ſpecies, ac ruſticæ virgines ex his, plerisque locis, tunc coronas ſibi nectant. Ambarvalia autem feſta ſunt, quæ Romana Eccleſia dies appellat rogationum, germanis Creutztäge / tunc enim arva à Sacerdotibus & populo luſtrantur. Ramſel / Creutzblümlein / Natterblümlin.

Eſt

Eſt planta flore monopetalo, anomalo, perſonato, poſterius non perforato, anterius in duo labia diſtincto, quorum ſuperius bifidum, inferius vero pulchre fimbriatum. Ex floris ima parte ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum compreſſum, bifariam dehiſcentem, in duo loculamenta diviſum & ſeminibus fœtum oblongis: fructus autem involvi ſolet calyce ipſo floris ex quinque foliis conſtante, tribus nempe exiguis & duobus amplioribus, quæ deinde fructum complectuntur alarum inſtar.

Polygala vulgaris. C. B. Pin. 215. Polygalon multis. I. B. 3. 386. Polygala cærulea. Tabern. Icon. 831.

Polygala major. C. B. Pin. 215. Polygala vulgaris major. I. B. 3. 387. Polygala major cærulea. Tabern. Icon. 831.

Polygala alba. Tabern. Icon. 831.

Polygala purpurea. Tabern. Icon. 831.

Polygala major alba. Tabern. Icon. 829.

Polygala major purpurea. Tabern. Icon. 830.

Nusquam non in pratis aliisque campeſtribus herbidis, ſylvoſis, Majo, Junio, Julio occurrit.

Infuſa hæc herba in vino, ad manipulum unum, blande & absque torminibus alvum laxat, bilemque præſertim evacuat. Pota ſeu in ſorbitionibus ſumta Lactis ubertatem revocare, ut ſupra dictum, fama eſt. Tuſa, juxta SCWENCKFELDT, impoſita, inflammationes & tumores lenit.

SAPONARIA.

Sunt folia Saponariæ majoris lævis, C. B. Pin. Gentianæ cruciatæ foliis ſimilia, colore minus hilari, rigida; nervis communiter ternis ſecundum longitudinem decurrentibus inſtructa, ſapore nitroſo,

Plan-

SAPONARIA quod Saponis inſtar ſpumeat, στρούθιον, STRUTHIUM à verbo στρουθίζεσθαι, quod græcis eſt lanas purgare & candidas facere.

cere, LANARIA, quod ea mediante mundentur Lanæ, LYCHNIS SAPONARIA DICTA, LYCHNIS FULLONIA, HERBA FULLONUM, Seiffenkrauth/Waſchkrauth / ab extergendi facultate, qua ſaponis ritu pannos eluit purgatque. Speichelwurtz/ quoniam maſticata pituitam copioſe elicit, Madenkrauth/Spatzenwurtzel/SAVONIERE.

Eſt ſpecies Lychnidis, nempe

Lychnis ſylveſtris, quæ ſaponaria vulgo. Tourn. I. R. H cl. 8. s. 1. g. 2. Saponaria major lævis. C. B. Pin. 206. Saponaria vulgaris. I. B. 3. 346. Saponaria. Dod. Pempt. 179.

Juxta fluvios, torrentes, & ſtagna locis opacis & arenoſis ſponte naſcitur, floret Majo, Junio & Julio.

ALSINE

Planta hæc tenuium eſt partium, aperit, attenuat, abſtergit, tanquam ſudorifera laudatur in Lue Venerea, aſthmati conducit, commendatur ad epilepſiam, menſes provocat. Externus autem uſus frequentior in ſcabie & ulceribus. Decocta herba optimum porrigit abſtergens, & exſiccans ſcabiem & ulcera; maculas quoque lividas & cæruleas à contuſione pellit, coſmeticumque præbet remedium, ad nitorem cuti conciliandum. Ptarmica quoque eſt, diſcutit tumores, & cephalalgiam ſiſtit, in forma cataplaſmatis adhibita. Adhibetur ad ſapones manuarios. Radix Saponariæ juvare dicitur eos, quibus in thorace & pulmonibus fiſtulæ ſunt, admota & injecta: ſemen ſaponariæ celebratur in Epilepſia. Datur ad ʒj. ante paroxyſmum ſemel in menſe per tria Novilunia.

℞. Herb. Saponar. Scabios. ana m. j. fol. Nicot. ℥ß. ſulphur. crud. ʒvj. coq. in vino, in quo lintea intingantur & applicentur in ſcabie & impetigine.

ALSINE.

Sunt folia Alſines vulgaris ſive morſus Gallinæ, I. B.

Anagallidis foliis minora, ſubhirſuta ex geniculis adverſa, guſtu fatuo.

ALSINE dicta eſt, uti RAJUS loquitur, quod lucos & umbroſa præcipue loca amet, AVIUM HERBA, INTESTINUM GALLINÆ, MORSUS GALLINÆ, ANSERUM HERBA, Hüner-darm/ Hünerbiß/ Hünerſerb/ Gänßkrauth/ Vogelkrauth/ quoniam aves hanc herbam adamant, & cum eſcam faſtidiunt, uſu hujus plantæ recreantur. MORGELINE.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis, modo bifidis modo integris, conſtante; ex cujus calyce, quinquefolio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum membranaceum, unicapſularem, ſubrotundum vel conicum, apice dehiſcentem, ſeminibusque fœtum placentulæ affixis.

Sermo hic eſt de ſequenti Alſines ſpecie

Alſine media. C. B. Pin. 250. Alſine vulgaris ſive morſus Gallinæ. I. B. 3. 363. Alſine minor Dod. Pempt. 29.

Lucos & humentia amat, interim tamen in hortis quoque, inter olera ac in vineis, frequenter enaſcitur. Viret etiam hyeme. Vere ac æſtate floret atque ſemen perficit.

Ἀλκαιο

Planta hæc rarius quidem in uſum trahitur, attamen folia ejus imo integra herba, ob ſuccum aquoſo oleoſo nitroſum, refrigerat, humectat, citra adſtrictionem leniterque abſtergit & alvum laxat. Virtute quoque gaudet paregorica, unde à mulieribus in lacte exhibetur infantibus, qui torminibus ventris excruciantur. Pulvis ſiccus hæmorrhoidalem fluxum nimium ſedat inſperſus doloremque mitigat. Commendatur porro ejus uſus atrophia laborantibus atque Phthiſicis. Succus vim obtinet vulnerariam; hæmoptoycisque auxilio eſt. Ad lac quoque imminuendum tum interno tum externo uſu deprædicatur. Suo loco relinquimus an verum ſit, quod hæc planta vulnus conſolidatum rurſus adaperire per ſe valeat.

PLANTÆ

PLANTÆ CONSTANTES PARTICULIS OLEOSIS AQUOSIS CRASSIS.

Alcea.
Atriplex ſylveſtris.
Blitum.
Braſſica.
Circæa.
Craſſula major.
Lampſana.
Lapathum hortenſe.
Lenticula paluſtris.
Ophris.
Herba Paris.
Typha.
Spinachia.
Unifolium.

Acanthus.
Beta.
Bonus Henricus.
Cacalia.
Cotyledon.
Cucubalus. Dulcamara.
Lapathum aquaticum maximum.
Lapathum ſanguineum.
Omphalodes.
Plantago aquatica.
Sedum majus.
Solanum.
Valerianella.

ALCEA.

Sunt folia Alceæ vulgaris, I. B. Malvævulgaris ſurrectæ ma-

majora ad pediculum usque plerumque in plura ſegmenta diviſa, atrovirentia, hirſuta.

Ἀλκαία, ab ἀλκὴ auxilio vel remedio dicta, vocatur etiam HERBA SIMEONIS vulgo, Sigmarswurtz/ Sigmundswurtz/ Simeonskrauth/ wilde Papplen/ ALCEE, MAUVE SAUVAGE.

Differt à Malva foliis diviſis & profundius inciſis.

Alcea vulgaris major flore ex rubro roſeo. C. B. Pin. 316. Alcea vulgaris. I. B. 2. 953. Dod. Pempt. 656.

Provenit in incultis, campeſtribus agrorum ſcrobiumque marginibus, juxta vias, ſepes & ſemitas. Floret Junio, Julio & Auguſto.

Rarius licet uſurpetur, easdem tamen cum Malva atque Althæa poſſidet virtutes. Præterea radix commendatur ad oculorum morbos quosdam &c. tum intus uſurpata, tum extus appenſa. Laudatur quoque ad ſanguinis fluxum ex loco quocunque, inprimis in dyſenteria aliisque alvi fluxibus.

ACANTHUS.

Sunt folia Acanthi ſativi, C. B. Pin. humifuſa, pedalia, profunde laciniata, mollia, intenſo virore ſplendentia, piloſa, ſaporis glutinoſi & viſcidi.

In

Ἄκανθος, παίδερος, μελαμφύλλος, BRANCA URSINA à ſimilitudine, quam ejus folia cum anterioribus Urſorum pedibus habent. TOPIARIA, MARMORARIA, quod Acanthi folia columnarum maxime capitulis inſculpebantur, welſch Beerenklau/ ACANTHE, BRANC URSINE.

Eſt plantæ genus flore monopetalo, anomalo, cujus anterior pars trifariam dividitur poſterior vero in annulum deſinit, ſtaminibus labii ſuperioris locum occupantibus, apicesque ſcoparum æmulos ſuſtinen-

nentibus. Ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum, calyce obvolutum ſepto intermedio in duo loculamenta diviſum, & ſeminibus fœtum utplurimum gibbis. Acanthi ſpecies floribus carentes foliorum forma dignoſcuntur. Hæc autem adeo venuſta, ut columnarum capitulis inſculpi ſoleat.

Humida amat, colitur in hortis ornatus gratia, floret æſtate.

Sequens præcipue ſpecies in uſum venit

Acanthus ſativus vel mollis Vergilii. C. B. P. 383. Carduus Acanthus ſive Branca Urſina. I. B, 3, 75. Acanthus ſativus. Dod. Pempt. 719.

In uſu folia. Emollit, aperit, dolores mitigat, adhibetur in clyſteribus, cataplasmatibus, fomentis & decoctis emollientibus contra obſtructiones, in balneis nephriticis, uterinis, calculo & partu difficili, pro emolliendis & laxandis viis.

ATRIPLEX SYLVESTRIS.

Sunt folia Atriplicis ſylveſtris, I. B. fere rhomboidæa, ſinuata, quæ inferiora, ſuperiora vero longiora, quædam parum ſinuata, alia in totum ſinuata, xerampelina, per margines ſubinde rubentia, pulviſculo farinaceo reſperſa.

In

Ἀτράφαξις ἀγρία, ATRIPLEX SYLVESTRIS, ATRIPLEX AGRESTIS, ATRIPLEX STERCORARIA, CACATORIA, quod cacationes inducat, Scheißmilten / Scheißmelten / wilde Melten / ARROCHES SAUVAGES.

Hanc Atriplicem TOURNEFORTIUS ad Chenopodium refert.

Chenopodium autem eſt planta flore apetalo; plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtante, ex calyce multifido ſurgentibus. Piſtillum au-

abit

abit deinde in ſemen orbiculatum & planum, in capſula veluti ſtelliformi, quæ floris calyx fuit, reconditum.

Chenopodium folio ſinuato candicante. Tourn. I. R. H. cl. 15. s. 1. g. 4. Atriplex ſylveſtris folio ſinuato candicante. C. B. Pin. 119. Atriplex ſylveſtris. I. B. 2. 972. Tabern. Icon. 426.

In hortis oleraceis & circa moenia urbium, plurima occurrit hæc planta, juxta vias, ſemitas, ſcrobes, agrorum margines, fimeta &c. floret Junio & Julio & ſubinde Auguſto.

In uſum venit ut ſativa, ſed rarius. Refrigerat, humectat & alvum laxat. Folia contuſa recentia podagricos dolores leniunt.

BETA.

Sunt folia Betæ vel candidæ vel rubræ I. B. inſtar Lapathi craſſa, ſucculenta, ſapore nitroſo.

Beta

BETÆ nomen gerit, hoc olus, uti volunt, à græca litera β. quoniam cum ſemine turget, ſummitatem in cacumine reflexam habet. Τεύτλον, τεύτλιον, σεύτλιον, ἀπὸ τῦ σεύεσθαι, quod eſt impelli, alte enim inſurgit, foliaque acquirit valde lata. Bete / Mangold / Mangolt / Bießenkraut. POIRÉE,

Eſt plantæ genus flore ſtamineo, ex plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtante, ex calyce quinque folio ſurgentibus, plures autem flores velut in capitulum colliguntur, eorum calyces deinde abeunt in fructum fere globoſum, in quo veluti nidulantur ſemina.

Hic intelliguntur duæ ſequentes ſpecies

Beta alba vel palleſcens, quæ Cicla officinarum. C. B. Pin. 118. Beta communis ſive viridis Ejusd. Beta candida. I. B. 2. 961. & Dod. Pempt. 620. Weißer Mangold / weiße Bete / POIRÉE BLANCHE.

&

Beta

Beta rubra vulgaris. C. B. Pin. 118. Beta rubra, I. B. 2. 961. & Dod. Pempt. 620. Beta nigra. Ang.

Coluntur in hortis. Solum diligunt madens. Julio & Auguſto florent, Septembri ſeminibus turgent.

βλίτον

Beta inter culinares herbas utique referenda. Uſurpatur autem magis alba. Decoquitur ut alia olera. Non autem multum largitur nutrimenti. Juxta EOBANUM HESSUM enim,

Cruda eſt Beta, nocet, coctam ſumſiſſe juvabit,
Sumpta frequens ſtomachum vellicat atque jecur.

Ut autem bene quoque ſapiat hoc olus, condimentis opus eſt. Hinc artis obſonatricis peritus MARTIALIS jam cecinit.

Ut ſapiant fatuæ fabrorum prandia Betæ,
O quam ſæpe petit vina piperque Coquus.

Caules quoque Betæ elixantur & in acetariis aſſumuntur.

Medicam quod concernit virtutem, Beta, ob ſuccum aquoſo nitroſum, emollit, abſtergit & alvum laxat, refrigerat quoque. A quibusdam inter herbas emollientes refertur. In alvi obſtructione conducunt juſcula, quibus folia conciſa largiter fuere incocta. Ob eundem finem recipitur in clysmata. Hanc autem virtutem Betæ candidæ magis adſcribunt quam rubræ, quippe cui, ob virtutem ſubadſtringentem vires alvum conſtipandi potius aſſignant. Virtute quoque refrigerandi gaudent. Applicantur hæc folia porro

ex-

externe, poſt applicita veſicatoria. Succus errhinum conſtituit. Folia viridia contuſa ulcera depaſcentia curant, fomentum ex decocto Betæ perniones mitigat. Radicem quoque quidam uſurpant ad furfures lentiginesque delendas. Inſervit eadem cum melle & ſale tanquam ſuppoſitorium: ad combuſta atque cum melle mixta in Alopecia laudatur: ſunt qui aſſerunt radicem hanc vino immiſſam efficere, ut hoc citius aceſcat.

BLITUM.

Sunt folia Bliti albi vel rubri majoris, C. B. Pin. Betaceis minora, magis rugoſa, qua cœlum ſpectant, alba vel rubentia.

βλίτον forſan quaſi βλητόν propter inertiam & inutiliatem rejicendum. Meyer/ Blete.

Eſt plantæ genus flore apetalo, tribus ſcilicet ſtaminibus conſtante, ex calyce tripartito ſurgentibus. Piſtillum autem abit deinde in ſemen plerumque oblongum, in capſula veſicæ æmula, quæ calyx floris fuit, reconditum.

Blitum eſt vel ſativum, vel ſylveſtre, prius autem plerumque in uſum trahitur, & quidem duæ ſequentes ſpecies.

Blitum album majus. C. B. Pin. 118. Blitum pulchrum album magnum. I. B. 2. 967. Blitum majus, Dod. Pempt. 617. Groſſer weiſſer Meyer.

Blitum rubrum majus. C. B. Pin. 118. Blitum pulchrum rectum, magnum rubrum, I. B. 2. 966. Blitum rubens. Dod. Pempt. 617. Rother Meyer/ groſſer rother Meyer/ Blutkrauth/ Hanenkamp.

Colitur Blitum in hortis.

Bonus

Olus quidem eſt edule & alvo utile, ſed parum nutriens, per-

pertinet ad olera ἄποια, inſipida propter ſubſtantiam aquoſam, unde etiam non multum amplius in uſum recipitur, præſertim cum ſimul noxium ſit ſtomacho. Tanquam herba emolliens humectansque in clysmata poteſt recipi. Juxta SCHWENCKFELDT, ſuffitus Bliti rubri menſes provocat, molas & ſecundinas educit: ad pecorum hæmorrhagiam vulgi eſt medela.

BONUS HENRICUS.

Sunt Boni Henrici, I. B. folia triangula atriplicis, atrovirentia, farina tenui reſperſa, ſapore nonnihil nitroſo.

BONUS HENRICUS, vocatur ab utili ſua qualitate, LAPATHUM UNCTUOSUM à foliis unctuoſis, TOTA BONA à viribus dicitur. Guter Heinrich/ ſtoltzer Heinrich/ Schmerbel/ Smerling/ſchmiericht Mangold/RUMEX UNCTUOSUS, BON HENRY.

Eſt ſpecies Chenopodii, planta ſcilicet flore apetalo, plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtante ex calyce multifido ſurgentibus. Piſtillum autem abit in ſemen orbiculatum, planum in capſula veluti ſtelliformi, quæ floris calyx fuit, reconditum.

Chenopodium folio triangulo. Tourn. I. R. H. cl. 15. Sect. 2. g. 4. Lapathum unctuoſum folio triangulo. C. B. Pin. 115. Bonus Henricus. I. B. 2. 965. Tota bona. Dod. Pempt. 651.

Ubivis fere ſponte provenit, locis incultis, aſperis, ad ſepes, parietes, viarum margines. Majo & ſqq. menſibus floret.

BRAS-

Bonus Henricus refertur inter olera, coctus enim vel ſolus vel cum aliis oleribus & comeſtus alvum reddit lubricam. Virtutem poſſidet abſtergendi atque expurgandi haud vulgarem. Inſigni facultate in glutinandis vulneribus recentibus,

& expurgandis ulceribus antiquis, putridis & verminoſis pollet. In acerbo hæmorrhoidum cruciatu experimentum eſt, ut SEBIZIUS refert, ſi herba tundatur, poſtea cum butyro & lactis cremore lento igne coquatur, tandemque ſuccus exprimatur. Ob vim anodynam & digerentem diſcutientemque laudatur ad dolores podagricos. Conducit in ulceribus Tibiarum, ſi inflammatio ea corripiat; certo enim mitigat. Succus ex herba ejusque radice expreſſus ſcabiem & herpetem ſanat. Virtutem aphrodiſiacam huic plantæ a PARACELSO aliisque adſcriptam ſuo loco relinquimus.

℞. Herbæ boni Henrici rec. ſine florib. m. jv, flor. Sambuc. Chamom. ana m. ij. conſcinde groſſe, coque in s. q. aqu. Sambuci ad putrilaginem, quibus admiſce Gumm. Carannæ ℥ß. Camphoræ ʒß. Mſc. f. l. a. cataplasma admodum conducens in doloribus podagricis, teſte SIMONE PAULI in Q. B.

BRASSICA.

Sunt folia Braſſicæ vulgaris plerumque rugoſa ſinuata & cæſia.

Alle-

BRASSICA quaſi πρασσικὴ olus per excellentiam; aliis dicta putatur ἀπὸ τοῦ βορχάζειν a vorando. Quibusdam audit κραμβη: quidam appellatam putant quaſi PRÆSECAM, quod folia ex ejus ſcapo præſecentur. Alii quaſi PRASSICAM nominatam volunt, quod ex ſcapo præſecetur & paſſa fiat. CAULEM etiam nnuncupant, quia caulis eſt inſignis, cui folia adnata, Kohl/ Köl/ Kohlkrauth/ Krauth/ CHOU.

Eſt plantæ genus flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum; quod deinde abit in fructum ſeu ſiliquam teretem longam, cylindraceam, ſepto intermedio, cui valvæ imbricatæ utrimque adhæreſcunt, in duo loculamenta diviſam, ſeminibus

nibusque fœtam ſubrotundis. His notis addenda eſt totius plantæ facies, quæ poſita eſt in foliis plerumque rugoſis, ſinuatis & cæſiis. Species Braſſicæ in uſu frequentiores hæ ſunt.

Braſſica alba vel viridis. C. B. Pin. 111. Braſſica alba vulgaris. I. B. 2. 822. Braſſica vulgaris ſativa. Dod. Pempt. 621. Köhl/ gemeiner Köhl/ weiſſer Köhl/ grünweiſſer Kohl/ CHOU BLOND.

Braſſica alba criſpa. C. B. Pin. 111. Braſſica Sabauda rugoſa. I. B. 2. 828. Braſſica Sabauda. Dod. Pempt. 624. Savoiſcher krauſſer Köhl/ CHOU FRISE' BLANC.

Braſſica fimbriata. C. B. Pin. 112. Braſſica criſpa laciniosa. I. B. 2. 832. Braſſica tophoſa. Tab. Ic. 401. Krauſſer Köhl/ CHOU CRESPE'.

Braſſica rubra. C. B. P. 111. & Tabern. Icon. 396. Braſſica rubra vulgaris. I. B. 2. 831. Breiter rother Kohl/ CHOU ROUGE.

Braſſica capitata alba. C. B. Pin. 111. & I. B. 2. 826. Braſſica capitata albida. Dod. Pempt. 623. Vocatur alias etiam Braſſica ſeſſilis, glomerata, caulis capitatus, Caputium, olus, Krauth/ Hauptkrauth/ weißkrauth / Kappes / Kappeskrauth / CHOU POMME' BLANC.

Braſſica alba capite oblongo non penitus clauſo. C. B. Pin. 111. Braſſica Italica tenerrima glomeroſa flore albo. I. B. 2. 827. Braſſica Sabauda hyberna. Lob. Ic 244. Savoyſchköhl/ CHOU DE MILAN OU DE SAVOYE.

Braſſica capitata rubra. C. B. P. 111. & I. B. 2. 831. Braſſica rubra capitata. Dod. Pempt. 621. Roth Krauth/ roth Kappeskrauth/ CHOU POMME' ROUGE.

Braſſica cauliflora. C. B. Pin. 111. Braſſica multiflora I. B. 2. 828. Braſſica florida Botrytis. Lob. Ic. 245. Blumenköhl / Caulfior/ CHOU FLEUR.

Braſſica gonylodes. C. B. Pin. 111. Braſſica caulorapa. I. B. 2. 829. Braſſica caule rapum gerens. Dod. Pempt. 625. Rubenköhl/ Köhlruben/ Köhlraben/ CHOU RAVE.

Coluntur Braſſicæ ſpecies in agris & hortis, ubi, ut hoc obiter dixerim, Braſſica capitata alba in tantam excreſcit molem, ut unicum caput ſexaginta & ultra libras quandoque pendeat.

Allegatæ Braſſicæ diverſæ ſpecies omnes in uſum œconomicum cedunt diverſimodeque præparantur, cujus præparationis ſcientia ab Artis culinariæ Magiſtris addiſcenda venit. Hic obiter tantum dicendum, quod multi Braſſicam caulifloram præferant, & ipſis etiam ægrotantibus exhibeant, cum tamen æque difficile, ne dicam difficilius, in ventriculo digeratur ac reliqua Braſſica, copiamque flatuum gignat. Pauca quoque verba dicenda de Braſſica capitata alba, muria condita, von dem Saurenkrauth. Quotannis enim magna in copia talis Braſſica in minutas partes ſecatur, & ſale conditur, totoque pene anno aſſervatur. SEBIZIUS cum aliis non adeo benignum de Braſſica condita fert judicium. Sapit quidem, inquit, edulium iſtud plerorumque palato: ſed ægre coquitur, ventrem inflat & crudos craſſosque humores producit. Quocirca relinquendam agricolis, foſſoribus, bajulis, nautis, hominibusque aliis qui multis durisque laboribus exercentur, putat. Huic aſſentitur WALDSCHMIDIUS, ita pronuncians. Acido ſuo peregrino inordinatas producit fermentationes variasque in inferioris ventris œconomia excitat turbas Aſt his non obſtantibus mitius videtur eſſe judicandum de hoc edulio. Licet equidem Braſſicam conditam cum GUARINONIO non appellem Theriacam omnium ferculorum, attamen ſi conſiderare volumus fermentationem, quam ſubiit, & gratum, quem exinde acquiſivit acorem, neſcio an non ſummo jure aſſeri poſſit, hanc Braſſicam fermentatione correctam longe antecellere Braſſicam non conditam. Nolo autem nimis hunc cibum extollere, ne & mihi objiciatur tritum iſtud, quod Medici plerumque, quæ palato ipſorum arrident, aliis etiam ſoleant commendare. Braſſica autem hæc acidula facta vel cruda à vulgo cum piſis coctis ſed male comeditur, vel quod melius eſt, coquitur.

Duplex in Braſſica occurrit ſubſtantia , ſucculenta atque terrena. Succus quia nitroſus, ut SEBIZIUS loquitur , acris & abſterſorius , alvum movet , ipſum vero corpus, quia ſiccum craſſum , terrenum eandem ſupprimit. Poteſt autem ventris movendi gratia jus primæ ebullitionis ſucci loco exhiberi. Hoc enim jure ſecundæ aut tertiæ ebullitionis efficacius eſt. Nam quo magis braſſica coquitur, & quo ſæpius aqua nova priori effuſa illi additur, eo magis vis dejectoria amittitur, ſola remanente ſubſtantia craſſa , quæ alvum cohibet juxta SALERNITANOS;

Jus caulis ſolvit, cujus ſubſtantia ſtringit,
Utraque quando datur, venter laxare paratur.

Summo cibo ſumta crapulam diſcutit, & vini noxam reſtinguit. Alii dicunt, quod ante cibum comeſta ebrietatem arceat, poſt vero comeſta eam diſcutiat. Urinam ciet, retuſam vocem reſtaurat. Viſum autem hebetat. Concoctionis eſt difficilis; & quod ſit iniqui ſucci probant ex jure ,in quo decocta fuit, fœtente , & ex Braſſica in hortis putrefacta, quæ abominabilem ſpirat odorem.

Licet autem jam Braſſica eſui maxime ſit deſtinata , virtutibus tamen etiam Medicis gaudet, imprimis Braſſica rubra, quæ acrimoniam humorum præprimis in pectore mitigat, tuſſim ſedat, in aſthmate atque Phthiſi conducit ; Virtute gaudet diuretica. In raucedine multum laudatur. Prodeſt in ſcorbuto & hydrope. Quidam ſuccum ex Braſſica rubra expreſſum cum ſale exhibent adverſus apoplexiam & epilepſiam. Recipitur etiam in decocta vulneraria externa. Vis plantæ hujus detergens patet ex eo, quod verrucæ ſucco Braſſicæ illitæ intra 14. dies evaneſcant. Folia braſſicæ ulceribus ſerpentibus & cacoœtheis imo ipſi cancro imponuntur. Qui-

dam horum foliorum impoſitionem ſuadent in doloribus podagricis, lateris atque coxæ. In ardore febrili plantis pedum cum ſale applicantur. Commune admodum eſt poſt applicata veſicatoria applicare folia braſſicæ capitatæ albæ butyro inuncta. Juxta HOFFMANNUM in NOTIS ad SCHROEDERUM, in cruſta lactea puerorum repulſa, folia braſſicæ capitatæ tepida impoſita ad fluorem reducunt experimento certiſſimo. Muria braſſicæ conditæ in principio inflammationis faucium, ubi refrigerandum, inſignis eſt efficaciæ; medetur ambuſtis; prodeſt in gangræna. Interne ad reſtinguendum calorem ſucco Citri alterata, pro potu hæc aqua ſalſa miræ efficaciæ pronunciatur ab HOFFMANNO. In febribus continuis & intermittentibus celebratur. Muria enim hæc, uti loquitur GRUNDELIUS in EPH. N. C. particulis ſuis ſalſis acidis & nitroſis ſerum viſcidius ac ſtagnans incidendo & agitando, illudque tum per alvum, tum urinam educendo, hos varioſque alios curare morbos videtur. Convenit poſt crapulam. Commendatur in iſchuria & hydrope. Semen braſſicæ imprimis rubræ, de quo tomo I. pag. 309. agitur, gaudet virtute anthelmintica, vocalia organa roborat, vocemque claram ſonoramque reddit contritum & cum ſaccharo ſumptum. Semen hoc craſſiuſcule contuſum & in carnium jure fervefactum, potumque una cum ipſo jure colico dolore laborantes præſentaneo remedio juvat, juxta MATTHIOLUM. Conducit in gonorrhœa, ebrietatem arcet & diſcutit.

℞. Sem. Braſſic. rubr. ʒiß. aq. Ononid. vel alkek. q. s. f. emulſio edulcoranda ſaccharo, in Nephritide Scorbutica.

℞. Semin. Caulium ʒj. Coriandri. ʒß. Camphor. gr. ij. fiat pulvis ebrietatem tardans PLATERI, aſſumendus cum vino.

℞.

℞. Seminum. Caul. ʒj. Plantag. Portul. Berberis ana ʒß. Coriandri ʒij. flor. Roſar. rubr. Nymphææ, Santali rubr. ana ʒß. Maſtiches, Succini, Spodii ana ℈j. Sal. ℈j. Camphor. gr. vj. fiat pulvis ad eundem ſcopum, cujus ʒij. cum vino vel aqua, ante compotationes aſſumantur. Poterit etiam hic pulvis cum ſaccharo in rotulas aut tabulas redigi.

℞. Conſerv. Roſar. Rob. Rib. Rob. Berber. ana ℥ß. Amygdal. amararum excorticatarum contuſarum No. xij. ſeminum caulium ʒj. Roſar. rubr. ʒj. Syrupi de Agreſta q. s. fiat elect. de quo aliquot cultri cuspides aſſumantur.

℞. Succ. Caulium alborum, Granatorum acidorum, Ribium ana ℥ij. Aceti ℥j. bulliant ſimul. Syrupi hujus Plateriani ℥j. ſumi debet antequam vinum bibatur.

IN OFFICINIS ASSERVATUR.

Syrupus Braſſicæ rubræ, Rothkohl-Syrup/ *Sirop de Choux rouge.* Commendatur in affectibus pectoris, tuſſi præſertim atque aſthmate.

CACALIA.

Sunt folia Cacaliæ tomentoſæ, C. B. Pin. minora quam Petaſitidis, interdum fere paria, non multum tamen abſimilia, ad pediculi inſertionem falcata, circumſcriptione rotunda, ſerrata, ſed & anguloſa, infra tomentoſa, candicantia, ſupra vero glabra.

Herba

κακαλία, λεοντική, TUSSILAGO ALPINA, TUSSILAGO MONTANA, groß Berghuff-Lattig.

Eſt planta flore floſculoſo, plurimis ſcilicet petalis conſtante quadrifariam diviſis, embryonibus inſidentibus, & calyce veluti cylindraceo comprehenſis. Embryo autem abit deinde in ſemen pappis inſtructum.

Ca-

Cacalia tomentoſa. C. B. Pin. 198. Prod. 102. Cacalia foliis craſſis hirſutis. C. B. P. 198. Cacalia quibusdam. I. B. 3. 569. Cacalia incano folio. Cluſ. Hiſt. CXV.

In montibus altioribus etiam in noſtra Alſatia, auff dem Hochfeld im Steinthal/ ad ſylvarum margines, inter frutices, locis umbroſis, prope fluentes & aquarum ſcaturigines creſcit. Junio flores prodit.

Herba , quæ multum olei parum vero ſalis continet, emollit, demulcet, inviſcat imprimis ſerum acre in defluxionibus catarrhalibus. In vino macerata ceu Tragacantha, & delincta commanducatave per ſe tuſſi & arteriæ aſperæ ſcabritei medetur.

CIRCÆA.

Sunt folia Circææ Lutetianæ Lob. Solani vulgaris acutiora, atrovirentia aut ex viridi purpuraſcentia , per ambitum leviter ſinuata.

CIRCÆA ita dicta quod fructus veſtimentis adhæreſcat. CIRCEÆ.

Eſt planta flore ex duobus petalis, calyci etiam bifolio inſidentibus, conſtante: Calyx autem deinde abit in fructum pyriformem, in duo loculamenta plerumque diviſum, ſemine fœta utplurimum oblongo.

Circæa Lutetiana, Lob. Icon. 266. Solanifolia Circæa dicta major. C. B. Pin. 168. Ocimaſtrum verrucarium. I. B. 2. 977.

Locis umbroſis atque humidis in ſylvis juxta ſepes &c. provenit, floret æſtate.

κοτυληδων,

Foliis externe applicitis adſcribitur vis vulneraria , reſolutiva & deterſiva.

COTY-

COTYLEDON.

Sunt folia craſſa , ſucculenta , glauca , umbonem aut umbilicum quaſi referentia, ſaporis viſcidi & aquei.

Mul-

κοτυληδὼν, κυμβάλιον, CYMBALIUM , ACETABULUM à cava folii capacitate acetabulum referente. UMBILICUS VENERIS, UMBILICUS TERRÆ, Nabelkrauth / groß Nabelkrauth/ Venus-Nabel/ Frauen-Nabel. NOMBRIL DE VENUS.

Eſt planta flore monopetalo campaniformi, tubulato & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod infimam floris partem perfodit, abitque deinde in fructum, è plurimis vaginulis conſtantem, in capitulum quoddam collectis, a baſi ad apicem dehiſcentibus, ac ſemine fœtis utplurimum minutiſſimo.

Cotyledon major. C. B. Pin. 285. Cotyledon vera radice tuberoſa. I. B. 3. 683. Cotyledon , Umbilicus Veneris. Clus. Hiſt. LXIII.

Naſcitur frequens in ſaxis & vetuſtis ædificiorum parietibus & in oppidorum moeniis, in locis calidis: in fine autumni oriri incipit, foliaque per hyemem ſervat; Aprili & Majo floret; & tunc folia marceſcunt.

CUCUBALUS

Multum olei atque phlegmatis continent , parum ſalis. Humectant, refrigerant, detergunt, reſolvunt & repellunt. Uſurpari poſſunt in inflammationibus externe & interne. In fluxu albo, quocunque modo ſumpta, à SOLENANDRO laudantur. Ad hydropem quoque multum commendantur.

CRASSULA MAJOR.

Sunt folia Telephii vulgaris, C. B. Pin. ſucculenta, portulacæ foliis longiora , colore glauco rubedine aliqua ſub-

inde perfuſo ; crenata nunc, nunc integra ſaporis nullius manifeſti.

Folia hæc, teſtante KOENIG, acido viſcoſo ſcatent, & eapropter cæruleum mutant in rubrum ; quin & deſtillata multum acidi præbent, paucum vero terræ & olei, ſatis autem ſalis volatilis concreti ; ex quo infertur plantam hanc continere ſal aluminoſum, permixtum ſali armoniaco, involuto nonnihil ſulphuris. Et inde fluit vis detergens, adſtringens & vulneraria. Magna dolores ſedandi facultate pollet hæc herba, idque tam in recentibus vulneribus quam in ſordidis & inveteratis ulceribus efficiunt folia tuſa & impoſita. In vulneribus internis laudatur hæc planta, ſanguinem edulcorat. Prodeſt in herniis & alvi fluxibus. Succus ad cochlear unum exhibitus commendatur ad epilepſiam.

Folia tuſa recentia fronti admota ſanguinem è naribus fluentem reprimunt. Ex ſucco & farina hordei fit mixtura ad ambuſta præſertim à pulvere pyrio aut ſulphure producta.

Herba ſub cineribus toſta & cum adipe ſuillo mixta & impoſita paronychias egregie ſanat.

Inter omnes plantas, inquit TRAGUS vix alia reperitur, quæ diutius vireat & ab interitu vindicetur hac ipſa noſtra ſcrophularia, qua de cauſa nonnulli præſertim Mediomatrices in vigilia D. Johannis illa ad ſuperſtitiones ſuas, uti & artemiſia utuntur. Nam quam primum ea dies tranſierit, ſuſpendunt hanc herbam in conclavibus ſuis, alii etiam parietibus imponunt & ſupra januas collocant, quibus in locis longo tempore viret, & continuo repullulaſcit, ita ut circa feſtum Nativitatis virentem eam reperias. Hoc vero illi faciunt, ea ſpe & fiducia perſuaſi, qua credunt, illi homini, qui herbam ſuſpenderit, nullam lethalem ægritudinem accidere poſſe tantiſper, dum illa incolumis ſit & vigeat.

Juxta SCHWENCKFELDT Maleficiatis ægris ſanitatem celeriter reddere, & incantatione ligatos ſolvere plebs ſuperſtitioſa credit.

℞. Succ. Teleph. inſpiſſ. Succ. Liquir. Gumm. Arab. Gumm. Prun. ana ʒj. Semin. papav. alb. Hyoſcyam ana ʒij. Sem. 4. frig. maj. ana ʒj. Bol. armen. terr. ſigill. Diaphor. Jov. ana ℈ij. cum mucil. Tragacanth. f. Trochiſci; utiles in catarrhis ſalſis, acribus, hæmoptyſi, tuſſi, tabe, mixtione cruenta, diarrhœis, dyſenteriis, arthritide &c. ubi acre ſalſum acidum peccat.

CUCUBALUS.

Sunt folia Cucubali Plinii, Alſines vulgaris foliis, figura & colore ſimilia, longe tamen majora, mollia, ſaporis inſipidi & herbacei.

CUCUBALUS PLINII vocatur etiam CUCUBALUM, CACUBALUM, ALSINE BACCIFERA, ALSINE SCANDENS BACCIFERA.

Eſt planta flore caryophyllæo, plurimis ſcilicet petalis conſtante, in orbem poſitis, ex calyce membranaceo emergentibus. Piſtillum autem ex eodem calyce ſurgit, abitque in fructum mollem, fere ovatum, ſeu baccam ſeminibus fœtam plerumque reniformibus.

Cucubalus Plinii. Lugd. 1429. Alſine ſcandens baccifera. C. B. Pin. 250. Cucubalum quibusdam; vel Alſine baccifera, I. B. 2. 175.

In regionibus calidioribus, Gallia Narbonenſi, Hiſpania, Italia locis humidis & umbroſis provenit, colitur in hortis, floret tota æſtate.

AMARA

Humectat atque refrigerat, hæmorrhagiis medetur in decocto uſurpata hæc planta.

DULCAMARA.

Sunt folia Dulcamaræ, Dod. Solani hortenſis foliis ſimilia, atrovirentia, duabus pinnis nonnunquam ima parte aurita.

AMARA DULCIS, γλυκύπικρος, γλυκύπικρον, γλυκυπικρίδα, GLYCYPICROS, AMARUM DULCE nominatur. Quod ſi enim quis ramulum aut corticem mandat, primo quidem ingratus videtur guſtu & amarus, ſed quo diutius manditur: eo inſignior ejus dulcedo ſe prodit: SOLANUM SCANDENS quoque audit. Bitterſüß / Vergiß mein nicht / ſteigender Nachtſchatten / wilde Stickwurtz / Hirſchkrauth. DOUCE AMERE.

Eſt ſpecies Solani, & quidem

Solanum ſcandens ſeu Dulcamara. C. B. Pin. 167. Glycypicros ſive amara dulcis. I. B. 2. 109. Dulcamara. Dod. Pempt. 402.

Aquoſa & rigua amat & hinc circa ſcrobes & foſſas frequenter reperitur, ſepibus ac fruticibus aliis innitens. Folia vere erumpunt: flores Majo & Junio ſqq. Auguſto baccæ matureſcunt. Ramulus in aquam impoſitus brevi radiculas emittit inſtar Salicis. Glycypicros aquam plerumque ſubeſſe, aut non longe abeſſe indicat.

λαμψάνη

In uſum equidem vix cedit herba. Vi tamen gaudet anodyna & reſolvente, detergit atque digerit, laudatur in obſtructionibus hepatis & lienis. Commendatur in herniis. Ab alto delapſis medetur, dum ſanguinem coagulatum diſſolvit. Menſes quoque & urinam pellit, vim obtinet febrifugam & anthelminticam, tuſſientibus & aſthmaticis convenit. Uſurpatur in decocto cum vino vel aqua. Herba contuſa mammarum dolores mitigare, earumque duritiem emollire, lacque grumoſum diſſolvere fertur.

℞. Folior. Dulcamaræ cum caule ℔j. coqu. in vin. ℔ij. ad caſum tertiæ partis. Hauritur in Ictero.

LAM-

LAMPSANA.

Sunt folia Lampſanæ, Dodon. foliorum Barbareæ inſtar formata, mollicella, hirſuta, lac amarum ſi vulnerentur fundentia.

λαμψάνη, PAPILLARIS à virtute, wild Sonchenkrauth/ Reinköl/ Milchen/ LAMPSANE.

Eſt planta flore ſemifloſculoſo: plurimis ſcilicet petalis conſtante, embryoni inſidentibus & calyce comprehenſis monophyllo & multifido, qui deinde abit in capſulam ſtriatam, ſeminibus fœtam ut plurimum tenuibus & acutis.

Lampſana. Dod. Pempt. 675. & I. B. 2. 1028. Soncho affinis Lampſana domeſtica. C. B. Pin. 124.

Parietinis, ruderibus, arvorum & hortorum marginibus frequens exiſtit.

Reſiccat, ut docet SCHWENCKFELDT, abſtergit, digerit: Emollit alvum interius uſurpata herba. Quidam inter olera eam referunt. Papillas exulceratas impoſita ſanat.

LAPATHUM AQUATICUM MAXIMUM.

Sunt folia Lapathi aquatici folio cubitali, C. B. Pin. Oxylapathi foliis ſimilia, acuminata, ſed longiora, longitudine fere ſeſquicubitali, læviora, minusque rugoſa, leviter criſpatis oris, ſubacida, & ſtrenue adſtringentia.

Fo-

LAPATHUM MAGNUM, HIPPOLAPATHUM MAGNUM, RUMEX PALUSTRIS, LAPATHUM PALUSTRE, HYDROLAPATHUM, Waſſer-Ampffer / wild Münch-Rhabarbara/ GRANDE PARELLE, PARELLE DE MARAIS.

Eſt Lapathum aquaticum folio cubitali. C. B. Pin. 116. Lapathum maximum aquaticum ſive Hydrolapathum. I. B. 2. 986. Lapathum paluſtre. Tabern. Icon. 437.

Naſcitur aquoſis paluſtribus ac ſtagnantibus locis & foſſis humidioribus.

Folia hæc, docente SCHWENCKFELDT, podagris calidis & ulceribus utiliter imponuntur.

LAPATHUM HORTENSE.

Sunt folia Lapathi hortenſis folio oblongo, C. B. Pin. in longitudinem excurrentia nonnulla pedem quædam ſeſquipedem longa, ſemipedem aut minus lata, circa medium latiſſima, in mucronem modice auctum deſinentia, colore ſuperne obſcuro vireſcentia, inferne vero ex viridi cæruleo pallidiora, tuberculis quibusdam quaſi rugoſa, tenera, ac tactu mollia, margine plano prædita, ore commanſa, miſta quadam dulcedine aceſcentia.

λάπαθον κηπευτὸν, RUMEX HORTORUM, RUMEX SATIVUS, Garten-Ampffer.

Hæcce Lapathi ſpecies dicitur

Lapathum hortenſe folio oblongo ſive ſecundum Dioſcoridis. C. B. Pin. 114. Lapathum ſativum, Lapas. I. B. 2. 985. Lapathum ſativum. Dod. Pempt. 648.

Sub finem Maji Juniique initio floret.

LAPA-

Refertur inter olera alvum laxantia. Convenit cum beta, ſed rarioris eſt uſus. Hujus quoque Lapathi radix commendatur in tumore Lienis, decocta in aceto, poſtea tuſa & inſtar cataplasmatis impoſita, celebratur quoque ut Oxylapathi radix in ſcabie.

LA-

LAPATHUM SANGUINEUM.

Sunt folia Lapathi folio acuto rubente, C. B. Pin. manus vix longitudinem, at duorum digitorum transverſorum & ultra latitudinem comprehendentia, in obtuſum interdum mucronem deſinentia, marginibus rubidis venuſte ac tenuiter criſpis & quaſi plicatis prædita, ſubſtantia tenuia, à parte ſuperiori obſcuro, lucido tamen virore, ab inferiori vero pallidiore circumdata, ac vena in medio majori unica, colore plane rubicunda ſpecioſe exornata, è qua minores ejusdem coloris plurimæ, modice latæ, ac circa margines rotunda quaſi ſerie coëuntes proſiliunt, quæ tamen omnes ab inferiori foliorum parte non adeo ſature rubræ, verum gratiſſimo rubore quodam lucidiore donatæ conſpiciuntur, guſtu parum acida atque adſtringentia, nec non linguam parumper pungentia, atque brevibus petiolis, ſuperiori parte exigui canalis modo planis, inferiori vero rotundis, atro rubentibus quoque cruoris inſtar ejusdemque naturæ ſuccum interne habentibus inhærentibus.

LAPATHUM SANGUINEUM, ἐρυθρολάπαθον à colore ſucci, quem continet, dictum, vocatur etiam SANGUINIS DRACONIS HERBA, ad diſtinctionem Sanguinis Draconis veri, ex arbore provenientis, Drachenblut-Krauth/SANG DRAGON, PATIENCE ROUGE.

Hæc ſpecies Lapathi eſt

Lapathum folio acuto rubente. C. B Pin. 114. Lapathum ſanguineum ſive Sanguis Draconis herba. I. B. 2. 988. Lapathum rubens. Dod. Pempt. 650.

Colitur in hortis, floret Junio.

LENS

Folia alvum cient in juſculo, ut & expreſſus ſuccus ſanguineus

guineus totius plantæ. Cæterum concordat viribus cum Oxylapatho. Semen pulveriſatum & in aliquo decocto ad ℥ß. ad ℥j. exhibitum ſingularem fertur habere efficaciam in ſiſtendis menſibus & ſimilibus fluxibus.

LENTICULA PALUSTRIS.

Stagnantium aquarum incola Lenticula Paluſtris, I. B. iisdem innatat totam ſuperficiem denſiſſimo foliorum, inferne nigricantium, ſuperne virentium, nitidorum, orbiculatorum, Lentisque modo compreſſorum, ſtipatu obtegens, quæ inter ſe capillamentis tenuiſſimis & albis arcte revinciuntur, iisdemque ceu radicibus è limo adhæreſcente alimentum hauriunt.

Lenti-

LENS LACUSTRIS, à foliorum ſimilitudine: LENTICULA AQUATICA, MUSCUS AQUATICUS ſeu PALUSTRIS LENTICULÆ FOLIIS. Meerlinſen/Waſſerlinſen/Endtenlinſen/Entengrüß/Waſſermooß. LENTILLE D'EAU, PETITE LENTILLE DE MARAIS.

A RAJO refertur ad plantas imperfectas absque floribus, è denſiſſimo foliorum ordine aquis innatantium, rotundarum, ad Lentis magnitudinem accedentium conflata, quæ inter ſe capillamentis tenuiſſimis & albis arcte revinciuntur, iisdemque ceu radicibus è limo adhæreſcente nutrimentum hauriunt.

Hoc autem non obſtante ex DILLENIO ſequentia mutuare liceat verba.

Lenticula hactenus flore & ſemine carere credita fuit, ſed perſpicaciſſimus VALLISNERIUS & flores & ſemina detexit, licet nec curioſiſſimo D. SCHERARDO ea incognita fuiſſe videantur, prout ex RAJI SUPPLEM. HIST. PLANT. conſtare poterit. Obtinet vero Lenticula ex VALLISNERIANA obſervatione flores nudos, dipetalos, regulares; ſemina autem in averſa foliorum parte, in folliculo bicapſulari bina gerit exiguo, melopepo-

niformia,

niformia. Mihi tam oculato eſſe non contigit, ut hæc pervidere potuerim, licet aliquoties perquiſiverim. Interea obſervationes VALLISNERIANÆ accuratæ ſunt & curioſæ, quæ cum figura floris & ſeminis proſtant in EPHEM. NAT. CUR. CENT. 1. 2. & 3. Pertinet juxta VALLISNERIUM Lenticula ad plantas dipetalas vaſculiferas.

Lenticula paluſtris vulgaris. C. B. Pin. 362. Lens paluſtris. I. B. 3. 2. 776. Lens paluſtris. Dod. Pempt.

Lenticula paluſtris quadrifolia. C. B. Pin. 362, & I. B. 3. 2. 777.

Innatat aquis & quidem etiam copioſe in noſtra Alſatia.

OMPHA-

Lenticula paluſtris (docente J. BAUHINO cum aliis) aquarum inundationibus à pigris aquis in fluentes ſi transferatur, cum littoribus inhæſerit mirum in modum propagatur, nam ſubnatis quibusdam capillamentis, quæ radicum vice eſſe videntur, ſeſe terræ alligat, atque ita adoleſcens tandem creſcit in plantam aquatico Siſymbrio haud abſimilem. Id quod naturæ operum indagator Dalechampius non ſine admiratione obſervavit. Incredulus hac in re eſt RAJUS, dicens. Quæ de mirabili hujus plantulæ metamorphoſi in plantam ſiſymbrio aquatico haud abſimilem habent Matthiolus & poſt eum Lugdunenſis apud me ſane fidem non inveniunt, quantumvis Lugdunenſis operum naturæ indagatorem Dalechampium illud non ſine admiratione obſervaſſe ſcribat. Res meretur ulteriorem & quidem ſedulam indagationem.

Virtute Lenticula aquatica gaudet humectante & refrigerante, unde inflammationibus podagræ & ignibus ſacris convenit. Medetur oculis rubentibus, palpebrarum phlegmoni & capitis doloribus. Agglutinat etiam in pueris hernias inteſtinorum. Virtute quoque gaudet diuretica, unde à quibusdam laudatur in affectibus ſeroſis. RAJUS ex DN. BATES manuſcr. refert infallibile ſecretum ad Icterum eſſe infu-

 ſionem

ſionem Lentis paluſtris in vino albo per novem dies, ℥vj. mane præbendo.

Anates hac planta veſcuntur magna voluptate, uti etiam Gallinæ, cum aquis exempta furfuribus permiſcetur.

OMPHALODES.

Sunt folia Symphyti minoris Borraginis facie, C. B. Pin. Pulmonariæ maculoſæ perſimilia, verum non maculoſa, minora, acuminata, intenſius viridia; ſaporis mucilaginoſi cum quadam acrimonia.

OMPHALODES a capſulis ſeminalibus umbilicum referentibus, SYMPHYTUM MINUS BORRAGINIS FACIE, BORRAGO MINOR HERBARIORUM.

Eſt planta flore monopetalo, rotato & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, mediæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ex quatuor capſulis conſtantem, cavis, umbilicatis, calathum quoddammodo referentibus, ſemine fere plano fœtis, placentæ pyramidatæ & quadrilateræ affixis.

Omphalodes pumila verna Symphyti folio. Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ. 4. g. 10 Symphytum minus Borraginis facie. C. B. Pin. 259. Symphytum pumilum repens ſive Borrago minima herbariorum. I. B. 3. 597. Symphytum pumilum, repens, Borraginis facie, ſeu Borrago minima herbariorum ſpuria. Lobel. Icon. 577.

Colitur in hortis, floret Majo & Aprili.

Planta eſt glutinoſa conſolidans & incraſſans, hæmorrhagias ſiſtit, humorumque acrimoniam demulcet externe & interne uſurpata, docente LEMREY.

OPHRIS.

Sunt folia Ophris bifoliæ, C. B. Pin. plantaginis latifoliæ fo-

foliis ſimilia ; duo in qualibet planta quandoque tria , ſibi invicem oppoſita, altero ex alterius ſinu prodeunte, ſaporis viſcidi, & quodammodo dulcis.

OPHRIS BIFOLIA à foliorum numero, PSEUDOORCHIS, BIFOLIUM, Zweyblatt/ wilder Durchwachs. DOUBLE FEUILLE.

Eſt plantæ genus flore polypetalo anomalo, ſex petalis ſcilicet diſſimilibus conſtante, quorum quinque ſuperiora ita diſponuntur, ut galeam quodammodo æmulentur, inferiori capitato & quaſi antropomorpho. Calyx autem abit deinde in fructum ſeu utriculum, tribus feneſtris pervium, quibus adhæreſcunt valvæ, ſeminibus fœtæ minutiſſimis ad inſtar ſcobis.

Ophris bifolia. C. B. Pin. 87. Bifolium majus, ſive Ophris major quibusdam. I. B. 3. 533. Pſeudoorchis, Bifolium, Dod. Pempt. 242.

Ab hac non niſi numero foliorum diſcrepat ſequens ſpecies.

Ophris trifolia. C. B. Pin. 87. & Tabern. Icon. 726.

Udis & opacis locis, Majo & Junio florens, reperitur.

Gaudet hæc herba virtute traumatica & conſolidante. Ad fracturas ſanandas & vulnera glutinanda valet.

PLANTAGO AQUATICA.

Sunt Plantaginis aquaticæ , I. B. folia , plantaginis vulgaris longiora acuminata, nervoſa, glabra, ſapore ſubacido prædita.

De

PLANTAGO PALUSTRIS, PLANTAGO RANINA, Waſſerwegerich / Froſchwegerich / Froſchkrauth / Froſchlöffelkrauth. PLANTAIN D'EAU, PLANTAIN AQUATIQUE.

à TOURNEFORTIO ad Ranunculum refertur.

Ranunculus paluſtris plantaginis folio ampliori. Tourn. I. R. H. cl. 6. s. 7. g. 3. Plantago aquatica latifolia. C. B. Pin. 190. Plantago aquatica. I. B. 3. 787. Plantago paluſtris ſive aquatica. Tabern. Icon, 734.

Exit humilioribus & aquas habentibus locis, in foſſis, juxta lacuum & rivulorum margines: Floret Junio, Julio, ſubinde Majo & Auguſto menſibus.

De virtutibus ita diſſerit SCHWENCKFELDT, refrigerat & ſiccat, non prorſus caloris expers cum aliquantum acris abſtergendi vim habeat. Procidentia curat; rubentem podagram, capitis dolorem à cauſa calida mulcet, cruento ſputo urinæque medetur. Laudatur à quibusdam ad obſtructiones viſcerum reſerandas. Commendatur in Hydrope, ictero, & imprimis ſcorbuto. Folia hæc ob ſuccum acrem, quem continent, contrita, cuti impoſita, eandem rubefaciunt, imo veſicas excitant; quam ob rem in febribus pulſibus applicantur. Ex obſervatione HEURNII, FORESTI, aliorumque herba in hydrope intumeſcentibus cruribus applicata, feliciter humorem in veſicas evocat & educit. ROSSLIN aſſerit, ſuccum hujus Plantaginis mammis applicitum ſubito lac in illis conſumere. Applicantur quoque hæc folia tumoribus vulneribus & ulceribus ſordidis.

HERBA PARIS.

Sunt folia Herbæ Paridis, Dod. quaterna, rarius quina, ex anguſto principio lata, in acumen deſinentia, rugoſa & nervoſa, inferne ſplendentia, ſuperne non item.

Her-

HERBA PARIS vocatur etiam ACONITUM SALUTIFERUM, ACONITUM PARDALIANCHES, SOLANUM QUADRIFOLIUM BACCIFERUM, UVA VERSA, UVA VULPINA

FINA, SIGILLUM VENERIS, CRUX CHRISTI. Einbeer/ Wolffsbeer/ Parißkrauth/ Sternkrauth/ RAISIN DE RENARD, ETRANGLE LOUP.

Eſt planta flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante, totidemque ſtaminibus plerumque donato. Ex calyce autem ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum mollem, fere globoſum, in quatuor loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum utplurimum oblongis.

Herba Paris. Dod. Pempt. 444. & I. B. 3. 613. Solanum quadrifolium bacciferum. C. B. Pin. 167.

In montium ſylvarum, convallium & frutetorum opacis, ac perinde aliis umbroſis locis, pingui & læto ſolo naſcitur. Floret Aprili & Majo.

Herba in inflammationibus malignis, tumoribus & bubonibus peſtilentialibus adhibetur, ita ut, pronuntiante ETTMULLERO, vix habeatur in his melius remedium in regno vegetabili, ſive in decocto, ſive ſola contuſa aut cum fuligine impaſtata in forma cataplasmatis imponatur ad maturationem & ſuppurationem producendam. Laudatur quoque hæc herba ad inflammationem & tumorem ſcroti ac teſtium. Valent etiam in cancro tam exulcerato quam occulto folia paridis contuſa in mortario plumbeo & impoſita. Succus foliorum in affectibus oculorum laudatur.

℞. Herb. Parid. man. ij. Rad. lilior. alb. alth. ana ℥j. ficuum ping. No. ij: l. iij. coq in s. q. ☍ lilior. alb. adde fulig. ſplendent. ℥j. Sapon. Venet. ʒvj. ☍ Aranear. ʒj. Mſc. pro cataplasmate.

℞. Ferment. acerr. ℥iij. pulv. fol. Par. Bufon. exſicc. ana ℥j. ficuum ping. ℥ß. Mſc. in mortar: cum s. q. mellis, addendo fulig. ſplend. ʒiij. pro cataplasmate in bubonibus peſtilentialibus.

SEDUM MAJUS.

Sunt Sedi majoris vulgaris, C. B. Pin. folia, terræ ac radicibus proxima, craſſa, pinguia, lenti ſucci plena, acuminata, denſa, per margines æqualia, & in orbem ad effigiem oculi diſpoſita. Planta hæc hujusmodi orbiculos complures profert, late atque in amplitudine ſeſe diffundit, non raro & tenues fibras emittit, quibus latius ſerpat, atque novos orbiculos progignat.

Sedum

SEDUM dicitur a ſedendo vel a ſedando; ejus enim ſpecies humi ſedent, & inflammationes arcent. Ἀείζωον μέγα, AIZOUM MAJUS, SEMPERVIVUM MAJUS, SEMPERVIRENS MAJUS, SEMPERFLORIUM, à perpetuo virore appellatur. Haußwurtz/ Germanice audit, quod ſcilicet in culminibus domorum ſeratur, quaſi diceres radicem domeſticam, Donnerbart/ Donnerblatt/ forte quod nonnullis locis plebis animos invaſerit opinio, non feriri fulmine domum, in cujus tegulis ſedum vireat. Groſſe Haußwurtz/ Haußlaub/ groß Donnerbart/ Jmmergrün/ JOUBARBE, GRANDE JOUBARBE.

Sedum eſt plantæ genus, flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ex plurimis veluti capſulis vaginarum æmulis, in capitulum quoddam collectis, compoſitum, ſeminibusque fœtum utplurimum exiguis.

Sempervivum majus vulgare. C. B. Pin. 283. & I. B. 3. 687. Sempervivum majus alterum, ſive Jovis Barba. Dod. Pempt. 127.

Nihil uſpiam gentium uſitatius vulgatiusque Sempervivo hoc, quod perenni vegetoque foliorum virore viget, eumque hyeme & æſtate in parietibus vel imbricamentis, etiam nullis, uti videtur, radicibus nixum, adverſus quaslibet cœli impreſſiones tuetur. Caulis floriferus eſt poſt ſolſtitium æſtivum, ſubinde circa Auguſtum menſem demum aſſurgit, ſed Aprili, poſt vernum videlicet æquinoctium, inter folia tenues hinc inde exeunt fibræ, orbiculorum rudimenta proferentes,

rentes,quibus tandem adauctis ſe in complures orbiculos multiplicat. Caulis,cum appetente Autumno defloruit, protinus areſcit. Seritur in tectis & muris, quibus locis feliciſſime provenit. Nam radices ejus exiguæ capillatæque cum ſint,facile humi hærent nutriunturque. Quin & inter petras & ad macerias & muros, ubi terra deſtituta eſſe videtur, virentior quandoque conſpicitur.

IN

Sedum analyſi Chymica largitur multum acidi, plurimum terræ, pauciſſimum vero ſalis volatilis concreti; adeo ut juxta EXTR. ADVERS. ACAD. REG. SCIENT PARIS: planta hæc dicatur continere ſal ſali aluminoſo, cui parum Salis armoniaci permixtum eſt, nonnihil ſimile, eo quod ſuccus expreſſus & ad dimidium exhalatus, odoris urinoſi nonnihil prodat. Inter primaria refrigerantia recenſetur. Sitim ſedat ſuccus, compeſcitque ardorem ſanguinis. Uſurpatur in febribus continuis, præſertim bilioſis & ardentibus. Vulgare eſt plebi, expreſſum ſuccum cum ſaccharo in febribus morbisque calidis propinare. In potu datur contra dyſenteriam alvique profluvia, involvendo enim acria utique prodeſſe poteſt. Ubique tamen debitæ ſunt obſervandæ circumſtantiæ, ne æger ex Scylla in Charybdim conjiciatur. Externe quoque optime, ut ETTMULLERUS loquitur, uſurpatur tam in faucibus affectis, quam æſtu totius corporis temperando. In Prunella notha, inflammatione gulæ & Laryngis, aliisque faucium affectibus inflammatoriis, à febribus oriundis, ſuccus vel ſolus, vel cum ſale armoniaco egregie juvat; ſic ardorem & ſqualorem linguæ coercet, vel illitus, vel cum aqua exinde deſtillata pro gargariſmate exhibitus, ex commendatione PARACELSI. Succus Sedi miſcetur quoque cum ſucco cancrorum fluviatilium; conducit ad anginam alioſque faucium morbos, uſurpaturque pro

gar-

gargariſmate vel per ſe, vel cum aceto, vel phlegmate Vitrioli. Sæpius fit, docente ſupradicto ETTMULLERO, ut in ardentibus areſcat & arida fiat lingua, imo fiſſuras propter ariditatem & ſiccitatem accipiat; in tali caſu impoſitus ſuccus Sempervivi linguæ, & detentus ſine deglutitione refrigerat linguam, corrigit ſiccitatem & fiſſurarum dolorem lenit, easque conſolidat, cum aqua vel ſucco Prunellæ poteſt miſceri, & ſic erit etiam expertiſſimum remedium in morbo Ungarico & febribus ardentibus. In febribus porro linguam aridam, vel etiam fiſſam lenient folia ſempervivi majoris membranula externa denudata. Aquæ puræ aut roſaceæ induntur, hincque ſubinde linguæ imponununtur, atque idemtidem renovantur. Succus porro Sedi cum nitro applicitus vel plantis pedum vel manuum volis, æſtum febrilem egregie mitigat. Contra ebrietatem & hæmorrhagiam narium ſucco additur nitrum & acetum vini, ſcrotoque circumligatur, ſic ebrietas compeſcitur & ardor corporis depellitur. TRAGUS ſuccum aut aquam deſtillatam, linteolis in eis madefactis ac impoſitis, in inflammationibus quibusvis corporis, imprimis vero phrenetico morbo, apprime conducere ſcribit, in inflammatione ac rubore oculorum, jecoris item & renum. Articulorum inſuper morbo medentur & ambuſtis auxiliantur. GALENUS cum DIOSCORIDE epithematis loco ſuccum cum aceto Eryſipelati foris imponit, quod hodie (inquit CASPAR HOFFMANNUS) nemo auſit. Succus verrucis & pedum clavis illitus, ut eo probe madefiant, deinde foliorum cuticula ſuperimpoſita, eos tollit & ſanat. Folia ad impetiginem humidam ſubortasque linguæ veſiculas laudantur. Sedum hoc contuſum, & cum lacte muliebri mixtum, ſyncipiti admotum mire ſedat phrenitidem & ſomnum conciliat, ſed ſtatim atque dormire cepit æger, detrahendum, ne in coma

præ-

præcipitetur. Folia porro hæcce commendantur in ardoribus hepatis & renum impoſita. Laudantur ad ganglia, ſi quotidie recentia imponantur. Succus commendatur ad capitis dolores, ut & ad lippitudines. Pulvis ex foliis Sempervivi ſiccatis in veſiculis ex Eryſipelate obortis & manantibus inſpergitur.

℞. Succ. Sedi majoris ℔j. Lactis ℔ij. coqu. ut f. Serum. Æſtum viſcerum extinguit. Doſis ℔j. vel ℔ij. indies.

℞. Succi Sedi majoris ℥ij. Album. ovi No. ij. in ſpumam agit. add. Croci ℈j. camphor. ℈ß. vel Sal. armon. ℈j Mſc. Detur cum potu ordinario in febribus malignis.

℞. Fol. Sempervivi majoris q. s. contunde & ſuperpone ſex diebus continuis ad cornua pedum juxta CHESNEAU.

℞. Succi Sempervivi majoris ℥iv. Litharg. ℥j. Vitell. Ovor. No. ij diu agitatis in mortario plumbeo utere ad matricis & urethræ ulcera.

℞. Folior. Semperv. rec. ℔. jv. Sal. Ammon. ℥iß. conquaſſata ponantur in cucurbita vitrea in cella, donec ſalia liqueſcant, deſtilla in alembico ad ſiccitatem, poſtea iterari debet deſtillatio, vel ſaltem ad cineres infuſio, fiat gargariſmus in angina deſperata.

TYPHA.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Aqua Sempervivi majoris ex foliis, Hauſzwurtzelkrauth-Waſſer/ *Eau de Joubarbe*, quæ in angina aliisque faucium affectibus, item ad inflammationes & gangrænam à quibusdam laudatur.

Syrupus Sempervivi, ex ſucco paratus, Hauſzwurtzel-Syrup / *Syrop de Joubarbe*, prodeſt in nimio æſtu & ardore morborum acutorum, ut & in morbis venereis. Externe Syrupus & aqua uſurpantur pro faucium collutionibus, cum quibus poteſt miſceri ſuccus cancrorum, vel ſal armoniacum, pro experto gargariſmate in incipiente angina.

TYPHA.

Sunt folia Typhæ Lob. cubitos aliquot longa, unciam lata, ancipiti acie ſtringentem vulnerantia, craſſiuſcula ſubſtantia, ſpongioſa, longiſſima vagina caulem involventia, ſapore ſubdulci.

TYPHÆ, ut loquitur RAJUS, florum effigies turbinata, & in clavam compoſita, quaſi Typhonis ſeſe gyrantis turbinem, aut gigantis ſtaturam minacem ſignaret, nomen dediſſe videtur. Τύφη a Τύφος quod locum paluſtrem notat ab aliis derivatur. TYPHA PALUSTRIS, TYPHA AQUATICA, CESTRUM MORIONIS & JUNCUS ASPER. Dietelkolben/Waſſerkolben/Moßkolben/Ließkolben/Kolbenrohr/Rohrkolben/Narrenkolben/ Ließknoſpen/Knoſpen/MASSE.

Eſt planta flore apetalo, plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtante, in ſpicam diſpoſito, ſed ſterili: embryones enim inferiorem ſpicam occupant, abeuntque deinde in ſemen.

Typha paluſtris major. C. B. Pin. 20. & I. B. 2. 539. Typha. Lobel. Icon. 81.

Typha paluſtris minor. C. B. Pin. 20. Typha minor. I. B 2. 540. & Lob. Icon. 81.

Natales Typhæ ſunt amnes leniter fluentes, vada item, ſtagnantesque & paluſtres aquæ.

ſtru-

Folia hæc inſerviunt vietoribus ad obturandas rimas doliorum, præſertim dum nondum in caulem exivit Typha. Magis in uſum Medicum cedit caulis faſtigium, quod tomento in cylindri formam ruffeſcente, in pappos tandem abeunte, obvolvitur, morionis clavam imitans mucrone palmari aut longiore.

Lanugo Typhæ axungiæ permixta ambuſtis partibus tumorem & inflammationem arcet. Ad Enterocelas ſumpta & admota prædicatur. Lanugo hæc ſuffocationis periculum come-

comeſta minatur , Mureſque occidit. Pauperes atque Ruſtici hac lanugine loco plumarum utuntur & lectos exinde conficiunt.

SOLANUM.

Sunt Solani Officinarum, C. B. Pin. folia, ad Atriplicis folia accedentia, ſaturatius virentia, modo ſinuoſa, modo integra, brevi & vix conſpicua lanugine utrinque hirſuta, mucrone acuto.

στρύχνος, στρύχνον, SOLATRUM, Nachtſchatten/ MORELLE.

Eſt plantæ genus flore monopetalo, rotato & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, mediæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum fere globoſum vel ovatum utplurimum, ſucculentum, ſeminibus fœtum utplurimum planis.

Ex Solani ſpeciebus in uſu præſertim eſt

Solanum officinarum acinis nigricantibus. C. B. Pin. 166. Solanum hortenſe ſive vulgare acinis nigris. I. B. 3.608. Solanum hortenſe baccis nigricantibus. Dod. Pempt. 453. Solanum nigrum vulgare. Cord. Hiſt. 158.

Solanum multis locis gignitur, nec enim modo in hortis crebro aliis herbis permixtum reperitur, verum & ſecus vias, agrorum margines, tam meridionalis quam ſeptentrionalis gentis ſepimenta; veteres parietes, ruinas & in aſperis ruderibus ſubinde reperitur. Æſtate & in multum autumnum floret, & tunc quidem fructus maturi conſpiciuntur.

IN

Juxta KOENIG folia Solani cæruleum non facile in rubrum mutant , ut hoc faciunt baccæ , unde concludendum cum TOURNEFORTIO, ſal armoniacale in planta hac dominans in foliis temperatum eſſe portione notabili olei fœtidi & terræ. Reſolvendo , detergendo & abſorbendo leniunt

& temperant, demulcent virtuteque anodyna gaudent. Uſus internus rarior, externus frequentior. Folia leviter contuſa imponuntur eryſipelati, contra cephalalgiam in febribus ardentibus capiti alligantur pro temperando æſtu. Speciatim, inquit ETTMULLERUS, in tumoribus duris ſcirrhoſis etiam ad cancrum declinantibus, quocunque modo, externe impoſitum Solanum ſingulare quid obtinet, unde in cancris tam occultis ſeu nondum exulceratis & ulceroſis ſeu manifeſtis mitigandis egregium eſt, ſi ſcilicet vel folia integra ſola tantum, vel in mortario plumbeo optime contuſa, inque formam unguenti redacta imponantur locis, ubi cancer eſt occultus, ut impediatur ejus progreſſus & ulterior exulceratio. Locum quoque invenit hoc remedium in Scrophulis & ulceribus cancroſis. Folia hæc Solani ut & ipſorum ſuccus ſolent fere ſemper ingredi unguenta & cataplasmata contra affectus cancroſos; folia hæc quoque contuſa opitulantur hæmorrhoidibus dolentibus, quo in caſu etiam conducit ſuccus illitus tepide applicitus.

Herba Solani ingreditur unguentum Populeum. DIOSCORIDES aſſerit, inter ea olera, quibus veſcimur, nullum eſſe, quod tantam habeat adſtrictionem, quantum ſolanum. Ideoque non abs re fieri ut raro utamur Solano ceu alimento: ſæpius autem tanquam medicamento: minimi enim eſſe alimenti. Cum tutiora proſtent, hoc olere carere poſſumus.

℞. Succ. folior. Solan. ℥iij. Spir. Vin. rectificatis ʒß. Miſc. conducit in Eryſipelate, impetigine & pruritu cutis.

℞. Succ. fol. Solan. 🝆 roſar. ana ℥iv. pulv. Ranar. uſtar. Teſtar. Cancr. ana ʒiij. Plumb. uſt. & lot. Tuthiæ pp ana ʒiß. Miſc. in Mortario plumbeo. Valet hoc unguentum pro acrimonia corroſiva lymphæ domanda in cancro incipiente.

IN OFFICINIS EXTAT.

Aqua Solani, Nachtſchatten-Waſſer/ *Eau de Morelle*, ex herba cum floribus deſtillata. Hæc aqua quidem à CÆSALPINO commendatur in inflammationibus internis & ardore urinæ, ſi exhibeatur ad ℥iij. cum æquali quantitate aquæ abſinthii. Alii autem eam non niſi poſt biennium uſurpandam eſſe volunt, alii internum ejus uſum plane diſſuadent. Externe capiti dolenti in febribus ardentibus & ſimilibus, ut & in cancro exulcerato adhibetur, nec non in inflammationibus & ambuſtis.

SPINACHIA.

Sunt folia Spinachiæ maris & fœminæ, I. B. foliis Dentis Leonis latiora, profunde ſinuata, minus tamen crebris laciniis, pinguiuſcula & farina tenui atriplicis modo reſperſa. Re-

SPINACHIA, SPINACIA, σπανάχιον quaſi OLUS SPINOSUM a ſemine ſpinoſo, vel quod folia ſortita planta ſit inſtar ſpinarum acuminata, BETA MALVACEA OLUS SPINACEUM HISPANICUM, Spinat/Binetſch/ EPINARS.

Eſt planta flore apetalo, plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtante calyci inſidentibus, ſed ſterili. Embryones enim innaſcuntur ſpeciebus Spinaciæ, quæ flore carent, & deindè abeunt in ſemen turbinatum, in capſula nunc ejusdem formæ, nunc cornuta vel angulata, reconditum.

Ambæ ſequentes ſpecies in uſum cedunt;

Spinachia vulgaris capſula ſeminis aculeata. Tourn. I. R. H. cl. 15. s. 6. g. 2. Spinachia mas. I. B. 2. 963. Lapathum hortenſe ſeu Spinacia ſemine ſpinoſo C. B. Pin. 114. Spinacia. Lobel. Icon. 257.

Spinacia vulgaris ſterilis. Tourn. l. c. Spinacia fœmina Lugd. I. B. 2 963. Lapathum hortenſe ſeu Spinachia ſterilis. C. B. Pin. 115.

Spinachia partim in hortis ſeritur, nullum ſolum reſpuens, cum Martio & alio tempore, tum menſe Septembri. Martio ſatum Junio & Julio flores & ſemen edit.

Refrigerat & humectat. Eſt, dicente SEBIZIO, ex olerum albo, quorum ſubſtantia aquoſior & ferme inſipida. Cito deſcendit alvumque emollit. Pectus inſuper expedit: arteriam aſperam lenit & tuſſi medetur. Parce vero admodum alit, multum ſeri producit, flatus creat, & nauſeam quandoque parit, niſi bene aromate condiatur. Externe inflammationes ſiſtit, dolores mitigat, & tenſiones partium ſufflaminat.

VALERIANELLA.

Sunt folia Locuſtæ herbæ, I. B. tenera & delicata, longitudine ſemunciali aut ſextantali, colore herbaceo, latitudine trientem unciæ parum excedentia, ſubrotunda, nullo pediculo appenſa, interdum ſerrata ſuperiora, ſapore ſubdulci & inſipido.

Vocatur OLUS ALBUM, PHU MINIMUM, LOCUSTA, LACTUCA AGNINA. VALERIANA CAMPESTRIS. Ruricolæ & Hortulani vocant Rebkreſſen / MACHE.

Valerianella eſt planta flore monopetalo infundibuliformi & calyci inſidente, is autem in fructum monoſpermon, Semina continentem compreſſa parumper in ſummo acuta & per obliquum rugis quibusdam exornata, albicantia ſatis magna pro plantulæ modo.

Valerianella arvenſis præcox, humilis, ſemine compreſſo. Mor. Umb. Valeriana campeſtris inodora major. C. B. Pin. 165. Locuſta herba. I. B. 3. 323.

In vinetis plurimum naſcitur, quamvis & in arvis una cum frugibus naſcatur frequentiſſime, In ſatis tota hyeme viret.

Mora-

Apparatur hybernis & primis Veris menſibus pro acetariis: eſturque per ſe ſolum hoc olus album cum ſale oleo & aceto,

aceto, vel cum Endivia permixtum. Refrigerat, & nonnihil humectat, viribus non multum Lactucæ abſimile.

Agni multum hujus paſtu delectantur impinguanturque. Unde nomen Lactucæ Agninæ obtinuit.

UNIFOLIUM.

Sunt folia Unifolii, Dod. in caule unum aut alterum, raro tria, forma ad folia Sigilli B. Mariæ proxime accedentia, minora, per longitudinem nervoſa, averſaque parte hirſuta.

Μονοφύλλον, OPHRIS UNIFOLIA, UNIFOLIUM, quoniam planta, præſertim junior non gaudet niſi uno folio; LILIUM CONVALLIUM MINUS, SMILAX UNIFOLIA.

Pertinet juxta TOURNEFORTIUM ad Smilacem. Eſt nempe

Smilax Unifolia humillima. Tourn. I. R. H. append. 654. Unifolium. Dod. Pempt. 205. Lilium Convallium minus. C. B. Pin. 304. Unifolium ſive Ophris Unifolia. I. B. 3 534.

Floret Majo & Junio in umbroſis ſylvis & montibus.

ACER

Herba gaudet virtute vulneraria, vulneribusque recentibus adhiberi poteſt. Radix cenſetur eſſe alexipharmaca contra bubones peſtilentiales ad ℈j. in ſubſtantia data præſertim in principio morbi.

PLANTÆ TERREIS CONSTANTES.

Acer major.
Alaternus.
Anſerina.
Aquifolium.
Bellis major.
Bellis minor ſylveſtris.

Bel-

Bellis minor hortenſis.
Bugula.
Cervicaria major.
Corallina.
Cotinus.
Cruciata.
Fagus.
Gallium.
Herniaria.
Helianthemum.
Hiſpidula.
Laurus Alexandrina.
Lyſimachia lutea.
Millefolium.
Roſa de Hiericho.
Rubus Idæus.
Thuya.
Viburnum.

Brunella.
Cerinthe.
Conyza media.
Cortuſa.
Cotula non fœtida.
Cymbalaria.
Filago.
Geranium Robertianum.
Hedera.
Hieracium.
Lagopus.
Liguſtrum.
Lyſimachia purpurea.
Morus.
Rubus.
Sideritis.
Ulmus.

ACER MAJOR.

Sunt folia Aceris majoris, Dod. ampla, vitiginea aut Aceris vulgatiſſimi forma, licet acutioribus laciniis quinque prædita, ſupra atrovirentia, infra pene incana, utrinque glabra, ſapore adſtringente cum amaritudine.

ACER MONTANUM CANDIDUM, PLATANUS GERMANICA, OPULUS MONTANA, κλινότροχος, σφένδαμνος, weiſzer Bergahorn/ Ahorne/ Waldeſchern / Bucheſchern/ PLASNE, GRAND ERABLE.

Characterem vide ſub Acere minore.

Acer montanum candidum. C. B. Pin. 430. Acer majus multis falſo Platanus. I. B. 1. 168. Acer major. Dod. Pempt. 840.

Humectis & altiſſimis montibus gaudet ſpecioſa & procera hæc arbor, interque fraxinos provenit ſolo pingui & ſpiſſo. Floret Majo.

Folia tenella coquuntur in vino, & ad oculos lachrymantes cum fructu uſurpantur. Conducunt quoque ad tumores calidos & ambuſta. Turiones laudantur ad ſcorbutum & arthritidem vagam.

Veris initio cum germina novella turgeſcunt, antequam explicentur folia, arbor hæc, in trunco ramis aut radicibus vulnerata, dulcem & potulentum ſuccum copioſe effundit, non ſecus ac Betula; quin & autumno poſt delapſa ſtatim folia & per totam etiam hyemem, quod primus obſervavit & RAJO indicavit MARTINUS LISTER. Succus hic ſaccharum non obſcure reſipit, unde Canadenſes Americani ex eo arundinum liquoris in modum decocti ſacchari quoddam genus conficiunt, ab arundineo diſcretu haud facile.

ALATERNUS.

Ita dicta arbor ab alterno foliorum ſitu.

Eſt arbor flore monopetalo infundibuliformi & multifido, ex cujus fundo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in baccam mollem, tribus fœtam ſeminibus, hinc gibbis, inde vero ubi junguntur planis.

Alaternus I. Clus. Hiſt. 56. Phylica elatior. C. B. Pin. 476.

Colitur equidem tantummodo in hortis ornatus gratia, hyeme ad hybernaculum transferenda.

Interim tamen ejus folia ex viridi nigricantia, guſtu ingrata, & cum amaritudine paululum mordicantia, ob vim detergentem & adſtringentem in gargariſmatibus adhiberi poterunt ad inflammationes oris & faucium.

ANSERINA.

ANSERINA quoniam Anſeres iſta delectantur. ARGENTINA ab argenteo foliorum ſplendore vocatur. POTENTILLA à quibusdam ob vires nominatur. PABULUM ANSERIS; PASTUS ANSERINUS. Gänſerich/ Gänſegarbe/ Silberkrauth. ARGENTINE, POTENTILLE.

Eſt pentaphylloides, plantæ ſcilicet genus à pentaphyllo diverſum foliorum ſitu, quæ ſcilicet ſummo pediculo nequaquam inſident radiorum ordine, ſed alio quovis modo diſponuntur.

Pentaphylloides argenteum alatum ſeu Potentilla. Tourn. I. R. H. cl. 6. s. 8. g 10. Potentilla ſeu Argentina. I. B. 2. 398. Argentina. Dod. Pempt. 600.

Creſcit paſſim herboſis locis, pratis, juxta ſepes & vias. Amat etiam loca uliginoſa, floret vere & æſtate.

AN-

In uſu folia imo etiam integra planta ſaporis exſiccantis atque quadantenus acerbi, quæ, juxta TOURNEFORTIUM, gaudet ſale Tartaro vel Alumini analogo, ſed multo ſulphuri involuto. Gaudet virtute refrigerandi, adſtringendi atque vulneraria. Conducit in alvi fluxibus, diarrhœa, dyſen-

dyſenteria, menſium profluvio, fluore albo, item in hæmoptyſi. Sanguinem grumoſum diſſolvit: Plebeji in fluxibus ſolent folia potentillæ miſcere cum ovis frixis. Commendatur quoque ad febres, Icterum & Hydropem, ſi in vino infundatur. Imprimis autem ad calculum tum expellendum, tum præſervandum prodeſt. Quo ex fundamento ingreditur arcanum TIMÆI à GULDENKLEE ad præſervationem à calculo. Externe dolores dentium mitigat, putredinemque gingivarum arcet, cum ſale & aceto carpis & plantis pedum applicita planta in febribus admovetur, in butyro frixa externe commendatur ad dyſenteriam. Dicitur quoque lac in mammis diſcutere. Uſurpari quoque poterit ad oris ulcera mitiganda & profliganda, ut & partium pudendarum. Succus anſerinæ intertrigini medetur. Qui etiam deprædicatur ad hæmorrhagiam narium.

℞. Anſerinæ viridis, man. viij. Secal. virid. m. ij. exprime ſuccum, adde vini rubri ad pondus omnium, miſce & filtra, exhibe quotannis, primo, ſecundo & tertio die Maji in aurora uncias ſeptem, purgato prius corpore.

℞. Pulv. Anſerin. Capill. Vener. ana ʒiiß. ſem. Plantag. Corall. alb. ana ʒß. Nuc. moſchat. Caryophyll. ana ℈ij. ſacchar. alb. ℥j Eſſent. Citr. ℈j. Mſc. f. Tragema cuſpidatim ex aqua plantaginis & vino ſumenda in fluore albo.

℞. Succ. Argent. Syrup. Abſinth. ana ℥j. Mſc. pro una doſi in febribus intermittentibus.

AQUIFOLIUM.

Sunt folia Agrifolii, Dod. ſatis magna, denſa, ſinuata, longis & rigidis in ambitu ſpinis horrentia, colore ex viridi ſplendente, ſapore non admodum grato.

AQUIFOLIUM ita dictum quaſi acutifolium, hinc etiam dicitur ACRIFOLIUM. Audit quoque AGRIFOLIUM ab ἄγριος agreſtis, ſylveſtris, quia in ſylvis & agris provenit. ILEX ACULEATA nuncupatur etiam. Stechpalmen/ Stechbaum/ Stechapffel/ Walddiſtel. Houx.

Eſt arbor flore plerumque monopetalo rotato, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, mediæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum mollem ſeu baccam, oſſiculis fœtam, hinc gibbis inde planis.

Loca inculta umbroſa, lapidoſa, glareoſa, ſylvoſa, montana, deſerta amat. Floret Junio fructum maturat autumno. Frigoris patientiſſima eſt hæc arbor & perenni nitentium foliorum virore aſpectui grata.

Uſurpatur

Aquifolium ſive Agrifolium vulgo. I. B. I. 114. Agrifolium. Dod. Pempt. 758. Ilex aculeata baccifera folio ſinuato. C. B. Pin. 425.

LEU-

Folia, ut & foliorum aculei, in decocto laudantur ad tuſſim, dolorem laterum atque colicam, in pulverem redacta celebrantur in calculo & dyſuria In morbis tartareis deprædicantur à PARACELSO. Dum eorum infuſum adhibent ad pleuritidem, ſuadent quædam mulierculæ ſuperſtitioſæ, ut injiciatur culter, quo animalia interfecta fuerunt, uti refert KOENIG in REGN. VEGET. Baccas laudant quoque ad colicam, dum materiam peccantem ſimul evacuant. Aſſumuntur decem aut duodecim. Radices in decocto adhibentur pro fomento ad articulorum duritiem, tumores diſſolvendos, & in fractura oſſium.

Ex corticibus hujus arboris viſcum quoque parare ſolent; cujus uſus internus nullus eſt, externe autem pro ſcopo emolliendi, reſolvendi & maturandi tumores, adhiberi poterit.

BELLIS

BELLIS MAJOR.

Sunt follia Bellidis majoris Dod. oblonga pinguia, ſerrata ſubaçri ſapore.

LEUCANTHEMUM, λευκάνθεμον, quaſi flos albus, BELLIUM MAJUS, BELLIS MAJOR CANDIDA, PRIMULA VERIS MAJOR, CONSOLIDA MEDIA HERBARIORUM quibusdam audit. Gänßblumen/ groſſe weiſſe Maßlieben/ weiße St. Johannes=Blumen. MARGUERITE.

à Bellide à TOURNEFORTIO ſeparatur, & ad Leucanthemum refertur. Eſt autem

Leucanthemum plantæ genus à Chryſanthemo diverſum ſolo ſemifloſculorum colore, qui omnino candicant. Cæterum eſt plantæ genus flore radiato, cujus ſcilicet diſcus ex pluribus floſculis, corona vero ex ſemifloſculis componitur, embryonibus inſidentibus, & calyce ſemisphærico ac ſquammoſo comprehenſis. Embryones autem deinde abeunt in ſemina plerumque angulata, aut ſtriata, vel tenuia & acuta.

Leucanthemum vulgare. Tourn. I. R. H. cl. 14. s. 3. g. 3. Bellis Sylveſtris caule folioſo major. C. B. Pin. 261. Bellis major. Dod. 265. & I. B. 3. 114.

Ubivis eſt obvia hæc planta. pratis aridioribus, paſcuis, agris incultis, collibus, cognitu facilis: floret vere & tota æſtate.

BELLIS

Bellis major ſaporis eſt nonnihil ſalſi, & colorem cæruleum leviter mutat in rubrum juxta EXTR. ACT. ACAD. REG SCIENT. analyſi Chymica nihil omnino ſalis volatilis exhibet, ſed ſaltem ſal fixum ſumme lixiviale, plurimum liquoris acidi, ut & olei & terræ, adeo ut ſale gaudeat Sali Corallorum vel Tartaro Vitriolato non abſimili, cui tamen ſulphuris multum admixtum eſt. Et ob hæc principia, docente KOENIG, inſigni deterſiva & aperitiva vi gaudet. Vulneraria præterea eſt & ſubadſtringens. Folia commanſa

ſa-

ſanant cum oris tum linguæ exulcerationes, puſtulasque exulceratas. Flores præſtant ad ſtrumas & calvariæ fracturas item ad Thoracis ulcera, quæ in ejus cavitatem penetrarunt: In quem uſum potionibus additur. Decoctum herbæ ſanat morbos ab intempeſtivo hauſtu potus frigidi, cum corpus ſit calidum, ortos. Prodeſt porro adverſus aſthma, phthiſin & orthopnœam. Uſus ejus itaque eſt in decoctis antiphthiſicis vel in infuſo per noctem ſuper aquam calcis vivæ facto, quam alias in plurimis morbis BOYLE aliique Angli laudant.

BELLIS MINOR SYLVESTRIS.

Sunt folia Bellidis ſylveſtris minoris, C. B. Pin. humi ſparſa, numeroſa, pinguiuſcula, hirſuta ex longa cervice ſenſim lateſcentia, rotundataque ſerrataque, ſaporis acetoſi.

Bellis

BELLIS a bello ſeu pulchro colore florum dicta creditur. Vocatur etiam PRIMULA VERIS, BELLIS SPONTANEA, BELLIS PRATENSIS, MARGARITA PRATENSIS ob inſignem floris pulchritudinem, quæ pulchre convenit in puellarum coronis, SYMPHITUM MINIMUM, CONSOLIDA MINOR, SOLIDAGO MINOR, HERBA ARTHRITICA; kleine wilde Maßlieben/ Feld-Maßlieben/ Zeitlößlein/ Maßblümlein/ Tauſend Schönigen/ Margarethen oder Marien-Blümlein/ Oſterblümlein/ weiße Früeblümlein/ Gichtkrauth/ PAQUERET, PETITE MARGUERITE.

Eſt plantæ genus flore radiato, cujus ſcilicet diſcus ex plurimis floſculis, corona vero ex ſemifloſculis componitur, embryonibus inſidentibus & calyce ſimplici ac multifido comprehenſis. Embryones autem deinde abeunt in ſemina thalamo utplurimum pyramidato affixa.

Bel-

Bellidis ſpecies flore fructuque carentes foliis ſubrotundis,ad oram inciſis denſe naſcentibus dignoſci ſolent.

Bellis ſylveſtris minor. C. B. Pin. 261. Bellis minor ſylveſtris ſpontanea. I. B. 3. 111. Bellis minor ſylveſtris. Tabern. Icon. 328.

Bellis ſylveſtris minor, flore mixto. Eyſt.

Paſſim provenit in pratis & ſimilibus, perinde paluſtribus,ac humidis compluribus locis,vernis & æſtivis menſibus florens.

IN

Bellis parum acidi, ut KOENIG refert, nonnihil ſpiritus urinoſi, ſalis volatilis concreti, multum phlegmatis & terræ deſtillatione exhibet, relinquendo ſalis fixi non minimam quantitatem, quod licet non adeo ſit lixivioſum, nihilominus ſat alcalicum eſt, dum obſervatum fuit, teſte TAUVRY, illud ſolutionem Mercurii ſublimati in flavum præcipitare. TOURNEFORTIUS aſſerit ſal bellidis componi ex Sale Armoniaco, Nitro & Sale marino, involutis ſulphuri & terræ, ex quo reſultet viſcoſitas ejus ſucci & vis reſolvens. Vires bellidis præcipuæ ſunt vulnerariæ & quidem juxta quosdam adeo inſignes, ut reliqua medicamenta vulneraria vix non omnia ſuperent. Hepatica quoque eſt planta, & reſolvit coagulum ſanguinis in omnibus corporis partibus etſi etiam, uti loquuntur, ſub ipſis unguibus exiſtat. Bellis convenit in diatheſi pulmonum inflammatoria, in pleuritide, tuſſi, hæmoptyſi, ac phthiſi. Prodeſt porro inſigniter, ſi quis potum frigidum æſtuante corpore nimis celeriter ingurgitaverit, & ſic tuſſim diſpoſitionemque ad Phthiſin contraxerit, ad quem uſum adhibere ſolent herbam bellidis ut & flores vel in juſculo, vel conciſam herbam cum pane butyro illito. Valet inſigniter ob virtutem ſuam vulnerariam in hæmorrhagiis: abſtergit porro & roborat, vim obtinet antiſcorbuticam, ad ſanguinem edulcorandum in affectibus arthriticis & podagricis. Infantibus aſthmaticis herba

herba pulveriſata in pulmentis commendatur, prodeſt etiam tuſſientibus, imprimis autem Phthiſi ſingulariter medetur atque hydropicos inſigniter juvat; adhibetur autem herba vel decocta in juſculo, vel ſuccus exprimitur & per ſe adhibetur, vel cum aliis ſuccis, cochleariæ videlicet, naſturtii &c. conjungitur. Sunt qui commendant in fluore albo. Communius nihil eſt, quam acetaria ex herba & floribus bellidis, quibus verno præſertim tempore utuntur, tum pro laxanda alvo, tum pro confortando & alterando hepate. Succus porro bellidis recenter expreſſus inſtillatur oculis verruca & cataracta laborantibus; qua de re in COLLECTANEIS CHYMICO LEYDENSIBUS aſſeritur, quod ſpatio quatuordecim dierum fiat auxilium, etiamſi morbis ſit deſperatiſſimus. Ob vim vulnerariam exterius in emplaſtris & fomentis adhibetur, interius vulnerariis potionibus admiſcetur. Radices Bellidis exterius uſurpantur ad ſcrophulas & ſtrumas. Radices porro hæ in lacte decoctæ & catellis exhibitæ impediunt ne creſcant; ſi vulgo fides, ut RAJUS pronunciat. Decoctum foliorum Bellidis collutu faucium ardorem in febribus ardentibus temperat. Induntur quoque folia clyſteribus in ſic dicta calida intemperie. Commendantur quoque hæc folia in inflammationibus partim genitalium ut & in vulneribus capitis.

℞. Succ. bellid. minor. Naſturt. Numular. rec. expreſſ. cochl. ij. vel iij. cum pauxillo Mellis aut Syrupi exhibe per inſigne tempus in Phthiſi.

℞. Herb. Bellid. minor. Naſturt. Nummul. rec. ana man. j. contuſ. affunde juſculi carnium non ſaliti ℥iv. vel ℔ß. Exhibe quotidie decoctum in Phthiſi.

BELLIS

IN OFFICINIS PROSTAT.

Aqua bellidis, Zeitloſen-Waſſer/ *Eau de Paqueret*, ex integra planta

planta deſtillata. Ad intemperiem hepatis, ut loquuntur, calidam temperandam facit, laudatur in Phthiſi aliisque ulceribus internis, conducit in aphthis, & externe in membris paralyticis fovendis.

BELLIS MINOR HORTENSIS.

Sunt folia Bellidis hortenſis crebra, & in orbem fuſa, foliis piloſellæ pinguiuſcula, nonnihil crenata, alias integra, hirſuta, ſapore adſtringente.

Bellium, Garten-Zeitloſen/ Garten-maßlieben.
Coluntur in hortis, vere & æſtate florent.

Characterem & virtutes vide ſub bellide ſylveſtri. Curioſum illud eſt quod licet hæc planta adſtringat, nihilominus pro ſecreto ad menſes movendos habeatur: decoctum cum vino albo odorifero ſeu generoſo paratur.

In

BRUNELLA.

Prunella nomen habet ab ea anginæ ſpecie, quam Prunellam quidam vocant, quoniam eidem medetur. Vocatur etiam Consolida Minor à virtute conſolidante. Symphytum porro Petræum dicitur, item Herba St. Antonii à mirifica virtute vulneraria. Brunellen / Gottheyl/ St. Anthonkrauth/ Prunelle.

Eſt plantæ genus flore monopetalo labiato, cujus labium ſuperius galeatum eſt, inferius vero in tres partes diviſum, media cochlearis inſtar excavata. Ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina ſubrotunda, in capſula, quæ floris calyx fuit, recondita. His notis addendum eſt flores denſe in ſpicam diſponi, eorumque ſtamina ad oſſis Hyoidis figuram non accedere, ut in Hormino, Sclarea, Salvia. Species uſualis eſt.

Brunella major folio non diſſecto. C. B. Pin. 261. Prunella flore

 mi-

minor vulgaris. I. B. 3. 428. Brunella. Dod. Pempt. 136.
Creſcit in campeſtribus ac locis herboſis : Floret Majo ſqq.

In uſum trahuntur folia cum floribus in planta hac, quæ ſaporis eſt herbacei, ſtyptici & viſcoſi, cum nonnulla amaritie, acidum ſalis naturalis terræ evolutum eſt ex partibus acribus, unitumque plurimæ terræ & ſulphuri, unde ſal efficitur tantum non aluminoſum. Abſtergit, conſolidat, adſtringit, vulneraria eſt inſignis, non ſolum extrinſecus ſed & intrinſecus, ad vulnera profunda tam recentia quam inveterata laudatur. Commendatur ad aphthas oris & faucium, celebratur in angina. In læſionibus pulmonum & renum commendatur. Quidam uſurpant in dyſenteria, quidam vero in ſanguine coagulato. Sunt qui ad morſus animalium venenatorum adhibent. Pudendorum inflammationes reſtinguit.

℞. Herb. prunell. m. ij. Salv. m. j. Albi græci. ʒß. Coqu. in s. qu. aqu. vel. vin. colaturæ adde Spir. Vin. ℥ß. ad ℥iß. Mell. roſat. ʒvj. Rob. Moror. ℥ß. Mſc. pro gargariſmate in anginæ principio & incremento, cui phlegma Vitrioli addi poterit cum ingenti ægri levamine, uti docet ETTMULLERUS.

IN OFFICINIS ASSERVATUR.

Aqua Brunellæ, deſtillata ex integra planta Auguſto collecta. Brunellen-Waſſer / *Eau de Brunelle*, in angina & aliis oris fauciumque affectibus pro gargariſmate commendatur.

CON-

BUGULA.

Sunt folia Bugulæ Dod. foliis Anagallidis aquaticæ majoris ſimilia, nonnihil ſerrata colore vel violaceo, vel purpura-

raſcente, vel virente, ſapore primo occurſu ſubdulci, mox amareſcente, & adſtringente.

CONSOLIDA MEDIA, ἱεροβοτάνη, HERBA SACRA ob virtutem, HERBA LAURENTINA, HERBA St. LAURENTII, Guntzel/gulden Guntzel/BUGLE.

Eſt plantæ genus flore monopetalo unilabiato, in tres partes diviſo, quarum media bifida eſt, labii ſuperioris locum occupantibus denticulis. Ex calyce autem ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina, in capſula, quæ floris calyx fuit recondita. His notis addendum eſt flores Bugulæ verticillatim diſponi.

Uſualis eſt

Bugula. Dod. Pempt. 135. Conſolida media pratenſis cærulea. C. B. P. 260. Conſolida media, quibusdam Bugula. I. B. 3. 430.

Creſcit locis campeſtribus, floret præſertim Majo.

Iisdem fere principiis atque virtutibus gaudet ac Prunella. Vulneraria eſt inſignis, tam externe quam interne uſurpata hæc planta amaricans. Decoctum ejus in juſculo Vervecis factum POTERIUS laudat maximopere in Phthiſi & aliis ulceribus internis. In Ictero quoque, hepatis & Lienis obſtructionibus, Hydrope, Urinæ retentione, Herniis prodeſſe dicitur. Succus in ulceribus malignis perhibetur eſſe egregium remedium ab ETTMULLERO. Commendatur etiam ad ulcera venerea pudendorum. Ingreditur decocta vulneraria, imprimis contra Hæmoptyſin.

CERINTHE.

Sunt folia Cerinthes quorumdam majoris verſicolore flore, I. B. oblonga, circa pediculum latiora, mucrone obtuſo, colore ex viridi ad cæruleum quaſi tendente, candidis maculis aſperſa, nonnihil villoſa.

κήρινθον, CERINTHE, à voce græca, quod ad conficiendam Ceram apibus inſervire exiſtimetur. CYNOGLOSSUM MONTANUM MAJUS. TELEPHIUM MONTOSUM, Cerinthen/ Fleckenfrauth/ Berghundszungen. MELINET.

Eſt planta flore monopetalo campaniformi, tubulato & multifido, cujus os in quibusdam ſpeciebus clauditur, in aliis vero patet: ex floris calyce ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, tetragonum, quod deinde abit in fructum ex duabus teſtis ſubrotundis conſtantem in duo loculamenta diviſis, ſemine fœtis utplurimum oblongis.

Cerinthe quorumdam major verſicolore flore. I. B. 3.602. & Cluſ. Hiſt. CLXVII. Cerinthe ſeu Cynogloſſum montanum majus. C.B. Pin. 258.

In montoſis Luſitaniæ ſponte naſcitur. Colitur in hortis, floret Junio & Julio.

Refrigerat hæc planta & adſtringit.

CERVICARIA MAJOR.

Sunt folia Cervicariæ majoris, Dod. Urticæ foliis ſimilia, piloſa & acutiora, ſaporis adſtringentis.

Planta

Vocatur Τραχήλιον, TRACHELIUM, quoniam Tracheis medendis aliisque gutturis & colli affectibus opitulatur: UVULARIA, quoniam uvulæ morbis prodeſt. CERVICARIA quoniam collo medetur. Halßkrauth/ Halßwurtzel/ Zapffenkrauth / Zäpfflinkrauth/ Neßelblätterig Halßkrauth. GANTELEE, GANDS NOSTRE DAME.

Eſt ſpecies Campanulæ. Campanula eſt plantæ genus flore monopetalo, campaniformi & multifido, cujus calyx abit in fructum membranaceum, in tria vel plura loculamenta diviſum, in quorum commiſſura axis poſitus eſt tribus placentis inſtructus, quibus adhæreſcunt plurima ſemina. Hæc autem ſpargi ſolent per foramen ſingulis loculamentis proprium.

Sequens

Sequens præſertim ſpecies eſt uſualis.

Campanula vulgatior foliis Urticæ vel major & aſperior. C. B. Pin. 94. Campanula major & aſperior folio Urticæ. I. B. 2. 805. Cervicaria major. Dod. Pempt. 164.

In ſylvis cæduis, ſaltuoſis, item in pratis provenit, locis præſertim umbroſis, floret æſtate.

Planta hæc ſucco lacteo ſcatens, ob partes terreſtres & acidas adſtringit & exſiccat. Cervicis, ut loquitur SCHWENCKFELDT, colli & oris exulcerationibus opitulatur. Conducit in inflammationibus dictarum partium.

CONYZA MEDIA.

Sunt folia Conyzæ mediæ, Dod. crebra, nullo ordine adnaſcentia, alis utrimque caulem amplectentia, acuminata; rugoſa, albicantia, villoſa, halitum viroſum aut quiddam Cimicum aut Cotulæ fœtidæ ſpirantia.

CONYZA MEDIA vocatur etiam MENTHA DYSENTERICA, ASTER ATTICUS LUTEUS, Mittel Dürrwurtz/ geele Müntze/ Ruhrkrauth/ Goldwurtz/ Donnerwurtz.

Eſt ſpecies Aſteris, nempe

Aſter pratenſis Autumnalis Conyzæ folio. Tourn. I. R. H. cl. 14. s. 1. g. 1. Conyza media, Aſteris flore luteo, vel tertia Dioſcoridis. C. B. Pin. 265. Conyza media Matthioli, flore magno luteo, humidis locis proveniens. I. B. 2. 1050 Conyza media. Dod. Pempt. 52.

Æſtate floret humectis ac riguis pagorum areis.

CORAL-

Hæc planta interne & externe laudatur ad dyſenteriam, præſertim ex vino rubro uſurpata. A quibusdam commendatur adverſus peſtilentiales morbos. Juxta SCHWENCKFELDT, Ictericos juvat cum radicibus Cichorei; menſes trahit; ſtranguriam cum Aniſo ſolvit.

CORALLINA.

Corallina á ſimilitudine βρύον θαλάσσιον, Corallia Herbacea, Muſcus Marinus, Meermooß/ Corallen-mooß/ Coralline.

Eſt planta in aquis naſcens, tenuiſſime diviſa, ex partibus conſtans articulatione quadam veluti conjunctis, vel in ramos capillaceos diviſis.

Corallina. I. B. 3. 818. Corallina altera, Tabern. Icon. 813.

Cortusa

Corallina itaque eſt planta capilliformis muſci faciem præ ſe ferens, ſubſtantiæ lapideæ fere, pollices duos alta, coloris viridicantis, aut ex flavo albicantis, aut cinerei, rupibus marinis, petris, conchis ipſisque quandoque Corallis adnaſcens, ſaporis terrei, ſalſi acris & ingrati, odoris piſcoſi & nauſeoſi, imprimis ſi recens ex unda extracta fuerit. Sub dentibus lapillorum inſtar crepitat, & facile vel attritu digitorum in pulverem fatiſcit.

Celebris inprimis eſt ob vim anthelminticam, adeo, ut ab ETTMULLERO præferatur ipſi ſemini Cinæ. Doſis à ℈j. ad ʒß. ad ʒj. in pulvere per ſe vel etiam cum aliis. Cæterum quoque ſiccat & adſtringit. A DIOSCORIDE laudatur adverſus podagram; ſunt qui etiam ſuadent in Phthiſi. Ingreditur vix non omnes pulveres anthelminticos.

CORTUSA.

Sunt folia Cortuſæ, I. B. pediculis a radice mox natis hærentia, ſextantali quoquoverſus latitudine, aut majore, circumſcriptioneque rotunda, æquabilitatem intercipientibus profundiuſculis cæſuris, grati odoris.

Tota

CORTUSA ita dicitur à CORTUSO inventore, vocatur etiam SANICULA MONTANA.

Characterem vide ſub Auricula Urſi, eſt namque

Auricula Urſi laciniata, ſeu Cortuſa Matthioli flore rubro. Tourn. I. R. H. cl. 2. s. 1. g. 7. Sanicula montana latifolia laciniata. C. B. Pin. 243. Cortuſa. I. B. 3. 499. Cortuſa Matthioli. Clus. Hiſt. 307.

Auricula Urſi laciniata, ſeu Cortuſa Matthioli flore violaceo. Tourn. l. c. Sanicula montana latifolia, laciniata, floribus violaceis. C. B. Pin. 243.

Auricula Urſi laciniata, ſeu Cortuſa Matthioli flore albo. Tourn. l. c. Sanicula montana latifolia laciniata floribus albis. C. B. Pin. 243.

Naſcitur locis umbroſis, nunquam à Sole illuſtratis, cretaceo & albicante ſolo. Nusquam hæc planta ab ejus inventore CORTUSO viſa eſt, præterquam in agro Vicentino, in eo tantum tractu, quem vulgo appellant Valleſtagna.

COTINUS.

Tota planta, ut ex MATTHIOLO J. BAUHINUS refert, dum recens eſt gratiſſimo ſpirat odore, melleis favis fere ſimili, ſed longe admodum gratiori & vehementiori; ſed in ſicca evaneſcit odor. Expertum eſt valere hanc plantam ad mulcendos nervorum & articulorum cruciatus à quacunque cauſa exortos. Nam ipſius floribus in amygdalino oleo & roſaceo pari pondere commiſtis, diu inſolatis, fit ad hoc medicamentum præſtantiſſimum, ubi egelidum illinatur. Nec ambigo, quin tota planta adſtringere ac roborare, & vulnera ulceraque ſanare valeat. Ea recentiores utuntur pota ad thoracis interna vulnera: Quin & ejus ſuccum admiſta ærugine cuniculoſis contumacibusque ulceribus utiliter injiciunt. Eadem olfactu ſpiritus recreat, & frigidum roborat cerebrum. Epota prodeſt cæliacis, dyſentericis, fœminarum profluviis & cruenta expuentibus. Tam intus ſumpta, quam foris illita enterocelis auxilio eſt. Temperamentum ei excalefa-

leſaciens & exſiccans, ut manifeſto ſunt indicio ejus radices, quippe quæ guſtu odoratæ adſtringentesque deprehendantur. Quibus qualitatibus non modo attenuare diſcutere & adſtringere valent, ſed etiam roborare.

COTINUS.

Sunt folia Cotini Coriariæ, Dod. ex oblongo rotundata, glabra, nervoſa, odore quodammodo Lentiſcino, guſtuque adſtringente, non injucundo tamen, quæ ſub finem æſtatis rubeſcunt, elegantiſſimoque nitore oculos oblectant.

Cotinus Coriaria ab uſu dicitur. Coccigria quoque vocatur. Sunt qui idiomate Germanico appellant, gelb Breſilien-Holtzbaum/ quamvis in Europa naſcatur. Fustet.

Cotinus eſt arbuſcula flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in ordem poſitis conſtante; ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, an unicapſularem? nam TOURNEFOTIUS dubitat, quoniam in his regionibus non ad maturitatem pervenit. Innaſcitur autem ramulis in capillamenta villoſa deſinentibus.

Cotinus Coriaria, Dod, Pempt, 780. Coccigrya ſive Cotinus putata, I. B, 494.

Reperitur in locis montoſis, Gallo Provincia, Italia, Hungaria &c. Colitur apud nos in hortis, floret Junio.

Chamo-

Vis huic vegetabili, ut docet MATTHIOLUS, adſtrictoria inſignis, exſiccans, cohibensque: hinc foliorum decocto ſanantur in collutionibus oris & linguæ ulcera, faucium & columellæ defluxiones &c. ſiccatorum pulvis ventri prius aceto roſaceo illito inſperſus alvi defluxiones quascunque compeſcit. Valet quoque decoctum ad genitalium ulcera, ſi eo abluantur. Adduntur porro hæc folia in deſeſſionibus, quæ ad menſes cohibendos parantur. Radicibus utuntur infecto-

res

res illiſque pannum ruſſo (roſſo ut J. BAUHINUS loquitur) colore inficiunt. Foliorum etiam & ramulorum uſus apud coriarios in repurgandis coriis. Cum corticibus & ramis etiam decorticatis flavo tingunt colore.

COTULA NON FOETIDA.

Sunt folia Chamæmeli inodori, C. B. Pin. à foliis Cotulæ fœtidæ, ſolo narium judicio, diſcernenda, ſapore amaro.

CHAMOMILLA INODORA, BUPHTHALMUM, OCULUS BOVIS AUT VACCÆ, Rindsaug/ Kühaug/ wilde Chamillen/ OEIL DE BOEUF, CHAMOMILLE SAUVAGE.

Eſt Chamæmelum inodorum, C. B. Pin. 135. Chamæmelum inodorum ſive Cotula non fœtida. I. B. 3. 120. Cotula. Tabern. Icon. 21.

In agris incultis & ſecus itinera, nec non hortis oleraceis, Majo, Junio, Julio & Auguſto floret.

In uſum Medicum non multum cedit. Quidam ad Chamæmeli vulgaris temperamentum accedere aſſerunt, quod tamen non credit JOH. BAUHINUS. Sunt qui hanc plantam ad vulnera commendant.

CRUCIATA.

Sunt folia in caule crucis in formam diſpoſita; quaterna, hirſuta, oblonga, mucrone obtuſo nonnihil, ſapore amaro.

In

CRUCIATA, CRUCIALIS nominatur à foliorum ſitu. INGUINARIA PLINII, item HERNIARIA dicitur à quibusdam,

 forte

forte quia in herniis & rupturis plurimum præſtare creditur. ASPERULA AUREA quoque nominatur. Krußette/ das andere Megerkrauth/ Gold-Waldmeiſter/ gelb Creutzkrauth/ CROISETTE.

Cruciata differt à Gallio ſolo foliorum numero, quæ quaterna tantum decuſſatim ad caulium nodos oriuntur.

Cruciata hirſuta. C. B. Pin. 335. Cruciata. Dod. Pempt. 357. Gallium latifolium, Cruciata quibusdam flore luteo. I. B. 3. 717.

Juxta foſſas, aquarum rivulos, & quandoque agrorum margines; inter ſentes à Majo ad finem usque æſtatis & quidem cum flore reperitur.

In uſum venit herba præprimis, quandoque cum floribus luteis. Folia, inquit SCHWENCKFELDT abſtergunt, calefaciunt & ſiccant. Vulneraria eſt planta imprimis hernioſis utilis. Pota Thoraci, Ventriculo, Venis meſaraicis, & viſceribus obſtructis prodeſt, excrementa pituitoſa foras propellit, ideo appetitum juvat. TOURNEFORTIUS adſcribit huic plantæ vim Cephalicam, Nervinam & antihyſtericam; Epilepſiæ porro & motibus convulſivis mederi creditur modo quocunque uſurpata. Imprimis laudatur ad Herniam tum interne tum externe. Sunt qui hanc plantam ad febres malignas & venena laudant.

CYMBALARIA.

Sunt folia hederacea, anguloſa, ſuperne atrovirentia, inferius Cyclamini modo purpuraſcentia, tenera, ſucculenta, obſcuro quodam amarore prædita.

Hume-

CYMBALARIA nomen, juxta C. BAUH. habet à Cymbalo, ob foliorum aliquam ſimilitudinem. Zymbelkrauth.

Refertur juxta TOURNEFORTIUM ad Linariam; eſt nimirum

Linaria

Linaria Hederaceo folio glabro, ſeu Cymbalaria vulgaris. Tourn. I. R. H. cl 3. s. 4. g. 2. Cymbalaria floſculis purpuraſcentibus. I. B. 3. 685. Cymbalaria Italica folio hederaceo. Lob. Icon. 615.

Hæc herba olim Italiæ propria, nunc vero à ducentis fere annis, ut aliis Europæ regionibus, ita & Alſatiæ familiariſſima, naſcitur ubivis ex parietum rimis, præſertim locis humidioribus. Floret vere & æſtate.

Humectat, refrigerat, virtuteque adſtringente gaudet: unde & in Hæmorrhagiis, fluxuque mulierum albo uſurpari poteſt.

FAGUS.

Sunt folia Fagi Dod. ad Populnea, ut plerique volunt, potius ad Ulmea quodammodo accedentia, minusque rotunda illis, his figura pene ſimilia, firmiora, lævia & nonnihil lucida, integra (exceptis quibusdam foliis, in quibus aliquæ ſerraturæ ſeu eminentiæ longæ ab invicem diſtantes apparent) & lanugine interdum, præſertim in ambitu, obſita, ſapore acido, præſertim novella: quæ colore ab ortu ex luteo viridia, mox ſaturæ viriditatis exiſtunt.

Folia hæcce, ut SCHWENCKFELDT loquitur, refrigerant, adſtringunt, ſiccant. Calidis tumoribus & incipientibus inflammationibus proſunt, imbecillas nervorum partes roborant. Conducunt in gargariſmatibus ad morbos oris & faucium. Maſticata labiorum gingivarumque vitiis opitulari perhibentur. Decoctum horum foliorum præſertim juniorum laudatur etiam ad alvi fluxus.

FILAGO.

Sunt folia Gnaphalii Germanici, I. B. Lavendulæ fo-

liis paria; cana lanugine pubeſcentia, ſapore citra morſum ſiccante.

γναφάλιον à γνάφαλυ tomento, quia folia ejus tomento obducta ſunt. HERBA IMPIA Plinio dicitur; quoniam liberi (id eſt poſteriora capitella) ſupra parentem, id eſt primum & medium, ſummo cauli innaſcens, excellant. FILAGO porro vocatur à filamentis, quibus obſidetur. Appellatur etiam TOMENTUM, CENTUNCULUS, CENTUNCULARIS, LANA PRATENSIS, COTONARIA. Ruhrkrauth à virtute, Engelblümlein/ Kätzlein/ Feldkatzen/ Hynſchkrauth/ Schimmelkrauth/ Wieſenwolle. HERBE à COTON.

Eſt planta flore floſculoſo, plurimis ſcilicet floſculis conſtante, ſtellæ ad inſtar diviſis, embryoni inſidentibus, & calyce ſquamoſo, ſed nequaquam ſplendente aut ſpecioſo, comprehenſis. Embryo autem abit deinde in ſemen pappis inſtructum.

Filago ſeu Impia. Dod. Pempt. 66. Gnaphalium Germanicum. I. B, 3. 158. Gnaphalium vulgare majus. C. B. Pin. 263.

Aridis & ſterilibus locis, Junio & Julio floret.

γάλιον

Adſtringit Filago, docente SCHWENCKFELDT, ſiccat, dyſenteriam, diarrhœam menſesque mulierum immodice fluentes pota ſiſtit. Succus lacte & vino permixtus gargarizatu Anginoſis prodeſſe creditur. Aqua ab hac herba deſtillata ad cancrum præcipue mammillarum, magni dicitur eſſe uſus, continet enim occultos cancros, ne exulcerentur, cum linteolis ſemel in die impoſita. Sunt vero qui & Aſari foliis hujus aqua madefactis non infeliciter ad cancros reprimendos utuntur juxta DODONÆUM. Ego, inquit RAJUS, parum juvaminis adverſus Cancrum in hac herba eſſe ſuſpicor. Herba contuſa, oleo macerata & cocta, ad livores, concuſſiones, cæſa & verbera utuntur.

GAL-

GALLIUM.

Sunt folia Gallii lutei, C. B. Pin. ad genicula ex intervallis radiatim ambientia caulem, longiora & anguſtiora, quam rubiæ ſylveſtris, lævia, nitentia, cum floſculis luteis, ſaporis ſubacris, odoris non injucundi.

γάλιον ſive *γάλλιον*, *γαλάτιον*, quod Lac coagulare faciat, GALLERIUM, GALATIUM, Megerkrauth / Waldſtroh / unſer Frauen Bettſtroh/Wegſtroh/Kabkrauth/Gliedkrauth/Butterſtiele. CAILLELAIT.

Eſt plantæ genus flore campaniformi, patente & multifido: cujus calyx deinde abit in fructum, ex gemellis ſeminibus conſtantem ſiccis, utplurimum lunatis: His notis addenda folia neque aſpera, neque villoſa, verticillatim ad caulium nodos poſita, quina vel plura.

Gallium luteum. C. B. Pin. 335. Gallion verum. I. B. 3. 718. Gallium. Dod. Pempt. 355.

Naſcitur apricis locis in collibus, juxta margines agrorum, ſolo lætiore. Majo, Junio, Julio & Auguſto floret.

GERANIUM

Ob ſpiritum acidum copioſiſſimum, quo Gallium, teſtante KOENIG, abundat, vim habet antelaſticam, nimiam ſcilicet rarefactionem ſpirituum concentrandi. Aciditas ejus elucet præcipue ex vi, quam habet lac mox coagulandi: Planta eſt vulneraria & detergens. Commendatur in epilepſia, item in podagra & ſcabie præſertim infantum ſicca, ſi balnea & ſuffumigia exinde parentur. Adſtringit etiam, unde ad hæmorrhagiam narium adhibetur. Dictum eſt quod Gallium Lacti immiſſum illud coagulet, ſed vice verſa alii aſſerunt, quod obeſitatem utentibus conciliet. Ruſtici mediante Gallio Lac coagulant ad caſeos exinde formandos, quos multo pluris quam alios caſeos faciunt. Flos juxta SCHWENCKFELDT tuſus & impoſitus ſacris ignibus me-

detur & ambuſtis, ſanguinisque profluvia ſiſtit. Contra cancrum & cancroſa ulcera maximopere commendatur. Fotu articulos luxatos reſtituit. Vetulæ imponunt cunis infantum pro faſcinis.

Gallium flore luteo inter gramina provenire & ingruentem tempeſtatem ſuaviſſimo odore prænunciare, ſuaviusque etiam apparente Iride olere teſtatur CAMER Hort.

De hoc Gallio etiam, ut habet HOFFMANNUS in SCHROED. referunt, ſi fornaci in hypocauſto, ubi compotores ſibi invicem propinant, imponatur, usque dum incaleſcat, iſtos adigere, ut invicem inter ſe in oculos & capillos involent.

℞. Gall. pulver. ʒj. Exhibe in convenienti vehiculo; laudatur tanquam excellens remedium contra Epilepſiam à Tauvry.

℞. Gall. man. j. coqu. in ℔ij. aqu. hauriatur ſucceſſive ad eundem morbum.

Acetum ex Gallio OLAUS BORRICHIUS, ſequenti modo parare jubet

Recentiſſimas Gallii lutei comas, defluente matutino rore ſicciores, ad manipulos aliquot legit, lectasque cucurbitæ commiſit, & ne quam ab aëre aut mora ſubirent mutationem, ſubito evulſas ſubito igne ſubjecto invitavit ad deſtillandum. Nec mora, ſurrexit ſtillatitius liquor primus, & is pene inſipidus, odore tamen fragrantes Gallii flores non parum referens. Poſt unam circiter liquoris hujus unciam ſucceſſit acetum non ingrati ſaporis ad uncias propemodum tres, tandem validiori igne admoto ſubſecutum eſt cum liquore acido oleum flavum ad ʒij. pene, nec illud admodum ingrati odoris. Cum vero operatio tota ab evulſo flore ad acetum usque prolectatum paucas duntaxat horas duraverit, & miti deſtillatione peracta ſit in arena, conſtiterit hinc abunde

unde, ſpiritum hunc acidum tam prompte volatilem, lactiſque coagulatorem flori Gallii adhuc creſcenti vere ineſſe nec aliorum more acetorum fermentationem præviam expectare, ſed in flore ſtatim ipſo vim ſeparatricem profiteri. Hoc acetum ferventi lacti infuſum, ſtatim ſecretionem illam partium, quam ab infuſo vulgari aceto experimur, procuravit.

Libuit experiri, an ex floribus Acetoſæ ſummisque ejusdem foliis, ut Gallio, ad Linguæ fidem longe acidioribus, tale ſubito acetum deſtillando evocari poſſet: ſed facto eodem modo experimento nil, niſi inſipidus liquor, prolectum eſt, argumento evidenti longe ſubtilius & πνευματικώτερον acidum in Gallio quam in Acetoſa habitare ut habet THOM. BARTHOLINIS in Act. Medicis.

GERANIUM ROBERTIANUM.

Sunt folia hirſuta, pediculo rubente hirſuto, matricariæ fere diviſura, odore, præſertim ubi teruntur, paſtinacæ graveolente, ſapore adſtringente, per oras aliquantum rubentia, interdum tota. In

GERANIUM à voce Græca γέρανος Grus dicitur. Geranium enim in ſummis alis ſurſum ſpectantes eminentias habet (ut ait DIOSCORIDES) veluti Gruum capitula cum ſuis roſtris, aut dentes caninos. Recentioribus à Ciconiæ roſtri effigie ROSTRUM CICONIÆ eſt appellatum, Storchenſchnabel / Kranichſchnabel / BEC DE GRÜE. BEC DE CICOGNE.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum roſtratum, quinque ſtriis per longitudinem inciſum, quibus totidem adhæreſcunt capſulæ, in longam caudam deſinentes, per maturitatem a baſi ad apicem extroſum ſe revolventes, & ſemine fœtæ utplurimum oblongo.

Ex

Ex pluribus Geranii ſpeciebus intelligitur hic

Geranium Robertianum. 1. Viride. C. B. Pin. 319. Geranium Robertianum murale, I. B. 3. 480. Geranium Robertianum. Dod. Pempt. 62.

Vocatur alias etiam GERANIUM RUPERTIANUM, GRATIA DEI, HERBA RUBEA, RUBEA MOSCHATA, ROBERTIANA, RUPERTIANA, RUBERTA, HERBA ROBERTI aut RUPERTI, quas nomenclaturas à rubro caule & foliis rubris obtinuit. Ruprechtskrauth/ Gottesgnad/ Rothlauffkrauth. Obvium eſt hoc Geranium ubique in ruderibus, muris veteribus, caſis arboribus, locis frigidis, humidis & umbroſis, floret Aprili & tota pene æſtate.

In uſum venit herba. Temperatum eſt hoc Geranium, moderate ſiccat, ſubadſtringit, reſolvit ſanguinem coagulatum. Vulnerarium eſt præſtantiſſimum, interno & externo uſu. Externe cum ſale & aceto plantis pedum applicatur in febribus. In tumore pedum hydropico herbam contuſam applicant. Adhibetur ad Lac diſcutiendum in mammis, item ad fiſſuras mammarum curandas. Solet etiam commendari interno & externo uſu in cancro mammarum, ſive ſit exulceratus ſive non, valet quoque ad mammarum inflammationes, oris & pudendorum ulcera.

IN OFFICINIS HABETUR.

Aqua Geranii, deſtillata ex integra herba, Storchenſchnabel-Waſſer / *Eau de Bec de Grue.* Notante HILDANO ad Cancrum omnium partium conducit.

HERNIARIA

HERNIARIA.

Sunt folia ſerpilli minora, ex viridi lutea, guſtu acri.

Herniaria,

HERNIARIA ita dicitur à virtute contra Hernias, HERNIOLA, MILLEGRANA à multitudine ſeminis. HERBA TURCA, HERBA HOLLERII vel HOLLERIANA, HERBA FALLOPIA, Harnkrauth/ Bruchkrauth/ Tauſendkorn/ Körnleinkrauth/ Hendlinweiß / Jungfrautroſt / Stopsloch / HERNIOLE TURQUETTE, HERBE DE TURC, HERNIAIRE.

Eſt planta flore apetalo, plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtante, ex calyce ſurgentibus. Piſtillum autem abit deinde in ſemen, in capſula oblonga & ſtriata, quæ calyx floris fuit, reconditum.

Herniaria glabra. I. B 3. 378. Polygonum minus ſive Millegrana major glabra. C. B. Pin. 281. Herniaria. Dod. Pempt. 114.

Creſcit locis aridis & arenoſis, nonnunquam tamen & circa ripas, floret Junio & Julio.

Herniaria, ut refert TOURNEFORTIUS, analyſi chymica exhibet magnam quantitatem olei & terræ, parum ſpiritus Urinoſi, nullum autem ſal volatile concretum Phlegma totum eſt acidulum, adeo ut Herniariæ ſal nihil aliud ſit, quam tartarus quidam ſulphure abundans. Vires poſſidet adſtringentes & abſtergentes. Commendatur in affectibus renum & veſicæ, in cienda urina, promovendo ſabulo, atterendo calculo renum & veſicæ. Remedium quoque eſt vulnerarium in vulneribus ſive externis ſive internis. Imprimis laudatur in herniis inteſtinorum & omenti. Uſurpatur vel cruda modo in pulvere, vel decocta & quidem nunc ſola, num cum aliis mixta. Externe quoque adhibetur in balneis, cataplasmatibus, unguentis & emplaſtris.

℞. Herb. Herniariæ cum toto man. ij. coqu. in aqu. fontan. ℔ij. mediocriter, addendo colaturæ florum aurantiorum ℥j. Potio per vices haurienda in affectibus veſicæ.

HELIAN-

IN PHARMACOPOLIIS ASSERVATUR.

Aqua Herniariæ, Bruchkrauth- oder Harnkrauth-Waſſer/ *Eau de*

de Turquette ou *Herniole.* Laudatur quam maxime in affectibus renum & veſicæ, obſtructionibus hepatis & Ictero, item ad Hernias in infantibus.

HEDERA.

Sunt folia nullo ordine, pediculis ſemipalmaribus & palmaribus appenſa, magna, nervoſa, rigida, craſſa, ſuperne ex atro virentia ; & ſplendentia, inferne ad luteum tantillum ex virore declinantia, ſinuoſa, triquetra, alias rotundata in mucronem exacuata, ſapore ſiccante & acri.

Folia

κίσσος, κιζζὸς, HEDERA, EDERA vel ab hærendo, vel, quod probabilius, ab edendo dicitur. BACCHICA, quia Bacchus ex India in Græciam primus intuliſſe fertur. Ephew/ Eppich/ LIERRE.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis, è cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in baccam fere globoſam, ſeminibus fœtam hinc gibbis inde vero planis.

Hedera arborea, C. B. Pin. 305. Hedera communis major. I. B. 2. 111. Hedera corymboſa communis. Lob. Icon. 614. Groß Epheu/ Baumwinde/ Maur-Epheu.

Hedera humi repens. C. B. Pin. 305. Hedera minor reptans. SCHWENCKFELDT. Hedera Helix, Matth. Kriechender Epheu/ kleiner Epheu.

Prior ſpecies naſcitur in montibus, circa parietes, arbores & muros ædificiorum; altera paſſim ſylvarum opaca arida & ſaxoſa perreptat. Viret per totum annum : quæ fertilis eſt floret æſtate, baccas fert autumno. Planta eſt ſcanſilis & paraſytica, ita ut propterea etiam vocetur laſciva. Non enim ſolum radicibus vivit in terram dimiſſis, ſed & germinibus alimentum exſugit ex arborum caudicibus, quas ſcandit, frequentiſſimas enim easque breves per tota germina edit radiculas, quibus pertinaciſſime hærens arbores ſuffocat, & ædificia, quamvis

vis robuſta, tandem demolitur. Hæc planta, olim Baccho dedicata erat. Coronas exinde in commeſſationibus parabant non ſolum, ſed & Poetæ hedera coronabantur.

Folia hæc, ob ſulphur balſamicum terreis partibus involutum, ſubadſtringunt & virtute gaudent vulneraria. Intus rarius uſurpantur, mentem enim turbare & nervis nocere diciuntur. A quibusdam laudantur contra ebrietatem, ſi iis tempora cingantur; ad ulcerationes, ut SCHWENCKFELDT loquitur, igne factas Herpetas & eriſipelata valent. Cum vino cocta grandia vulnera conjungunt, & maligna ſanant. Conveniunt in achoribus exiccandis & curandis. Fonticulis ab inflammatione præſervandis imponuntur. Decoctum foliorum laudatur in dolore dentium & aurium, ut & in capillis nigro colore inficiendis. Succus foliorum Hederæ laudatur in ozæna. In podagra quoque ad dolorem demulcendum folia imponuntur.

HELIANTHEMUM.

Sunt folia Chamæciſti vulgaris, C. B. Pin. Hyſſopi latiora multo, unciam longa, modice in acumen deſinentia, hirſuta, ſapore præter ſiccitatem nullo excellente, glutinoſa.

Vul-

Ἡλιάνθεμος ab Ἥλιος Sol & ἄνθεμος flos, quaſi diceres florem ſolis. HYSSOPUS NEMORENSIS, PSEUDOPANAX CHIRONIUM, CONSOLIDA AUREA. CHAMÆCISTUS, ſive CISTUS HUMILIS, Sonnengüntzel/Heyden Hyſop/ HELIANTHEME, HERBE D'OR, HYSOPE DE GARIGUES.

Eſt planta flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus calyce polyphyllo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum fere globoſum, trifariam dehiſcentem, ſeminibusque fœtum ſubrotundis, tenuibus, capillamentis ſeu placentæ affixis.

Helianthemum vulgare flore luteo, I. B. 2. 15. Chamæciſtus vulgaris flore luteo. C. B. Pin. 465. Flos Solis. Dod. Pempt. 193.

Herba hæc hinc inde reperitur florens Majo &c.

Vulneraria habetur planta, in Symphytorum ſeu Conſolidarum claſſem accenſenda. Recenti enim vulneri ſi imponatur, eadem glutinat, ſanguinemque manantem ſiſtit, prodeſt ad oris pudendorumque tumores, ſi decocto hujus herbæ partes affectæ colluantur. In Hæmoptyſi, alvi profluvio, dyſenteria, fluxu hepatico conducit.

HIERACIUM.

Sunt folia Hieracii murorum folio piloſiſſimo, C. B. Pin. ſinuoſa, ſuperne virentia & hirſuta, inferne denſiore lanugine caneſcentia, maculis pulchris interdum notata, ſapore amaro & nitroſo.

AURICULA MURIS MAJOR, PULMONARIA GALLICA, PILOSELLA MAJOR GALLORUM. Groß Mäußohr.

Hieracium eſt plantæ genus flore ſemifloſculoſo, plurimis ſcilicet ſemifloſculis conſtante, embryoni inſidentibus & calyce comprehenſis. Embryo autem abit deinde in ſemen pappis inſtructum, in capitulum collectum. His addendi ſunt caules ramoſi, & facies quædam propria, qua a Scorzonera aliisque ſimilibus Hieracium differt.

Hieracium murorum folio piloſiſſimo, C. B. Pin. 129. Piloſella major quibusdam, aliis Pulmonaria flore luteo. J. B. 2. 1033. Pulmonaria gallica ſive aurea. Tabern. Icon. 194.

In muris antiquis & ſylvis floret Majo & Junio.

HISPI-

Egregie ut ETMULLERUS loquitur, prodeſt pulmonibus, detergetque ſordes. In hæmoptyſi multum illi tribuunt Galli.

HISPI-

HISPIDULA.

Sunt folia Gnaphalii montani folio rotundiori, C. B. Pin. oblonga, per extremum rotunda, incana lanugine obſita inferna parte.

HISPIDULA vocatur etiam PILOSELLA MONTANA HISPIDA, ÆLUROPUS, PES CATI, flores enim à tomento multo, quo veſtiuntur, pedem Cati piloſum repræſentant. Katzen-Pfötlein/ Haſen-Pfötlein/ Katzen-Fuß/ Feld-Kätzlein/ Engel-Blümlein/ Bergruhrkraut/ PIED DE CHAT.

Eſt ſpecies Elychriſi, cujus characterem vide ſub Stoechade Citrina.

Elichryſum montanum flore rotundiore candido. Tourn. J. R. H. cl. 12. S. 2. g. 11. Gnaphalium montanum flore rotundiore candido. C. B. Pin. 263. Gnaphalium montanum album. Lob. Icon. 482.

Elychryſum montanum flore rotundiore ſubpurpureo. Tourn. l. c. Gnaphalium montanum flore rotundiore ſubpurpureo. C. B. Pin. 263. Gnaphalium montanum purpureum Lob. Icon. 483.

Elichryſum montanum flore rotundiore ſuave rubente. Tourn. l. c. Gnaphalium montanum ſuaverubens. Lob. Icon. 483.

Utplurimum hæc triplex differentia conjunctim naſcitur, ſummum ceſpitem fibrillis perreptans. Invenitur in collibus locis ſiccis & apricis. Floret Majo & Junio.

Λαγώ-

Uſurpatur tota herba cum floribus. In officinis cum Auricula muris ſive Piloſella eſt una eademque planta, & quæ de auricula muris dicta ſunt, ea etiam hic veniunt intelligenda. Singulare tamen dicitur remedium in affectibus pulmonum eorumque exulceratione, tuſſi & empyemate. A POTERIO Hiſpidula inſigniter commendatur tanquam egregium vulnerarium & utiliſſimum in affectibus pectoris, dum ſputum & lympham aſperam arteriam irritantem nimis acidam

 ſolet

ſolet corrigere & temperare. Prodeſt quoque in calculo teſte eodem POTERIO.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Syrupus de pede Cati ſeu *Hiſpidula*, Katzenpfötlein-Syrup. *Syrop de Pied de Chat.* Ordinarie quidem deberet aſſumi Hiſpidula, ſed ſæpius aſſumitur tautum modo Piloſella. Huic Syrupo vis eximia ad multos pectoris affectus adſcribuitur enim curat, ulcera impedit, & alia multa pulmonum vulnera curat, maxime vero iis convenit, quibus a capite & alliis partibus fit fluxio in thoracem, & quibus pulmones pituitoſo humore multo infarciuntur, humoris enim irruentis, ut cum VETERIBUS & RENODÆO loquamur, impetum cohibet, fluxum coquit, partem affectam roborat, & expectorationem promovet.

LAGOPUS.

Sunt folia hirſuta Trifolii arvenſis humilis ſpicati ſive Lagopi, C. B. Pin. trifolii communis æmula, unciam circiter longa, culmum lata, ſapore adſtringente, ſtrenue ſiccante cum ſpica, quæ molli villo cineraceo purpuraſcente leporinos pedes imitatur.

In

Λαγώπυς, TRIFOLIUM LEPORINUM ita dicitur à figura ſpicæ, uti modo innuimus, Haſenfuß / Haſenpfötlein / Haſenklee / Katzenklee / Kätzlinkraut / Katzenſchwantz. PIED DE LIEURE.

Pertinet ad Trifolium; & eſt

Trifolium arvenſe humile ſpicatum ſive Lagopus. C. B. Pin. 328. Lagopus trifolius quorundam. J. B. 2. 377. Lagopus Dod. Pempt. 577.

Creſcit inter ſegetes, in arvis, Junio Julio & Auguſto frequens.

Cre-

In uſum venit herba cum ſpica. Virtute gaudet adſtringendi, ſiccandi, roborandi, & demulcendi. Alvi, ut loquitur SCHWENCKFELDT, & feminis profluvio laborantibus mirum præſtat auxilium, ſi in decocto adhibeatur. Decoctum porro ejus contra ſputum ſanguinis, hæmorrhagiam quamvis, fluorem album, commendatur. Tumoribus inguinum & laxis Herniis cohibendis prodeſt. Commendatur etiam ad dyſenteriam, ſi loco Anitergii uſurpetur. Ad cutim quoque, ut refert SCHROEDERUS, ſolis ardore induratam leniendam adhibetur in lotione.

LAURUS ALEXANDRINA.

Sunt folia Lauri Alexandrinæ C. B. Pin. nunc latiora, nunc anguſtiora, pulchre virentia, craſſiuſcula, nervoſa, verum obſequioſa, acuminata, quorum unicuique in medio enaſcitur aliud foliolum, conſimili forma, non item magnitudine.

Folio

Laurus Alexandrina dicitur à foliorum formâ, & quoniam circa Alexandriam multum reperiebatur. Vocatur quoque ἱππογλῶσσον, Hippoglossum, Bonifacia ſeu Bislingua, Uvularia, à virtute, Zapffenkraut / Zäpffelkraut / Auffenblatt / Keelblatt / Laurier Alexandrin.

Sunt ſpecies Ruſci; ſequentes in uſum veniunt.

Ruſcus latifolius fructu folio innaſcente. Tourn. J. R. H. cl. 1. S. 2. g. 3. Laurus Alexandrina fructu folio inſidente. C. B. Pin. 305. Laurus Alexandrina. J. B. 1. 574. Laurus Alexandrina Chamædaphne, Colum. part. 1. 165.

Ruſcus anguſtifolius fructu folio innaſcente. Tourn. J. R. H. loc. cit. Laurus Alexandrina fructu pediculo inſidente. C. B. Pin. 304.

Bonifa-

Bonifacia ſive Bislingua. J. B. 1. 575. Hippogloſſum Laurotaxa, Col. part. 1. 165. Radix Idæa Hippogloſſon. Col. Phytobot. 64.

Provenit in Gallia, Italia, Hungaria, Auſtria &c. locis umbroſis & montanis.

Folia hæc gaudent virtute traumatica, ulcera mundificant & ſiccant. Imprimis uſurpantur in affectibus uvulæ aliarumque oris partium. Uſurpantur in gargariſmatibus, nimiam abſumunt humiditatem & adſtringunt. Laudantur quoque in herniis infantum in decoctis.

LIGUSTRUM.

Sunt folia Liguſtri Germanici C. B. P. oblonga, anguſta, figura ad ſalicis folia quodammodo accedentia, ſed breviora, craſſioraque, atrovirentia, lævia, nitentia, guſtu acri & ſubamaro, non ſine adſtrictione.

Κύπρος, LIGUSTRUM à ligando dicitur, quod virgulta ejus ob lentorem & gracilitatem facile flectantur & circumvolvantur. PHYLLIREA, Hartriegel / Beinholtz / propter duritiem, Rheinweiden / Mundweiden / Mundholtz / Beckholtz / Geißholtz / TROENE.

Eſt frutex arboreſcens, flore monopetalo infundibiliformi, è cujus calyce ſurgit piſtillum infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum fere globoſum, mollem ſucci plenum, ſeminibusque fœtum utplurimum quaternis hinc gibbis inde vero planis.

Liguſtrum J. B. 1. 158. Liguſtrum Germanicum, C. B. Pin. 475. Philyrea Dod. Pempt. 775.

Αυτι-

Naſcitur potiſſimum in vepribus & ſepibus frequens admodum; floret fere tota æſtate, autumno racemuli matureſcunt.

Folia

Folia hæc, ut docet TOURNEFORTIUS amaricant & adſtringunt & parum ſaltem colorem cæruleum mutant. Plus vero flores & fructus, unde conjicere licet prædominari in hac planta Sal aluminoſum multo ſulphure involutum, quale tamen ſal in flore & fructu magis evolutum eſt. Continetur nihilominus etam aliquid urinoſi: præterquam enim, quod analyſi Chymica plurimum olei & liquoris acidi ſuppeditet, tamen ſimul etiam pauca quantitas deſtillatione exinde obtinetur. Refrigerant, detergunt, exſiccant atque adſtringunt. Conducunt ad inflammationes, putredines, exulcerationes oris & faucium, ad procidentiam & tumorem uvulæ, laxitatem gingivarum Scorbuticam, aphthas &c. Uſurpantur in decoctis pro collutione oris & gargariſmate. Decocta valent ad odontalgiam. Interne quidem rarius uſurpantur. Nihilominus à quibusdam commendantur ad ſcorbutum cum ſero lactis, ab aliis in alvi fluxibus.

Succus præſertim ad aliquot uncias ſumptus hæmoptyſin aliasque hæmorrhagias ſiſtit.

Succus ex foliis expreſſus ſingulariter commendatur ad ulcera cancroſa oris.

℞. Folior. Liguſt. m ij. coqu. in s. q. Aqu. fabrorum ferrariorum adde aliquid aluminis, pro roborandis dentibus vacillantibus.

LYSIMACHIA LUTEA.

Sunt folia Lyſimachiæ luteæ, I. B. geniculis caulium adnaſcentia, terna aut quaterna, rarius bina, ſalicis latifoliæ acuminata, ſuperne atrovirentia, inferne magis candicantia, ſaporis adſtringentis & ſiccantis.

Λυσιμάχιος, λυσιμάχιον, LYSIMACHIA dicitur a Lyſimacho Rege inventore; vel à pugna dirimenda, id enim eſt λύειν τὴν μάχην certamen dirimere. Eſt enim, ut loquitur J. BAUHINUS, ei vis etiam belluarum animos feroces & mutuos hoſtiles congreſſus placandi. LYSIMACHIUM VERUM ſeu LUTEUM. LYSIMACHIUM LEGITIMUM, SALICARIA FLORE FLAVO aut MELINO. Geel Weiderich/CORNEILLE, SOUCI D'EAU, PERCEBOSSE, CHASSEBOSSE.

Lyſimachia eſt plantæ genus flore monopetalo rotato & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, mediæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam fere globoſam, apice dehiſcentem & ſeminibus fœtam placentæ affixis.

Lyſimachia lutea major quæ Dioſcoridis. C. B. Pin. 245. Lyſimachia lutea. I. B. 2. 901. Lyſimachium legitimum. Dod. Pempt. 84.

Lyſimachia lutea major, quæ Dioſcoridis, foliis ternis. C. B. Pin. 245.

Lyſimachia lutea major, quæ Dioſcoridis, foliis quaternis. C. B. P. 245.

Lymachia lutea major, quæ Dioſcoridis, foliis quinis. Tourn. I. R. H. cl. 2. s. 6. g. 1.

Marginibus & ripis minus udis atque merſis, Junio & Julio flores gignit.

LYSIMA-

Ob virtutem adſtringentem vulnera glutinat, ut JOH. BAUHINUS habet, & ſanguinis é naribus eruptiones ſiſtit, ſi nares ea obturentur, medicamentum eſt, quod etiam alias ſanguinis eruptiones cohibet, tum ipſa planta, tum adhuc magis ſuccus ipſius. Quin & pota & per clyſteres infuſa dyſenterias & ſanguinis rejectiones & fluxum muliebrem ſanat. Suffitu acerrimum nidorem redolet. Eapropter ſerpentes & venenata fugat, & muſcas in conclavibus interimit. Flores capillis flavitiem conciliant.

LYSI-

LYSIMACHIA PURPUREA.

Sunt folia Lyſimachiæ ſpicatæ purpureæ, C. B. Pin. Saligna, acuminata, ſaporis acerbi & auſteri.

LYSIMACHIA à Lyſimacho Rege nomen accepit, uti quidam volunt, dicitur & SALICARIA vel a foliorum ſimilitudine, vel quod in ſalicetis naſcatur, Weiderich/ Weidenkrauth mit Purpurblumen/ SALICAIRE.

TOURNEFORTIUS hanc Lyſimachiam à reliquis Lyſimachiis ſeparat, & jure peculiare genus ſub nomine Salicariæ conſtituit.

Eſt autem Salicaria plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis conſtante in orbem ex inciſuris calycis tubulati naſcentibus; ex hujus autem fundo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam ovatam, bicapſularem ſeminibus fœtam utplurimum exiguis, plantæ affixis, ipſo calyce plerumque obvolutam.

Salicaria vulgaris purpurea. Tourn. I. R. H. cl. 6. s. 3. g 3. Lyſimachia ſpicata purpurea forte Plinii. C. B. Pin. 246. Lyſimachia purpurea quibusdam ſpicata. I. B. 2. 902. PſeudoLyſimachium purpureum alterum. Dod. Pempt. 86.

Occurrit cum flore Julio, in rivulis pigre fluentibus, paludinoſis locisque humidis.

MILLE-

Adſtringit, refrigerat, cohibet, ut ait SCHWENCKFELDT. Pota ad omnes fluxiones ſanguinis, narium, inteſtinorum, uteri commodiſſimum remedium. Externe quoque ad eundem uſurpatur ſcopum. Decoquitur cum floribus in aqua ad faucium inflammationes.

MILLEFOLIUM.

Sunt folia Millefolii vulgaris, C. B. Pin. primo exortu, antequam excauleſcat planta, minutiſſimis inciſuris diviſa,

 poſtea

ſingula coſtæ formam repræſentant, tenuibus diviſuris eatenus ſimilia, ſed compoſitioribus rigidiuſculis, ſuaveolentibus, ſaporis acerbi cum amarore quodam, cum floribus in umbellis radiatis, odoratis parvis, colore modo ſubalbidis vel ſubpureis, aut diluti ruboris.

Hæc

MILLEFOLIUM, ſeu HERBA, cui nomen foliis de mille dedere, & hæc denominatio eſt uſitatiſſima, à foliorum multitudine, & quia folia ejus, quaſi mille aliis foliis ſtipata. MILLEFOLIA, MILLEFOLIUM TERRESTRE MAJUS, MILLEFOLIUM ALBUM, MILLEFOLIUM VULGARE, MILLEFOLIUM STRATIOTES, PENNATUM TERRESTRE Græcis μυρϱώφυλλον, itidem à multitudine foliorum, μύρια enim ſunt decem millia, μυρία infinita, innumera, χιλιόφυλλον, Germanice Tauſendblatt. Gall. MILLEFEUILLE. Dicitur etiam ϛρατιώτης, fortiſſimus miles ſeu herba militaris, quod in militia & caſtris multus ejus uſus ſit ad vulnera ſananda. Item ACHILLEA, quia juxta PLINIUM Achilles Chironis diſcipulus eam invenit, qua vulneribus mederetur, quæ ob id Achilleos vocatur. ACHILLEA SIDERITIS DIOSCORIDI, à MARCELLO EMPIRICO dicitur LUMBUS VENERIS. Nonnullis SUPERCILIUM VENERIS, & Germ. Jungfraukraut/ forte quia foliorum tenuiſſimæ diviſuræ coſtis arcuatis denſiſſima ſerie, pilorum inſtar adhærentes, ſupercilii formam aliquatenus referunt, multum tamen ab imaginatione accedat, neceſſe eſt. TANACETUM MINUS. TANACETUM MINUS CANDIDIS FLORIBUS. Germanice porro varie appellatur, Garbe/ Tauſendblatt/ Garbenkraut/ Schaafgarbe/ Schaafripp/ Schabab/ Gerwell. LEMERY Traité des Droques ſimpl. dicit. *On appelle vulgairement en françois cette plante* CARPENTARIA, HERBE AUX CHARPENTIERS, *comme qui diroit*, HERBE AUX VOITURIERS OU COCHERS, *parceque les Voituriers s'en ſervent pour arrêter le ſang, quand ils ſe ſont fait quelque playe.*

Juxta TOURNEFORT. pertinet ad herbas flore radiato, ſemine pappis & capitulis folioſis carente, qui etiam plantam noſtram ita deſcribit.

Mil-

Milleſolium eſt plantæ genus flore radiato, cujus ſcilicet diſcus ex plurimis floſculis, corona vero ex ſemifloſculis componitur, embryonibus & calyce ſquamoſo, & fere cylindraceo comprehenſis. Embryones autem deinde abeunt, in ſemina tenuia. His notis addendum eſt; folia tenuiter ſecari, floresque in faſciculos denſos naſci.

Milleſolium vulgare album. C. B. Pin. 140. Milleſolium ſtratiotes pennatum, terreſtre. I. B. 3. 136. Milleſolium ſive Achillæa. Dod. Pempt. 100.

Milleſolium purpureum majus. C. B. Pin. 140. Milleſolium rubro colore. Cluſ. Hiſt. 331.

Creſcit hæc planta paſſim locis aridis juxta vias, in coemiteriis, in paſcuis ad viarum agrorumque margines. Vulgatiſſima namque eſt planta præſertim Milleſolium vulgare album. Floret menſe Majo, Junio & per totam æſtatem.

Quod partes conſtitutivas Milleſolii concernit, eas ita determinat TOURNEFORTIUS Histoire des Plantes. Plantam eſſe parum acrem, amaram & aromaticam, quæ notabiliter rubro colore chartam cæruleam tingit. Nimirum acidum ſalis naturalis terræ, cum partibus terræ ſal aluminoſum formaſſe, unitum cum non multo oleo eſſentiali aromatico. Analyſi chymica obtineri liquorem acidum, multum terræ, parum ſpiritus urinoſi, hinc plantam hanc eſſe vulnerariam, reſolventem adſtringentem. Saporem & odorem ſi conſulamus, ſapor acerbus cum amarore, vel acrimonia quadam, item odor aromaticus, teſtatur de virtute tam adſtringendi, quam attenuandi & reſolvendi Ideoque heterogeneas omnino partes poſſidet, mediantibus quibus diverſos etiam edit effectus, major vis glutinandi, adſtringendi, videtur eſſe in foliis, utpote pluribus partibus fixioribus & acerbioribus ac glutinoſis præditis. Major vis vero reſolvendi, attenuandi, eſt in floribus, utpote odore ſubtili aromatico præditis, quippe qui magis gaudent, ſale volatili oleoſo temperato & balſamico. Nec enim rarum eſt heterogeneas & diverſi plane effectus partes in uno concreto reperiri, Dioscoridem ſi conſulamus, tribuit ille Milleſolio vim adſtringendi & refrigerandi, in vulneribus recentibus, in nimiis menſibus, in dyſenteria &c. apud Galenum non valde aliena offendes. Præcipue laudatur tanquam travmaticum, inſigni vi glutinandi præditum, herba enim viridis tuſa ac impoſita

ſità vulnera ita glutinat ac ſi acu conſuta fuiſſent, uti ſcribit TRAGUS, in fluxibus ſanguinis p. n. compeſcendis, præcipue in affectibus hæmorrhoidalibus convenit. Recentiores inter tonica medicamenta referunt millefolium, quod robori naturali tam humorum quam vaſorum & viſcerum inſerviat, ad legitimas ſecretiones & excretiones perficiendas, nimias vero & exorbitantes modificandas & compeſcendas. Vis Alexipharmaca ipſi adſcribitur, ſunt qui herbam cum floribus in peſte præſervanda & curanda pro ſecreto peculiari venditant, inquit SCROEDERUS. Modus utendi eſt juxta Colerum: decoquantur, & hauſtus ſumatur antequam quis è domo exeat. Ut etiam ex floribus in umbra ſiccatis ſuffitus in domo & conclavi fiat, inde enim aërem, quousque fumus aſcendit, optime purificari. Item peſte jam infectus hauſtum decocti florum in cereviſia aſſumat, inde bubonem vel ſub axillis vel inguine proditurum, porro domus peſte infectorum optime ſuffitu horum florum purificari, ut tuto inhabitari poſſint. Flores it. in aceto macerati, & ita naribus admoveri, pro præſervativo, ut cerebrum contra venena muniatur. Hinc COLERO adſtipulatur CLAUD. THEODATUS PANTH. HYGIASTIC. qui inquit, in Millefolii herba integra cum floribus, latet ſecretiſſimum arcanum contra peſtem, qua ſola veſpillones iu maximis peſtibus ſeſe tueri conſueverunt. Singularem ejus effectum in peſte *Hafnienſi* expertus quoque eſt HENR. PACSHASIUS conf. etiam TH. BARTHOLIN. ACT. HAFN. In peſte Millefolium iſtud conducere refert HOFFM. d. M. O. quod eſt amarum & aromaticum, & præfert pilulis peſtilentialibus. Idem COLERUS Millefolium contra cujuscunque generis febres commendat; Pancovius etiam contra morſus & ictus venenatorum animalium laudat. In Epilepſia ſeu morbo Herculeo etiam conducit, hoc affirmante JOH. CRATONE. Videtur hanc vim Antepilepticam exerere, ob particulas glutinoſas & balſamicas acre ſeu acidum iſtud volatile nervos irritans & vellicans, & hinc contractionem ſpaſmodicam partium membranoſarum, & motum ſpirituum exploſivum, ut WILLISII verbis utamur, inducens, obtundendo, hinc etiam non inutile videtur, in aliis doloribus a contractione ſpasmodica aliarum partium nervoſarum oriundis, v. c. in doloribus colicis, unde juxta JOACH. CAMERAR. in horto Medico pulvis Millefolii efficax eſt in doloribus colicis ad Drachm. exhibitus

in vino,& datur utiliter quoque de eo puerulis in pulte. Quare nonnulli etiam virtutem carminativam & paregoricam in milleſolio, præcipue in florum partibus balſamicis & aromaticis agnoſcunt. Quapropter etiam TABERNÆMONTANUS, prolixe præ reliquis vires Millefolii recenſens, in dolore capitis pro uſu externe dilaudat, ſi ſuccus recenter expreſſus linteis intinctis calide fronti & temporibus applicetur. Vis paregorica Millefolii etiam ſeſe oſtendit in dentium doloribus,quare Apulejus de Virtut. Herb. odontalgicum millefolium ſtatuit, præcipit enim ut herbæ millefolii radicem dentibus laborans jejunus manducet. MATTHIOLUS dicit cum manducata folia & præſertim recentia dentium dolores mulcent, idem facit commanducata radix & diu ſub dente dolente retenta. TABERNÆMONTUS ſuadet ut ſuccus expreſſus calide bibatur. Exterius LONICERUS aliique ſuadent ut herba cum butyro frixa genæ lateris dolentis applicetur, ad auferendum certo dolorem à cauſa calida oriundum, alii folia plantaginis addunt, nonnulli millefolium in aceto decoquunt, & decoctum calide in ore detinent in dentibus vacillantibus,in laxitate gingivarum ſcorbutica, tum in forma pulveris, gargariſmatis & electuarii utiliter uſurpatur. Imprimis virtus vulneraria ſeſe manifeſtat, ita ut inter vulnerarias plantas facile ſit princeps, leni abſtergendi & glutinandi facultate pollens, ut etiam ingentia vulnera conglutinet. SIMON PAULI QUAD. BOTAN. inquit, evporiſton hoc eſt medicamentum, hinc multis in regionibus familiare eſt vulgo, quod, ubi vino deſtituitur, ſubigit id aut tundit in formam Cataplasmatis, addito tantillo axungiæ porcinæ, vel lardi infumati, vel etiam telæ aranearum, ac vulneribus recens inflictis id applicare ſolent. Ita ſi per ſe decoquatur nobile præbet decoctum travmaticum juxta TABERNÆMONTANUM variis generis vulnera ſanat, ſanguinem coagulatum expellit & reſolvit, imo ſic propinatum in vulneribus malignis & venenatis malignitatem corrigit, ſimul anodynam virtutem obtinet,ita ut idem hoc ipſum decoctum in torminibus inteſtinorum & doloribus a dyſenteria ortum trahentibus compeſcendis commendet. Utque hæc vis travmatica eo melius innoteſcat, varios utendi modos ſubjungemus: ipſa herba recens contuſa vulneribus ſanguine manantibus imponitur inſtar emplaſtri, ſanguinem è vulneribus manantem compeſcit, vulnera glutinat, inflammationem atque

tumo-

tumores arcet, nonnulli pro eadem intentione & iisdem ſymptomatibus præcavendis in aceto decoquunt. Alii cum axungia porcina in formam emplaſtri ſeu linimenti redigunt & in vulneribus quibuscunque caſibus factis commendant uti QUINT. SEREN. SAMMONICUS his verſibus dilaudat.

Herbaque quæ foliis nomen de mille recepit,
Appoſitu prodeſt adipi permiſta vetuſto.

Parant potiones vulnerarias ad quæcunque vulnera ſananda. Inſuper ſuccus millefol. frequens eſt ingrediens in balſam. vulnerar. uti etiam pulvis.

Ad hæmorrhagias cujuscunque generis compeſcendas & fluxus p. n. ſiſtendos imprimis millefolium laudatur ita LAZ. RIVERIUS, leve decoctum millefolii pro potu ordinario uſurpatum, ad quemcunque ſanguinis fluxum cohibendum eſſe efficatiſſimum dicit, & ab hoc effectu THURNEISERUS Blütgeſtell appellat: juxta MATTHIOLUM præſtat mirum in modum millefolii & foliorum & florum farina ad ſanguinis mictum, ubi unciæ pondere una cum Armenæ terræ drachma ex vaccino lacte propinetur jejunis diebus tribus continuis. Exterius planta contuſa ulceribus impoſita hæmorrhagias ſiſtit, idem facit ſuccus expreſſus, vel pulvis inſperſus. Contrarium fere tradit HOFFMANNUS DE MED. OFFIC. ubi dicit: accedit quod recentior obſervatio docuit, millefolium noſtrum tantum abeſſe, à facultatibus hæmorrhagias ſiſtendi, ut etiam cieat, tam etiam vehemens eſſe diureticum ut diuturniore uſu cruentas urinas pariat, vidit hoc TRAGUS. Id quod tamen in TRAGO reperiri non poteſt. Vis diuretica quidem ab aliis millefolio adſcribitur, ita TABERNÆMONTANUS ſucci expreſſi unc. ij. cum pari portione aceti ſumpti, valide urinam pellere dicit, idem facere drachm. j. pulveris cum aceto ſumptam. A quodam contra calculum his verbis commendatur, pulv. ſemin. millefol. ad drach. cum vino albo aut juſculo mane bibatur, præſertim ſi bis terve repetatur. Alias herba recens naribus indita hæmorrhagiam cauſatur, non ob partes tenues volatiles calidas, ſed quia naribus attrita reſerat venas & arterias narium capillares, ut hæmorrhagiæ narium inde oriantur. Debetur ergo hoc millefolii foliis miro naturæ

artificio in lacinias diviſis crenatis & veluti aciculis aut aculeis armatis rigidulis ac horridulis, ſed recentibus hoc acceptum ferendum. Secus ſe res habet cum herba contuſa pulveriſata, aut ſucco expreſſo, uti hic expreſſus ſanguinem manantem manifeſte compeſcit, & glutinantem facultatem obtinet. Obſervamus hoc pari ratione in urtica, quæ ob ſpicula ſua rigida quibus in foliorum ſuperficie armatur pungit, urit & rubefacit, ſuccus vero expreſſus ſpecificam facultatem hæmorrhagias compeſcendi tam interne quam externe obtinet. In hæmorrhagia narium pulvis naribus injicitur, vel ſuccus cum goſſypio inſtar turundæ intruditur, vel herba contuſa fronti emplaſtri modo imponitur, in hæmorrhagiis uterinis ſuccus interne propinatur vel ex planta contuſa peſſarium paratur, aut emplaſtri modo regioni pubis & lumborum imponitur, vel etiam ſemicupium pro inſeſſu paratur. Pariter in hæmoptyſi laudatur, à TRAGO, etiam à vena in pulmonibus violenter dilacerata, ubi expreſſus ſuccus ad unc. ijß. cum drachm. ij. lapidis hæmatitis pro una doſi frigide, non calide, cum calida in tali caſu noceant, propinatur. TABERNÆMONTANUS jubet, ut pulv. drach. j. cum aqua ſymphyti vel plantaginis mane ſingulis diebus ſumatur. In aliis quoque affectibus pectoris in uſum trahitur, in pleuritide millefolii herba vel radix contuſa & exhibita cum aceto laudatur à PLATERO TABERNÆMONTANUS eodem modo contra tuſſim adhibet, JO. PRÆVOTIUS commendat pulverem contra ulcera pulmonum & phtiſin ad drach. j. ſingulis diebus in juſculo ſumptum ut & FONSECA; juxta PANCOVIUM in eodem affectu prodeſt decoctum millefolii cum conſerva roſarum rubrarum præparatum & bene clarificatum. In ventriculi & inteſtinorum affectibus variis modis uſum ſuum exſerit, ſi ventriculus nauſeabundus & appetitus dejectus TABERNÆMONTANUS millefol. in vino decoctum præſcribit ut & in vomitu. In vomitu cruento inſignem millefol. utilitatem multi deprædicant, refert G. I. LANGIUS Diſp. de MILLEFOLIO Doct STAHLIUM ſæpius expertum eſſe mirabilem ejus efficaciam contra ſanguinis p. n. congeſtiones & motus circa venam portæ, cujus ramus è vena gaſtrica, quæ per anaſtomoſin in ventriculi cavitatem eructat ſanguinem. Adverſus hoc malum tum diſſipando congeſtum ſanguinem, quam conſolidando vas ruptum vel apertum egregie ſe gerere millefolium, præſertim in pugillari infuſo

adhibitum loco Thée & calide potum. In Diarrhæa cohibenda, in Dyſenteria compeſcenda, in Torminibus inde oriundis placandis, communi Authorum conſenſu adhibetur. Pulveris drach. j. in vino rubro exhibent. Succum expreſſum vel etiam decoctum cum ▽ chalybeata in forma clyſteris injiciunt. Eundem ſuccum ad unc. ij. cum anatica vini quantitate propinant. Exterius vel per ſe, vel cum equiſeto & floribus balauſtior. in ▽ ferrarior. & vino rubro decoctum calide abdomini dolenti applicant. Botanologia curioſa pulverem præcipue contra alvi fluxum chyloſum commendat. Contra vermes inteſtinorum pulverem millefolii ANT. CHALMET. ENCH. CHIRURG. præſcribit. Imprimis inter ſpecifica refertur millefolium in hæmorrhoidum affectibus & motu eorum contemperando HOFFM. CLAV. IN SCHROED. millefolium in ▽ calida infuſum & aſſumptum, ad aliquod tempus, quo diutius eo melius, in hæmorrhoidum doloribus & fluxu earum immodico valde laudat. ETTMULLERUS inter ſpecifica pro curandis hæmorrhoidibus apertis recenſet ſcrophulariam, millefolium & craſſulam. RIVERIUS PRAX. ſuadet, ut toto curationis decurſu utatur æger pro potu ordinario ▽ ferrata, vel decoct. millefolii. Juxta CRAANEN PRAX. MED. reform. Curatio hæmorrhoidum in hiſce conſiſtit, 1. In V.S. ſæpius repetita ſi adſit plethora & vires conſtent. 2. In exhibitione decocti ex ſolo millefol. quod hic multum præſtat. 3. Externe ungu. de linaria 4. inter purgantia ☿ dulc. atque h. m. malum ſæpe aufertur. Uſum millefolii in hæmorrhoidum dolore confirmat PETR. PASCH. ap. RIVER.

In morbis mulierum curandis non ultimum locum obtinet, in fluxu menſium immodico compeſcendo, eadem ratione ſicuti in fluxibus hæmorrhoidalibus uſurpari poteſt. Sennertus prax. in hoc caſu ſuccum millefolii cum Saccharo edulcoratum addito ſyrup. corallor. tanquam præſtantiſſimum medicamentum commendat. Convenit etiam in fluore albo mulierum, & juxta ETTMULLERUM hoc verum eſt, & huic fluxui in viris reſpondet gonorrhoea, unde ſuccus millefolii eſt egregius in compeſcenda eadem ſi unc. j. propinetur cum lacte dulci. Hæc enim potio certo gonorrhæam curat, idque imprimis ſi admiſceatur aliquid de antimonio diaphoretico vel ſuccino præparato, hæc namque ſpecifica ſunt contra gonorrhæam. Idem

fere

ſere habet TRAGUS & MATTHIOLUS h. v. milleſolium cui candida eſt umbella, una cum floribus tuſa, & cum ſua ipſius ▽ aut Caprino lacte pota, gonorrhæam in viris, in fœminis alba uteri excrementa tollit atque id valentius præſtat, ubi cum Corallio, ſuccino albo & eboris ſcobe propinetur. TABERNÆMONTANUS etiam peſſarium inde format in albo uteri profluvio, imo in calceis quoque geſtare jubet. Spem quoque uteri conſervat milleſolium, hinc decoctum in vino hauſtum ſuadent mulierculis gravidis ad abortum præcavendum. Juxta SIMON. PAULI QUADR. BOTAN. experimento muliebri contra abortum illius decoctum commendatur, & novi quasdam, quæ ſe ab eo hujus ſolius decocti beneficio præſervarunt. Cui ſi ex ejusdem commendatione pulverem radicis Biſtortæ addideris, habebis optimum abortus præſervativum. In Pterygio oculorum & maculis eorum delendis conducit, pro hac intentione ſumunt flores & folia milleſolii, flor periclymeni ana, ſuccum exprimunt, & cum lacte mulebri temperant juxta TABERNÆMONTANUM, iſt eine edle Artzeney die Flecken in den Augen zu vertreiben/ ſi guttula una vel altera oculo inſtilletur. Alii recipiunt herbam milleſolii, fœniculi, rutæ, decoquunt in vino & oculo inſtillant. Quod ad uſum oeconomicum attinet, TABERNÆMONTANUS ſuadet, ut poſtquam muſtum deferbuerit ſemen milleſolii in vino ſuſpendatur, ne vinum corrumpatur.

Ut ea quæ ſparſim de viribus produximus brevioribus commendamus, Milleſolium adſtringit, exſiccat, cum temperato calore ac amarore, medetur vulneribus, tumoribus ac inflammationibus ſine repulſione. Eſt alexipharmacum tempore peſtis potiſſimum proficuum, antifebrile, antepilepticum, travmaticum & vulnerarium inſigne, convenit in hæmorrhagiis ac fluxionibus omnis generis, narium, uteri, alvi, hæmorrhoidum, vulnerum, hæmoptyſi, vomitu & mictu cruento, diarrhoëa, dyſenteria, fluore albo mulierum, gonorrhoëa, mariſcis, abortum præcavet, eſt Paregoricum, anodynum & carminativum, medetur cephalalgiæ, odontalgiæ, torminibus, pterygio oculorum, tumoribus hæmorrhoidum, ictibus venenatis, tumori genitalium. Uſurpatur etiam in urina retenta, dyſuria, arenulis, calculo. Variis ſub formis uſurpatur, pulvis ad drachm. j. in vehiculo convenienti aſſumitur, vel externe vulneribus inſpergitur. Planta

 recens

recens contuſa, contuſionibus ac plagis, item vulneribus recentibus imponitur, egregie ſanguinem ſiſtit & grumoſum diſcutit, vulneraque citra ſuppurationem conſolidat & ſanat; ſuccus expreſſus intro aſſumitur, item vulneribus inſtillatur, quod ſingulare evporiſton in quibuscunque vulneribus ETTMULLERUS nominat, & præterea ſuccum millefolii eſſe ordinarium ingrediens in balſama vulneraria uti etiam pulverem. Infuſum pugillare calide ſumptum loco Thée, & per tempus aliquod continuatum prodeſt. Decoctum ex herba pro adſtrictionis intentione, ex floribus pro ſcopo reſolvendi, anodyno & carminativo. Externe parant ſuffitum pro aëre corrigendo. item in nimio menſium fluxu. Turundæ quoque formantur ex planta contuſa vel ſucco cum goſſypio in narium hæmorrhagia. Item peſſaria in hæmorrhagiis & fluore uterino.

Dicunt radicem millefolii protrudere ſtolonem tempore vernali & autumnali in doloribus dentium eximii uſus. & hinc dentibus cavernoſis & carioſis inditum, præſentaneum eſſe remedium ad ſedandum dolorem & cariem ne ulterius ſerpat præcavendam. Singularis eſt hujus ſapor, primo enim ſi hic ſtolo rubicundi coloris & tener deguſtetur linguæ exhibet dulcedinem quandam non ingratam, inde exhibet acredinem quandam ari aliquatenus æmulam linguam vellicantem, cum liquoris ſalivalis copioſiore profluxu, ut hinc facile ratio pateat, cur radix vel potius ſtolo hic radicis in doloribus dentium jam ab antiquioribus temporibus fuerit laudatus.

In

Hæc ſunt quæ de Millefolio ex diſſertatione beati anteceſſoris noſtri, qui Cynoſuram Hermannianam primus in lucem edidit, nempe Dn. Dr. HENNINGERI paulo quidem prolixius, ſed non absque futura utilitate alleganda eſſe judicavimus.

℞. Herb. Millefolii flor. alb. ejusdem flor. rubr. pulmon. gallic. Prunell. Conſol. Sarac. Plantag. Alpin. Caryophyllat.

cum

cum rad. tormentill. cum rad. biſtort. cum rad. ana man. j. perſicar. macul. angel. ſylv. Imperat. flor. Tiliæ, Turion. Rubi vulg. Rutæ Lunar. ana man. ß. decoquantur in vino vel cereviſia, vaſe optime lutato. De hoc decocto mane atque veſperi 4. vel 5. cochlearia ſumat æger in quibusvis vulneribus.

℞. Millef. Sanicul. Conſol. Saracen. decoq. in ▽ fontan. ad mucilaginem, trajice per ſetaceum, adde ſemin. trifolii pratens. cum ſevo Cervin. Axung. porcina ol. olivar. & cera q. s. f. unguentum, in vulneribus imo etiam ulceribus ſordidis ſanandis proficuum.

℞. Herb. Millefol. Verben. ana ℥ij. Mell. ℥iv. decoque in mens. j. ▽ Fontan. vaſe optime clauſo; de quo mane, & veſperi hauſtus ſumatur contra dyſuriam & calculum.

℞. Millefolii vulgar. man. jv. Millefol. flor. rubr. man. ij. Rad. torment. pimpinell. ſanguis: ana mau. j. Conſerv. roſar rubr. ℥j. affunde aqu. Symphyti, Plantag. ana ℥xxxij, torment. pimpin. ſanguiſorb. ana ℥vj. vaſe optime lutato decoquatur lento igne. Sumat de hoc decocto Tabernæmontani contra Hæmoptyſin & Phthiſin, æger mane ac veſperi ℥iij.

℞. Succ. Millefol. ol. Roſac. ana ℥j. Ung. albi, Ung. Popul. ana ʒij. Miſce in mortario plumbeo. Hoc unguentum TRAGUS commendat ad hæmorrhoidum dolores.

℞. Millefol. Menth. aquat. ana man. jv. plantag. man. iij. exprimatur ſuccus add. Maſtich. gran. vij. Piper. gr. jv. propinetur ex juſſu TABERNÆMONTANI per 9. dies ad ani condylomata.

℞. Millef. Caric. Roſar. rubr. ſtercoris caprilli ana, includatur ſacculo, coquatur in vino & calide applicetur juxta TRAGUM in genitalium & teſticulorum tumore.

℞. Millefol. vulgar. cum foliis & floribus ℥vj. affund. aqu. fontan. ℥xxxvj. decoq. lento igne ad reman. ℥viij. coletur

tur adde ſucc. rutæ, mellis deſpumati ana ℥iß. parum iterum bulliant, coletur & præmiſſo purgante quotidie mane, jejuno ventriculo ℥j. propinetur, adverſus Epilepſiam juxta TABERNÆMONTANUM & TRAGUM.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Aqua Millefolii deſtillata, Schaaffgarben-Krauthwaſſer. *Eau de Millefeuille.* Minime eſt iners, herbæ tam odore quam ſapore, ſi amaritiem excipias, prædita; ad ſupra dictos affectus conveniens.

Eſſentia Millefolii, Garbenkrauth-Eſſentz/ *Eſſence de Millefeuille.* Commendatur in fluxu menſium nimio, hæmorrhagia uteri, in vomitu nephriticorum & cruento, in fluxu hæmorrhoidum nimio & fluxu albo. Datur ad guttas, 20. 30. & ultra.

MORUS.

Sunt folia Mori Dod. ex rotunditate in acumen deſinentia, interdum vitiginea, ſinuata, per ambitum ſerrata, tactu nonnihil aſpera, hirſuta, ſapore ſubdulci & viſcido.

Fo-

Vocabulum MORI quidam à mora ſeu morando deducunt, quod arborum poſtrema frondes germinaque producat. Μορέα, MORUS ex quorumdam ſententia quaſi minime μωρος, fatua aut imprudens, quoniam eo demum tempore germinet, quando frigus non amplius timendum eſt. Alii dicunt quod MORUS ſit, quaſi μαυρός, niger à fructu. MORA CELSA quaſi excelſa ad differentiam Rubi, cujus fructus etiam MORA vocantur, ſed MORA BATI ET BATINA. Maulbeerenbaum/MEURIER.

Eſt arbor flore amentaceo, plurimis nempe ſtaminibus è calyce quadrifolio ſurgentibus conſtante, ſed ſterili. Embryo autem abit deinde in fructum compoſitum è glomerulis ſquamarum ſucculentarum, quæ ſemen complectuntur ſubrotundum.

Morus

Morus fructu nigro. C. B. Pin. 459. Morus nigra. I. B. 1. 118. Morus. Dod. Pempt. 180.

Morus fructu albo. C. B. Pin. 459. Morus alba. I. B. 1. 119. Morus candida. Dod. Pempt. 810.

Amat Morus loca calida ſabuloſaque. Colitur multum in hortis, ædium areis circa urbes & oppida, præſertim nigra, alba in Gallia, Hiſpania, Italia &c. ad bombyces alendos ubique ſcatet. Serotino germinatu floret maturatque, ut J. BAUHINUS ait, celeriter fructum, noviſſima urbanarum germinat nec niſi exacto frigore, ob id dicta ſapientiſſima arborum. Hinc Plinius dicit, cum germinare videris Morum injuriam poſtea frigoris timere noli. Ergo utplurimum demum menſe Majo germina emittit, fructum maturat Auguſto aut etiam citius pro loci temperie. Tardiſſime ſeneſcere hanc arborem veteres prodiderunt.

ROSA

Foliorum Mori præſertim albi uſus eſt ad Bombyces alendos Hoc namque tantummodo pabulo nutriti textrinam inchoant, & tela ſericea ſe includunt. Folia porro hæc in gargariſmatibus adhibentur, in inflammationibus faucium & exulcerationibus tonſillarum. Cocta vel ſola vel cum cortice odontalgiam ſedant; Trita cum oleo aut aceto ambuſtis medentur. Laudantur quoque adverſus morſum animalium venenatorum.

HOFFMANNUS in CLAVE AD SCHROEDERUM, notat quod ex Cymis ſeu tenerioribus cauliculis Mori nigræ, tempore verno, antequam erumpant, ſynovia in vitro radiis ſolaribus expoſito colligatur in epiphora & ophthalmia eximiæ energiæ.

ROSA DE HIERICHO.

Eſt planta ſpithamam à terra vix ſuperans ex lignoſis &

con-

conſertis ab ipſa radice ſtolonibus , numeroſos rigeſcentes, virides, ramulos , foliis oblongis læte viridibus vix uncialibus ſinuoſis craſſiuſculis ornatos ſpargens ; cujus flores minimi tetrapetali candidi odoris expertes, quorum quemlibet ſequitur capſula ſeminalis duobus loculis membranula diſcluſis , duo ſemina rotunda parum compreſſa continens numeroſis capſulis racemi formam utcunque referentibus.

ROSA DE JERICHO, ROSA DE HIERICHO, ROSA HIERICHUNTINA , ROSA HIERICHUNTICA, ROSA NATALIS DOMINI, ROSA St. MARIÆ , ROSA HIEROSOLYMITANA, Roſen von Jericho/ Jerichuntiſche Roſen / Chriſtmeßen Roſe/ ROSE DE JERICO, ita dicitur, quoniam credebant circa Jericho hanc plantam naſci, cum tamen circa urbem hanc ex ſaniorum mente non proveniat.

a TOURNEFORTIO inter Thlaſpi recenſetur ſpecies

Thlaſpi Roſa de Hiericho dictum. Moris. Hiſtor. O on. part. 2. 328. Roſa Hierechuntea vulgo dicta. C. B Pin. 484. Roſa Hiericontea. Lob. Icon 203.

Terra, quæ hanc puſillam plantam ſponte profert, eſt Arabia deſerta, in locis arenoſis. Colitur in hortis apud nos.

RUBUS

Habet hoc ſingulare hæc Planta, ut verbis utar D. MAPPI, qui peculiarem de ea diſſertationem edidit , quod verſus hyemem numeroſi illius ramuli rigeſcentes alias, cancellatim & reticulatim quaſi in globum coeant, magnitudine fere manus in pugnum contractæ, denique cum exareſcit cinerea evadat. Lignoſam hanc plantam plane exſuccam & aridam fama eſt ex Palæſtinæ Hierichuntinis hortis aut agris (ſed falſo) adferri in Europam , ab illis qui loca illa devoti ſalutarunt. Illam exſuccam & aridam plantam, ſi ea nocte, quæ præcedit diem , quo celebramus feſtum Nativitatis Chriſti radix ejus in aqua mergatur, ſponte ſua aperiri ramulosque

ex

exporrigere, ſecundum quosdam etiam florere, nec ante feſtum Paſchale claudi; eandem poſt decurſum plurimorum etiam annorum Parturientium obſtetricibus atque Matronis verum partus tempus indicare, dum demiſſa in aquam, eo ipſo momento, quo fœtus perrumpit membranas atque ex utero emergere ſatagit, fatiſcit & ſe manifeſte explicat, adeoque certiores adſtantes mulieres reddit de ſtatu parturientis, quando autem aperitur, ſtatim parere mulierem ſine periculo; Aquam vinumque, in quibus hæc macerata eſt, partus accelerare & lenire dolores. Sunt inſuper qui exiſtimant Roſam hanc aquæ impoſitam non aperiri in præſentia ægri jamjam morituri aut parturientis, cujus fœtus in utero mortuus. Sicuti autem verum eſt, quod lignoſa hæc & arida planta in aqua aut vino radicetenus merſa rurſus expandatur, ita reliqua, quæ de ea prædicantur, ſuperſtitionem omnimode olent.

RUBUS.

Sunt Rubi vulgaris, C. B. Pin. folia ſerrata, aſpera, dorſo aculeato, inferiore parte candicantia, ſuperiore nigricantia, ſiccoque adſtringentique ſapore prædita.

Omnes

RUBUS, *βάτος*, vel quod virgulta ejus rubeant, dicta putatur, vel quod mora ejus compreſſa ſanguineum ſuccum fundant, SENTIS, ab acutis ſpinis, Brombeerſtauden/ RONCE.

Eſt frutex flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis, calyci inſidentibus, è cujus meditullio ſurgit piſtillum ſtaminibus numeroſis ſtipatum, quod deinde abit in fructum fere globoſum, è plurimis veluti baccis compoſitum placentæ affixis ſucci plenis, & ſemine fœtis utplurimum oblongo.

Rubus vulgaris ſive Rubus fructu nigro, C. B. P. 479. Rubus major fructu nigro. I. B, 2. 57. Rubus, Dod. Pempt. 742.

Rubus repens fructu cæſio. C. B. Pin. 479. Rubus minor fructu cæruleo. I. B. 2. 59. Rubus minor. Dod. Pempt. 742.

Notus eſt Rubus inter dumeta, ſecus vias & margines agrorum. Majo floret: Auguſto & Septembri ad maturitatem pervenit fructus.

Omnes hujus plantæ partes adſtringenti facultate pollent. Folia ſtiptica ſunt & terreſtreitatem ſapiunt, mutantque affricta chartam cæruleam in rubram, nimirum ſalis naturalis terræ acidum evolutum eſt leviter in foliis, quæ adſtringunt atque detergent. Maſticata ulcera oris & gingivarum mundificant, hæmorrhoides & impetigines contuſa & applicata ſanant. Cymæ ex vino rubro ſputum ſanguinis inhibent, ex vino auſtero dentes firmant. Laudantur porro folia ad glutinanda vulnera. Recipiuntur in gargariſmata. In vulneribus & ulceribus tibiarum præſertim laudatur, ſi folia ſeu ſummitates hujus rubi in vino decoquantur, & hoc vinum decoctionis pro lotione calide ſæpius adhibeatur. Poſſident quoque vim capillos nigredine tingendi.

Radici Rubi virtus Lithontriptica adſcribitur, ſed rari eſt uſus, æque ac flores.

RUBUS IDÆUS.

Sunt folia rubi vulgaris foliis ſimilia, tenera & mollia, ſuperius atrovirentia, inferius incana, ut farina aſperſa videantur, ſapore auſtero.

Βάτος Ἰδαία, RUBUS IDÆUS ab Ida monte, quoniam copioſe in eo provenit, Hymbeer/Himbeerſtauden/FRAMBOISIER.

Eſt ſpecies Rubi, & quidem

Rubus Idæus ſpinoſus. C. B. Pin. 479. Rubus Idæus ſpinoſus fructu rubro. I. B. 2. 59. Rubus Idæus. Dod. Pempt. 743.

Frequens eſt in nemoroſis montium ſaltubus, uliginoſis & umbroſis ſylvis locisque minime apricis. Floret Majo, Junio, Julio abeunt

in

in mora quæ diu ſubſiſtere nequeunt, intra paucos enim dies, vermiculi in iis naſcuntur, & tum protinus pereunt.

Folia ob vim alcalinam ſiccantem, ut KOENIG loquitur, traumatica ſunt, laudantur tum interne tum externe ad inflammationes. Stomacho folia recentia trita impoſita eumdem roborant. In lixivio decocta capillos denigrant. Laudantur quoque in gargariſmatibus.

℞. Fol. Rub. Id. agrimon. ana mß. Roſar. Rubr. p. iij. coqu. in aqu fontan. q. s. in Colat ℥iij. ſolv. Cryſtall. miner. ʒj. Rob. moror. ℥j. mell. roſat. ℥ß. Mſc. pro gargariſmate in ulceribus oris.

SIDERITIS.

Sunt folia Sideritidis vulgaris, hirſutæ, I. B. rugoſa, hirſuta, unciali aut ſextantali longitudine, ſemunciam circiter lata, in ambitu crenata, ſapore exſiccante & adſtringente, cum calore aliquo.

Eſt

σιδηρῖτις, SIDERITIS, HERACLEA, FERRUMINATRIX, quod ferro ſauciatis partibus opem promittat. HERBA JUDAICA, TETRAHIT HERBARIORUM, Gliedkrauth/Wundkrauth/Eiſenkrauth/Feldadern. CRAPAUDINE.

Eſt plantæ genus flore monopetalo labiato, cujus labium ſuperius ſurrectum eſt, inferius vero tripartitum. Ex calyce autem ſurgit piſtillum, floris parti poſteriori ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina oblonga, in capſula, quæ floris calyx fuit, recondita. His addendum eſt flores Sideritidis verticillatim diſponi in alis foliorum, quæ plerumque criſtæ modo inciduntur, & à cæteris differunt.

Sideritis vulgaris hirtuſa. I. B. 3. 425. Sideritis vulgaris hirſuta erecta. C. B. Pin. 233.

Ab hac quidam ſeparant

 Si-

Sideritidem hirſutam procumbentem, C. B. Pin. 233. Tetrahit Herbariorum, Lob. Icon. 523.

RAJUS aliique aſſerunt prioris ſpeciei caules, qui ſatis ſunt infirmi, non raro procumbere.

Creſcit in ſiccioribus agrorum & montium ſabuloſorum marginibus, in apricis & meridiano ſoli oppoſitis collibus; floret Junio & Julio.

Viburnum

Eſt herba odoris & ſaporis non ingrati, odore & lamium refert; &, docente KOENIG, ſufficiente ſale eſſentiali & oleo perfuſa eſt, ob cujus rationem vis detergens vulneraria & adſtringens ad vulnera & hernias ipſi attribuitur. Laudatur quoque ad fluxum album mulierum. Infantes totos emarcidos curari dicunt, ſi in profluente coquatur pro balneo. Hoc certe modo uſurpata ſideritis convenit in atrophia infantum, quia vi ſua abſtergente cutis ſordes removet, porosque reſerat. HOEFERUS in HERCULE MEDICO iſtos puerorum morbos, quos vulgo faſcinationi adſcribunt, ſoli prohibitæ tranſpirationi acceptos fert, ac de balneo è Sideritide confecto ſcribit, illud juvare poros cutis reſerando, unde tranſpiratio facilior ſequatur. Quotusquisque enim decoctum Sideritidis volæ manus recenter lotæ & mundæ indiderit, & vel parum digito volam fricuerit, ſtatim ſtrigmata cutis copioſe eliciet. WEDELIUS etiam annotavit, quod ſi coquatur ſideritis & laventur partes corporis, ſequatur ſudor inſtar glutinis, ut poſſit ſcalpello abradi. Interne quoque hæc planta gaudet virtute adſtrictoria. Uſurpatur contra capitis dolores. Cerebrum & articulos roborare dicitur, dum decocto caput, artus & pedes defatigato, fovent.

℞. Aquæ Sideritid. deſtill. ℥vj. Lactis ℔j. coque ad medietatem & uſurpa in dyſenteria. Addi poteſt Raſura priapi Cervi.

℞.

℞. Bacc. Junip. ℥ß. Piper. nigr. maſtich. elect. ana ʒij. Mſc. f. pulv. groſſ. Ind. vitro anguſt orificii, affund Spir. Vini optim. in quo flor. Sideritidis infuſi, ℥jv. Spirit Juniper. ℥ij. digerantur per horas ſex; in Colat. ſolve Sapon. Venet. ʒij. Mſc. Inſervit ad nervos roborandos & ad bracchia & genua firmanda.

THUYA.

Sunt folia Thuyæ Theophraſti, C. B. Pin. Cupreſſinis foliis fere ſimilia, ſed magis compreſſa, ex parvis quaſi ſquammis ſibi invicem impoſitis conflata, odoris reſinoſi gravis, ſi terantur, ſaporis amari.

Folia hæc reſolvunt, exſiccant, flatus pellunt & ſudorem cient. PARCKINSONUS folia tenera & cruda cum butyro pani illito comeſta ad tenaces & viſcidos humores expectorandos nonnullis in uſu eſſe ſcribit, verum aliquibus, qui tenerioris ſunt conſtitutionis, non convenire, quod nauſeam moveant.

ULMUS.

Sunt folia Ulmi, I. B. lætius primum virentia, poſt obſcurius oblonga, criſpa in ambitu ſerrata, aſpera, quinque aut ſex & interdum ſeptem digitorum longitudine, latitudine duorum, trium aut quatuor, utrinque ex rotundo faſtigiata, ſaporis adſtringentis.

Folia Ulmi adſtringunt & vulnera glutinant, conducunt in ſcabie humida præſertim in aceto decocta, quo decocto poſtmodum partes affectæ lavantur. In fomentis laudantur ad dolores podagricos & pedum tumores. Conducunt quoque ad fracturas oſſium & hernias tum interne in decoctis vulnerariis adhibita, tum externe in vino decocta & pro fomento partibus affectis appoſita. Ad lactis concretionem in ven-

ventriculo infantum commendatur cataplaſma ex foliis Ulmi, urina pueri & butyro recenti formatum & regioni ventriculi applicatum. Pulvis foliorum horum in vino ſumptus deprædicatur à BAGLIVI tanquam ſpecificum in doloribus nephriticis. Adhibebantur olim multum ad pecudum cibaria, nam capræ & oves libentiſſime fronde Ulmi veſcuntur itemque boves.

Foliis Ulmi quotannis fere adnaſcuntur folliculi cavi, tuberoſi ſubrotundi ac diverſarum figurarum, in quibus non tantummodo glutinoſus quidam liquor ſubſtantia & colore melleus reperitur, ſed & vermiculi exigui gignuntur, qui in minutos culicellos transfigurantur. Non videntur oriri hæ veſiculæ, niſi à punctūris muſcarum ova in vulneratum folium deponentium, vulnere deinde a ſucco arboris clauſo, quo fit ut dum exterior pars coaluit, interiores fibrillæ ſuccum adhuc plorent, qui lamellas foliis facit intumeſcere, & quoad partem in nutrimentum vermiculorum cedit. De uſu hujus liquoris Authores memorant, quod faciei illitus cuti nitorem inducat, faciemque gratiorem præſtet. Juxta MATTHIOLUM enterocelis medetur, ſi ſplenia in eo madefacta inguini ſuperponantur atque ſub femorali ſubligentur. FALLOPIUS ſcribit ſe liquore folliculorum Ulmi, nihil reperiſſe opportunius in agglutinatione, & vidiſſe mirabilia in villicis de hoc liquore. Sed vidiſſe etiam majora. Quendam ex erronibus perforaſſe mammillam, femora, bracchia &c. pugione, & ſolum hujusmodi liquore mixto melle ſpatio 24. horarum ſanaſſe. (Riſum teneatis amici.) Poſſe ſervari pergit, & a ſe quoque colligi ſolere, ut eo utantur in podagricis affectibus cum fluxiones fiunt. Menſe Majo colligebat, quoniam tardius naſcantur vermiculi, explebat phialam vitream & cera & linteo obturabat, poſtea faciebat foveam in terra pedis altitudine & in fundo foveæ ponebat ſalem com-

munem

munem ſupra quem ampullam collocabat : deinde foveam explebat terra, ita ut ampulla operta eſſet terra & relinquebat per 20. vel 25. dies, tandem dividebat fœces à ſubſtantia clara. CAMERARIUS hanc hujus liquoris colligendi præparandique rationem tradit. Veſiculæ collectæ antequam generent vermiculos imponuntur vitro alicui anguſtioris oris, quod inverſum adaptatur alteri vitro paulo minori & ſic liquor ille commode extillat. Sunt qui hunc liquorem ad ſolis radios deſtillatum optimum & mirabilem imprædicant ad curandos affectus tibiarum & vulnera. Imprimis laudatur ad vulnera oculorum ſananda & humorem oculi aqueum expreſſum reſtituendum. Multi circumforanei hoc arcano mediante plurium crumenas emunxere. Si dicendum quod res eſt. Humor aqueus ſponte in oculis rurſus reſtituitur modo bona deligatio accedat, ut autem vulneris conglutinatio citius contingat, utique hic liquor glutinoſus aliquid contribuere poteſt.

Curioſum eſt, quod apes, ubi ſe poſt hybernam famem ſamera impleverint, profluvio alvi, niſi ſuccuratur, intereant, cum interim gallinas ſamera, ſeu ſemen Ulmi pinguefacit.

VIBURNUM.

Sunt folia Viburni, Matth. ad Alnum vel potius Sorbum Alpinam accedentia, lata, ſublonga, craſſiuſcula, in ambitu crenata hirſuta, & pulviſculo albo, maxime inferna parte, quæ ob id etiam magis candicat, conſperſa, guſtu adſtringente.

Folia,

Viburnum dici videtur, quod frutex ſit lentus & vitilis, ut in ſpiras torqueri poſſit. Vocatur vulgo quoque Lantana, Schling-baum/ kleiner Mehlbaum/ Viorne.

Eſt

Eſt frutex flore monopetalo rotato, & multifido, cujus meditullium perfoditur à cacumine calycis. Is autem deinde abit in fructum mollem ſeu baccam, ſucci plenam & ſemine fœtam oſſeo, compreſſo, ſtriato.

Viburnum. Matth. 217. Lantana vulgo, aliis Viburnum. I. B. 1. 557.

Inculto maxime ſolo inter reliquas vepres & ſentes in dumetis naſcitur, humo gaudens argilloſa & forti. Majo & Junio floret, Auguſti fine & Septembri baccæ nigreſcunt.

Ἀντίῤῥινον,

Folia, ut docet JOH. BAUHINUS adſtringentis ſunt facultatis ideoque præſtant ad vacillantes dentes confirmandos, & gingivarum rheumatiſmos, ſi decoquantur in vino auſtero, atque longe magis valebit, ſi cum Olivæ foliis decoquantur, in aqua & aceto; & ex hoc decocto ſæpe foveantur dentes. Folia in lixivio decocta capillum denigrant, & eoſdem fluentes ſiſtunt. Ex ſurculis paratur aqua ophthalmica; è radicum corticibus ſub terra maceratis & ſubinde decoctis & diu tuſis viſcum ad aucupia paratur. Virgis Viburni commode utuntur in ligandis ſepibus & lignorum faſciculis.

PLANTÆ PARTICULIS TERREIS TEMPERATIS ET BLANDIS VOLATILIBUS CONSTANTES.

Antirrhinum.
Auricula Urſi.
Calceolus.
Coronopus.
Echium.
Aparine.
Britannica.
Caprifolium.
Chryſoſplenium.
Globularia.

Jacea

Jacea nigra.
Lonchitis.
Moxa.
Ophiogloſſum.
Salix.
Scabioſa.
Succiſa.
Trifolium.
Vitis.

ANTIRRHINUM.

Sunt folia Antirrhini vulgaris J. BAUH. Leucoii lutei, quod Cheiri vocant, foliis ſimilia, ſapore ſubacri, cum floribus in ſummis ſcapis in thyrſi morem diſpoſitis.

In

'Αντίῤῥινον, quod vituli nares repræſentet. Κυνοκεφάλιον à fructus fere forma, CAPUT vel NASUS VITULI, OS LEONIS, à floribus rictum Vitulini & Leonini oris æmulantibus. ORANTIUM, Löwenmaul / Orant/ Dorant/ Brackenhaupt/ Kalbsnaſe/ Sterckkrauth / MUFFLE DE VEAU.

Eſt plantæ genus flore monopetalo, anomalo, tubulato, perſonato, in duo labia diſtincto, quorum ſuperius bifidum eſt, inferius tripartitum: ex calyce autem ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam calvariæ ſuillæ æmulam, (nempe ſinciput, orbitas & os exhibere videtur) ſepto intermedio in duo loculamenta diviſam, & ſeminibus fœtam utplurimum exiguis.

Plures equidem ſpecies ſunt Antirrhini, florum colore utplurimum variantes, & promiſcue in uſum trahi poſſunt, principaliores tamen hæ ſunt.

Antirrhinum vulgare. I. B. 3. 462. Antirrhinum majus alterum folio longiore. C. B. Pin, 211. Antirrhinum. Dod. Pempt. 182.

Antirrhinum majus alterum folio longiore, flore ex candido dilute purpuraſcente. C. B. Pin. 211.

Antirrhinum arvenſe majus. C. B. Pin. 212. Antirrhinum angu-

ſtifolium

ſtifolium ſylveſtre. I. B. 3. 464. Antirrhinum ſylveſtre, Phyteuma. Dod. Pempt. 182.

Præter ultimam ſpeciem, quæ in quibusdam hinc inde locis etiam Germaniæ ſabuloſis præſertim arvis & collibus, reperitur, reliquæ coluntur in hortis. Floret Junio ſeqq.

In uſu licet rariori eſt herba integra, folia cum floribus. A mulierculis contra ſpectra incantationes, veneficia, tam præſervandi quam curandi intentione uſurpatur, appenſione, fumigatione, ſuppoſitione, appoſitione, balneatione.

APARINE.

Sunt folia Aparines vulgaris, C. B. Pin. ſena, Rubiæ modo, ſtellæ inſtar radiata, ſingulis geniculis circumnaſcentia aſpera in ſpirulam deſinentia.

Ἀπαρίνη, φιλάνθρωπον, φιλάδελφον, quaſi hominis amica, quod veſtitui ejus adhæreat. ASPERULA quibusdam audit, & LAPPAGO ASPERA, Klebkrauth/ Nabelſaamen/ GRATTERON, REBLE.

Eſt plantæ genus flore campaniformi, patente & multifido, cujus calyx deinde abit in fructum ſiccum, cortice tenui obductum, ex gemellis globulis conſtantem, ſemine fœtis umbilicato. His notis addenda ſunt folia aſpera, aut villoſa, verticillatim ad caulium nodos naſcentia, quina vel plura. Aparine dignoſcitur à Rubia fructu ſicco, à Cruciata foliis quinis vel pluribus, à Gallio foliis aſperis & villoſis.

Aparine vulgaris. C. B. Pin. 334. Aparine. I. B. 3. 713. & Dod. Pempt. 353.

Ubivis fere obvia eſt prope ſepes, ſcrobes, inter ſentes, in agris, in campis ſylvisque.

AURICULA

Aparine equidem in uſum medicum non multum venit, interim ſubtiles poſſidens partes attenuat, aperit, abſtergit diſcutit.

diſcutit. Obſtructionibus Hepatis, Lienis, atque Renum medetur. Calculoſis prodeſt. Tanquam ſubadſtringens commendatur quoque in fluxibus alvinis. Externe hæmorrhagias ſedat. Succus vulnera glutinat, prodeſt ad papillarum rimas, ſtrumas quoque diſcutere fertur. Sunt tandem, qui virtutem alexipharmacam huic plantæ tribuunt, adeoque in febribus continuis atque malignis commendant.

AURICULA URSI.

Sunt folia Auriculæ Urſi, Offic. palmaria, fere ſextante latiora, craſſa, per extremum rotunda, modo leviter ſerrata, modo minime, ſapore nonnihil amaro.

Folia

AURICULA URSI à ſimilitudine, SANICULA ALPINA, Bär-Sanickel/ Bäröhrlein/ Berg-Schlüſſelblümblen/ Auricklen/ OREILLE D'OURS.

Eſt plantæ genus flore monopetalo infundibuliformi & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum globoſum, ipſo calyce partim involutum, apice dehiſcentem, & plurimis ſeminibus fœtum placentæ affixis. Auriculæ urſi ſpecies antequam floreant, vulgo dignoſcuntur foliis craſſis denſis glabris, primulæ veris foliis minoribus, plerumque è ſubrotundo in acumen deſinentibus.

E pluribus ſpeciebus hic potiſſimum intelliguntur ſequentes.

Auricula Urſi flore luteo, I. B. 3. 499. Auricula urſi lutea. H. L. Bat. Sanicula Alpina lutea. C. B. Pin. 242. Aliſma ſive Damaſonium Dioſcoridis. Column. Phytobot. 18.

Auricula urſi flore purpureo. Lob. Icon. 570. Sanicula Alpina purpurea. C. B. Pin. 242. Auricula urſi ſive primula veris Alpina flore rubente. I. B. 3. 851.

Auricula urſi alba. I. B. 3. App. 853. Sanicula Alpina alba foliis non crenatis. C. B. Pin. 243. Auricula urſi vj. Cluſ. Hiſt. 304.

Reperiuntur ſponte naſcentes in Alpibus Helvetiæ, Carinthiæ &c. Coluntur in hortis, florent vere.

MUNTINGUIS

Folia lento ac temperato abundant ſucco eoque glutinante. Virtute gaudent traumatica, tum interne tum externe uſurpata; adſtringunt, detergent & conſolidant ulcera pulmonum aliorumque viſcerum. Succus conducit in ulceribus ſordidis, in unguentis & emplaſtris adhibetur ad hernias. Succus florum dicitur maculas cutis delere eamque nitidam reddere.

BRITANNICA.

Sunt Britannicæ antiquorum veræ folia, Lapathorum omnium longiſſima, juxta ſe poſita, non tamen arcte juncta, ſed ſeparatim ſurſum ſemper vergentia, ſesquipedem aut duos pedes longa, tres aut quatuor digitos lata, in medio latiſſima & in mucronem acutum tandem deſinentia, colore ſuperius ſaturo viridi & quaſi purpureo nigricante obducta, vel è cæruleo atro virente triſtia & non fulgentia, ab altera vero parte pallidiora, unica in medio majori vena e qua plurimæ minores aliæ tenerrimæ colore pallido virides recta primo linea in latera excurrentes, deinde circa ea ſemicirculariter quaſi coeuntes proveniunt exornata, ſubſtantia craſſiuſcula, tactu duriuſcula, natura denſa conſtipata, & firma, marginibus interdum, præſertim, quæ cauli annexa, cæteriſque minora viſuntur, parum criſpis prædita, rectoque caule modice longo, craſſo, ſuperiore parte plano, inferiore vero rotundo ac ſtriis variis parumper eminentibus, nec non juxta terram colore rubido ſæpius obſito, innitentia, atque ore maſticata valde adſtringentia, nec non ex parte acida, cum dulcedine in amarorem vergente.

Folia

MUNTINGIUS, qui peculiarem DE VERA HERBA BRITANNICA reperta tractatum edidit, nomen Britannicæ Friſicæ originis eſſe probare nititur, neque enim à Britannia Inſula, cui ut propinquæ eam dicavere Friſii, denominationem ſumſiſſe (ut conjectatur PLINIUS) veroſimile eſt. Brit Friſiis conſolidare, firmare, compingere ſignificat. Tan vero Deus eſt: porro Ica vel Hica idem quod ejectio valet: unde Britannica dicitur herba, quæ firmat & conſolidat dentes vacillantes, vel medetur morbo dentes excutienti.

Ad Lapathum a prædicto authore refertur, & vocatur.

Lapathum longifolium nigrum paluſtre, ſive Britannica antiquorum vera vel Hydrolapathum nigrum Muntingii.

Hanc plantam veteribus quidem notam, verum à tot retro ſeculis, mortalibus rurſus incognitam, quamvis pedibus ſæpius conculcatam, ſe rurſus anno 1672. detexiſſe, Friſiæ, Hollandiæ, Geldriæ & Tranſiſalaniæ humidis locis & paludoſis & tanquam ex orco revocaſſe gloriatur prædictus Muntingius. Floret ſub exitum menſis Junii aut Julii initium.

CALCEOLUS

Folia hæcce gaudent virtute adſtringendi, humidarum atque aliarum etiam partium ulcerationibus opitulantur, nec non nervoſa membra confirmant, quæ putridis ac acribus humoribus fluxu infirmantur. Vulnera exſiccant & conglutinant, oris fauciumque malis ſubveniunt, ibique ac aliis in corporis membris putreſcentia ſanant, ſerpentia coercent, nervos atque oſſa corroborant, humores ſuperfluos abſcindunt, anginas curant vel prægustata præſervant. Propter adſtrictionem & refrigerandi vim omnia putreſcentia, ut Eryſipelata tam ulcerata, quam integra, Erpetes, Phagædœnica, gangrænas & cætera inhibet & ſanat hæc planta: Undecunque fluentem ſanguinem ſimul & menſes ſiſtit: diſſolutionem, Hypochymatis, in jecinore Liene & renibus, gingivarum omniumque adenoſarum partium cogit, tollit, ac integræ unioni reſtituit, unde ſanguificam vim caloremque

naturalem reparat atque reſtaurat. Nervis eorumque incommodis, ruptis, vulſis, contractis, tremulis, ſpasmo, paralyſi, febrilibus æſtubus, nec non rigoribus medetur: Venena & ſerpentes abigit ác ictus eorum ſanat, quare jure inter alexipharmaca numeratur. Omnes anginæ ſpecies, uvulæ relaxationem, pariſchenia, ſimiliaque oris, faucium, nec non ventriculi mala adſtrictione egentia, ac apoſtemata tumores & ulcera probe depellit variaque rheumata aufert Latentium-porro cauſarum morbos, Stomacacem ſcilicet & Scelotirben cruraque ulcerata curat. Folia hæc præterea per ſe etiamnum manſa ſitim levant, concoctionem adjuvant, nimios ſtomachi ardores tollunt, animam exhilarant, corpus totum corroborant & urinam provocant. Recens ſuccus foliis extractus cum ſaccharo ex vino albo ad viſcera omnia corroboranda nec non ſuperpurgationem plane tollendam, intro aſſumitur. Ex Britannica ejusque omnibus partibus alvi fluxus ſiſtitur vel ſine aliis aut cum vino albo vel ſimili liquore, niſi per accidens laxetur. Succus ulceribus inungitur unguenti inſtar, ita & vulneribus & ſanguinis profluvio opitulatur. Idem ſuccus ad oris fauciumque inflammationes madoresve nimios gargarizatur. Folia imponuntur ulceratis, partibus per horas duodecim viridia, renovanturque alia. Succus quoque caniculari ſole induratus aut igne inſpiſſatus inungitur. Notandum etiam, quod folia hæc, ut & ſuccus quandoque alvi dejectionem propter adſtrictionem ex accidenti moliantur. Similibus quoque virtutibus gaudere flores & ſemina aſſerunt. Frequentius tamen folia & radix, de qua ſuperius actum, in uſum cedunt. Poſſumus uti foliis ex aceto & oleo, vel eorum pulvere etiam decocto ex vino cum ſaccharo vel melle, vel ex ſero lactis vel ex ptiſana aut aqua & aceto, febris præſertim cum adeſt. Flos per ſe vel aceti beneficio ſumitur. Semen ex vino utplurimum capitur. Varias

exinde

exinde remediorum ſpecies, Syrupum, extractum, Spiritum unguenta &c. docet parare MUNTINGIUS, ex quo ſequentes adhuc formulas apponere lubet.

℞. Herbarum Britannicæ man. jv. Saniculæ, Pyrolæ, Verbenæ, Conſolidæ majoris, Betonicæ, Alchimillæ, Chelidonii majoris, Agrimoniæ, Rorismarini ana man. j. Vincæ pervincæ man. ß. Radicum Britannicæ ℥ij. Tormentillæ, Zedoariæ ana ℥j. Oculorum Cancri ℥ß. Mumiæ, Galangæ minoris ana ʒj. florum Britannicæ pugilla tria, Verbaſci, Hyperici, Centaurii minoris ana pug. ij. Incidenda incidantur, contundenda contundantur & macerentur per noctem in Vini albi optimi libr. 6. Mane in duplici vaſe coquantur lento igne ad tertiæ partis conſumptionem. Doſis unciæ tres ſunt mane jejuno ſtomacho, vel ſi res poſcat, veſperi quoque ſumendæ. Eſt potio Britannicæ vulneraria univerſalis: hoc eſt omnibus tam internis, quam externis vulneribus, enſe, cultro, vel ictu ſclopetario, infixis conducens, atque in fractis oſſibus, ulceribus malignis etiam Phagædenicis, Hernia & fiſtulis præſtantiſſima.

℞. Herbarum Britannicæ man. jv. Pyrolæ, Conſolidæ majoris, Saponariæ ana man. ij. Radicum Ariſtolochiæ, Calami aromatici, Mumiæ ana ℥j. Spermatis Ceti ʒj. Vini quantum ſatis, Mſc. fiat decoctum lege artis.

CALCEOLUS.

Sunt folia Calceoli Mariani Dod. Helleborinis foliis affinia, venoſa, ſubhirſuta.

De

CALCEOLUS ob figuram floris, Marienſchuch / Pfaffenſchuch / wilde Endlein / SOULIER DE NOTRE DAME.
Eſt planta flore polypetalo anomalo, ſex petalis diſſimilibus conſtante

ſtante quorum quatuor crucis ad inſtar poſita ſunt, cætera duo meditullium tenent. Petalum ſcilicet bifidum petalo incumbit turgeſcenti concavo, lignei calcei æmulo. Calyx abit deinde in fructum, ſeu utriculum, tribus feneſtris pervium, quibus adhæreſcunt valvæ ſeminibus fœtæ minutiſſimis ad inſtar ſcobis.

Calceolus Marianus. Dod. Pempt. 180. Helleborine flore rotundo ſive Calceolus. C. B. Pin. 187. Damaſonii ſpecies quibusdam ſive Calceolus. D. Mariæ. I B. 3. 518.

In montibus locis ſylvoſis reperitur. Floret Majo & Junio.

De virtutibus Calceoli ita loquitur J. BAUHINUS, Vulnerariam herbam eſſe plagasque recenter illatas ſanare ajunt non pauci.

CAPRIFOLIUM.

Sunt folia Caprifolii Germanici Dod. longiuſcula & acuta, mollia, dilute virentia, inferiore tantum parte magis incaneſcentia, vel etiam ſunt folia Caprifolii Italici Dod. pene glauca rotundiora à viticulis trajecta pertuſave ſuperiore autem parte acetabuli inſtar modice concava, ſapore ſubacri.

Folia

LILIUM CAPRINUM, quod Capra illud depereant, περικλύμενον, PERICLYMENUM, quod ſe adminiculis quibuscunque circumvolvat. LILIUM INTER SPINAS dicitur, quoniam inter ſpinas in ſepibus naſcitur. Geißblatt/ Geißlilien/ Waldlilien/ Speckliien/ Hanenfuß/ quoniam folia & flores ſunt pingues. CHEVREFEUILLE.

Eſt plantæ ſive fruticis genus flore monopetalo, calyci inſidente, in orbem poſito tubulato, in duo labia dehiſcente, quorum ſuperius multifidum inferius plerumque linguiforme: calyx autem deinde abit in fructum mollem, ſeu baccam, ſemine fœtam compreſſo & ſubrotundo.

Capri-

Capriſolium Germanicum. Dod. Pempt. 411. Periclymenum non perfoliatum Germanicum, C. B. Pin. 302. Periclymenum non perfoliatum, I. B. 2. 104.

&

Capriſolium Italicum. Dod. Pempt. 411. Periclymenum perfoliatum. C. B. Pin 302. Periclymenum perfoliatum. I. B. 2. 104.

Naſcitur in ſylvis & ſenticetis & fruticibus & in nonnullis arbuſtis. Vere folia exeunt, floret Majo, Junio &c.

Folia inſipida & nonnihil ſtiptica, cimices quadantenus olentia, uſurpantur ad ulcera & inflammationes oris & faucium in gargariſmate. Contuſa ulceribus cancroſis applicantur. Succus quoque expreſſus ad ulcera vulnera capitis & cranii laudatur, item ad Lentigines & maculas cutis delendas. Interne urinam movent, ſed fortiſſime, uſurpata in decocto.

CORONOPUS.

Sunt Coronopi hortenſis, C. B. Pin. folia longa, anguſta, hirſuta, nervoſa in lacinias aliquot laterales ceu Cervini cornu ramos diviſa, ſapore nonnihil adſtringente.

In

Κορωνόπους ἀπὸ τοῦ κόρακος καὶ ποδὸς quaſi dicam pedem Cornicis. HERBA STELLA, quia folia humi ita ſparſa procumbunt, ut ſtellæ effigiem fere repræſentent. CORNU vero CERVINUM nominatur, quia folia ramoſa ſunt & Cornu Cervi ſimilia. SANGUINARIA dicitur à virtute, Kräen oder Rappenfuß. CORNE DE CERÆ.

Eſt planta floribus & fructibus plantaginis, à qua differt foliis in profundas partes diſſectis. Plantaginis enim folia vel inciſuris carent, vel plane denticulata ſunt.

Coronopus hortenſis. C. B. Pin. 190. Coronopus ſive Cornu Cervinum vulgo ſpica Plantaginis. I. B. 3. 509. Herba Stella, ſive Cornu Cervinum. Dod. Pempt. 109.

In uſu ſola folia. Recipitur nempe Coronopus, ut docet SEBIZIUS, inter acetaria & cruda manditur. Adſtringit, refrigerat, ſiccat & viribus plantaginem æmulatur. Prodeſt nephriticis in olere aut cibo ſumptus. Debiliores renes roborat fervoremque illorum contemperat, & cruentæ mictioni, quæ ſauciatorum renum cauſa excitata, medetur.

CHRYSOSPLENIUM.

Sunt folia Saxifragæ aureæ Dod. figura terreſtris hederæ minora interdum majora; præſertim poſtquam defloruit, rotundiora, ſucculenta, in ambitu laciniata utrinque hirſuta, ſuprema tamen ſunt & minora & utrinque glabra, guſtu ſubacido & amaricante ſtypticoque.

Chrysosplenium quaſi diceretur planta aurea ſpleni utilis. Hepatica Aurea Saxifraga Aurea à virtutibus. Guldenſteinbrech/ Butterblumen/ Rompt Pierre, Saxifrage Dorée.

Eſt planta flore monopetalo rotato, muldifido & calycis experte, ex cujus centro ſurgit piſtillum, quod deinde abit in capſulam membranaceam, bicornem, bivalvem, ſeminibus fœtam utplurimum exiguis.

Chryſosplenium foliis amplioribus auriculatis. Tourn. I. R. H. cl. 2. s. 6. g. 5. Saxifraga rotundifolia aurea. C. B. Pin. 309. Saxifraga aurea Dodonæi. J. B. 3. 707. Saxifraga aurea. Dod. Pempt. 316.

Humidis, umbroſis, paluſtribus, riguis muſcoſisque locis obſervatur. Floret Aprili aureo flore.

In uſum veniunt folia, quæ ſubadſtringunt atque abſtergunt, ad hepatis & Lienis obſtructiones reſerandas faciunt. Laudantur in calculo &c.

ECHIUM.

ECHIUM.

Sunt folia Echii vulgaris, C. B. Pin. aſpera, hirſuta, oblonga, anguſta, fatua.

ECHIUM dicitur à voce græca ἔχις vipera non tantum propter ſeminis formam, ſed quod demorſis à vipera auxiliari exiſtimetur. BUGLOSSUM AGRESTE vel SYLVESTRE. Wild Ochſenzung/ Echium/ Natterkrauth/ VIPERINE.

Eſt planta flore monopetalo infundibuliformi, nonnihil inflexo, cujus margo ſuperior longius excurrit quam inferior. Ex calyce autem ad baſin usque utplurimum ſecto ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, & quatuor veluti ſtipatum embryonibus, qui deinde abeunt in totidem ſemina viperini capitis æmula, quæ in calyce ipſo longe ampliato matureſcunt.

Echium vulgare. C. B. Pin. 254. I. B. 3. 586. Echium. Dod. Pempt. 631.

In campeſtribus, agris incultis, inter ſegetes, locis item apricis tota æſtate floriferum eſt atque luxuriat.

A floris

Principiis ſuis ad Bugloſſum accedit hæc planta, una cum ſuis floſculis pulchre cæruleis. Humectat, emollit, acrimoniam ſanguinis demulcet, ſanguinem purificat, vimque obtinet pectoralem. Ad lethalium ferarum, imprimis ſerpentum & Viperarum morſus Echium potum & impoſitum celebratur, quæ vis etiam ſemini tribuitur. Sed non inepte monet LEMERY, nimiam fidem huic virtuti non eſſe tribuendam.

GLOBULARIA.

Sunt folia quæ ad magnam partem Bellidis foliis proxima,

 ſoli-

ſolidiora, glabra, nervoſa, guſtu amara, cum floribus cæruleis.

A floris pulcherrime glomerati figura Globulariam dixerunt, blaue Maßlieben/ Globulaire.

Eſt planta flore floſculoſo, plurimis ſcilicet floſculis conſtante unilabiatis, multiſciſſis & calyce proprio comprehenſis, è cujus fundo ſurgit piſtillum, floſculi parti inferiori ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in ſemen. in capſula, quæ floſculi calyx fuit, reconditum. Capſulæ autem illæ inſident placentæ, quæ meditullium occupat calyſis communis.

Globularia vulgaris. Tourn I. R. H. cl. 12. s. 5. g. 3. Bellis cærulea caule folioſo. C. B. Pin. 262. Aphyllanthes Anguillaræ, ſive Globularia Bellidi ſimilis. I. B. 3. 13. Bellis cærulea Globularia Monſpelienſium. Advers. 199.

Hinc inde occurrit. floret vere & æſtate.

Planta eſt vulneraria, detergens atque reſolvens.

JACEA NIGRA.

Sunt folia Jaceæ nigræ Tab. nonnihil laciniata, præ virore nigricantia, lanugine cana reſperſa, ſaporis non omnino ingrati, ſubdulcis cum adſtrictione, & flores è ſquammoſo capite Cyani fere vulgaris pleniores, colore purpuraſcente.

In

Ἀφυλλάντες, Aphyllantes, Jacea Nigra ab herbæ colore, Sanicula ad Rupturas, Sanicula Rupturarum, ſchwartz Flockblumen/ Bruch-Sanickel.

Eſt plantæ genus flore floſculoſo, plurimis ſcilicet floſculis conſtante multifidis; embryoni inſidentibus & calyce ſquamoſo non aculeato comprehenſis. Embryo autem abit deinde in ſemen pappis inſtructum.

Jacea

Jacea nigra pratenſis latifolia. C. B. Pin. 271. Jacea nigra vulgaris capitata & ſquamata. I. B. 3. 27. Jacea nigra. Tab. Ic. 152.

Juxta ſepimenta agrorum, locis herboſis, negligentius cultis occurrit Junio, Julio, Auguſto floret.

In uſum venit herba cum flore. Analyſi Chymica exhibet materiam plurimo ſale acri onuſtam. Concordat viribus fere cum Scabioſa. Herba eſt vulneraria, ad quoscunque affectus internos & rupturas laudatur. Commendatur ad faucium tonſillarum uvulæque tumores, ut & ad herniam. Immiſceri poteſt gargarismatibus.

LONCHITIS.

Sunt folia Lonchitidis áſperæ, C. B. Pin. ad Polypodii faciem accedentia, ſpithameæ longitudinis, utrinque diſparibus inciſuris diſſecta, tenuibus aculeatisque denticulis ſerrata, & ubique áſpera.

Λογχῖτις, λογχῖτις τραχεῖα, LANCEOLARIS, ASPLENIUM SYLVESTRE quorumdam, Spicant/groß Milzfarn/ LONCHITE.

Lonchitis eſt plantæ genus foliis filicis f[illegible]orum æmulis, à quibus tamen differt pinnulis ad exortum auritis.

Lonchitis aſpera. C. B. Pin. 359. Lonchitis altera cum foliis denticulatis ſive Lonchitis altera Matthioli. I. B. 3. 744. Lonchitis aſpera major. Matth. 922.

In montibus altis aſperisque occurrit.

Stupam

Lonchitis, ut docet SCHWENCKFELDT, ſplenetica eſt. Ex aceto Lienes induratos ſanat. Vulneribus mirum in modum prodeſt. Ea namque glutinat & inflammationes in eis excitari non patitur. Uſurpari poteſt & herba & radix.

MOXA.

Moxa lanugo eſt ſive ſtupa mollicula, coloris cinerei, concipiendo igni aptiſſima, eoque admiſſo moderate gliſcens, ſcintilla minus conſpicua, ardore temperato, progreſſu lento, donec in favillam tota depaſta ſit.

Non

Stupam hanc virtute àc vetuſtate præſtantiſſimam ſub communi appellatione Moxæ, non modo Sina domeſticam habet, ſed omnes Sinenſium literis & doctrina eruditæ nationes, Japonii, Coræenſes, Quinamenſes, Luconienſes, Formoſani, Coccincinenſes, Tunkinenſes, jam olim pro cauteriis ſub eodem nomine adoptarunt, uti teſtatur KÆMPFFERUS in Amoenitatibus Exoticis, ubi hiſtoriam Moxæ ſequentem tradit.

Conficitur Moxa ex Artemisiæ Vulgaris (latifoliæ) adhucdum novellæ foliis exſiccatis, longo tempore in aere ſuſpenſis & obſoletis. Colligitur vero ad Moxam eliciendam Artemiſia non omni promiſcue tempore, ſed iis tantum diebus, quibus ex Aſtrologorum ratiocinio cæli benignitas eandem aſtrorum virtute quam maxime fœcundavit. Incidunt autem iſti dies in Calendarii Gregoriani menſem Junium, raro in exitum Maji. Exſcindenda eſt multo mane, rore nocturno madens, & ad faciem domus occidentalem libero aëre ſuſpendenda diu, dum ſatis exſicata fuerit; ſic ſervanda eſt in ſummo pavimento & lanugo ex ea nobilior & tenerior ſperanda, quo magis obſoleverit; unde non deſunt, qui herbam ad decennium usque reſervandam curant. Præparatio Moxæ nullo artificio abſolvitur. Tunduntur primum impigro piſtillo folia, ad mollitiem rudioris ſtupæ, deinde utraque manu agitantur & fricantur aſſidue, ut priori contuſione jam attritis decedant duriores fibræ, & recrementa membranacea: quibus excuſſis remanet deſiderata illa, inſignis teneritatis homogenea & puriſſima lanugo, qua tenellam Regii nominis Artemiſiam præ cæteris herbis ditare natura ſtuduit.

Ophioglos-

Non eſt hujus lanuginis exuſtio ulla ex parte homini terribilis; nulla enim oculos incurrit ardentis elementi ſpecies, ſed gratioſus ſtupæ tantum gliſcentis halitus nares laceſſit, nec dolor valde moleſtat. Urunt indiſcriminatim infantes & ſenes, divites & plebejos, mares & fœminas, parcunt tantum gravidis illis, quæ uſtioni non admodum aſſuetæ ſunt. Uſtio autem Artemiſialis vel ad morborum præſervationem, vel ad curationem inſtituitur, ad præſervationem præprimis eam commendatam volunt Medici, & ſanos potius quam ægrotos uſtulandos jubent. Sicut enim, ajunt, materiam medicam morbi præſentis, ita futuri pharmacum eſſe cauterium. Qui igitur in extimo Oriente ſuæ valetudini proſpiciunt, ii uri ſe curant ſingulis ſemeſtribus. Ea conſuetudo adeo religioſe viget, ut etiam hominibus æviterno carcere damnatis prodire permiſſum ſit, ad moxiburii fruendi beneficium. Præſervativa uſtio turundis in eodem loco abſolvitur parvulis & paucioribus, curativa vero plures requirit, easque grandiculas, ſi vapores ex profundo latice evocandi ſunt.

In quibus vero morbis Uſtio locum habeat ſi quæris; reſpondebit Tibi Sina cum Japonia: in omnibus promiſcue, in quibus vapor detentus continui ſolutionem, dolores & actionis læſionem pariat: quo ipſo pene omnem morborum ſyllabum ad moxiburii rogum provocat, qui eos ardore ſuo, ipſo ſole ſucceſſum indies ſpectante, brevi mora exurit. Adverſus Arthritidem & ejus progeniem podagram ſchiaticamque, quid valeat Moxa, id non ita pridem coloni Batavi in Indiis exploraverunt. Frangit hic ignis impacta perioſtio Rhenani Tartari ſpicula, ac in Schiatica, cæterisque defluxionibus arthriticis ſtabulantem circa oſſium cava lympham acrem diſſipat, ſed largiore ſtupa, & mature ſatis illatus, priusquam flatu nimium expanſas membranas ac muſculos divul-

divulſerit; hoc enim diſcidio lacerata vaſa capillaria replent interſtitia effuſis humoribus & tragicos abſceſſus pariunt, nequaquam niſi ferri acie ſolvendos. Verum enim vero in calente cœlo, non æque feliciter in noſtro ſuccedit cauſtica curatio. In illo corpus eſt magis permeabile, fluidior eſt materia, pori ſunt patentiores laxiores muſculi ac membranæ. Adde Moxiburio dolores ſedari quidem, minime vero eradicari; ſedari autem eo loco, quo flagrante ſtupa, ſpicula evocata ſunt, vel ipſum perioſteum crematum eſt, ne ſentiat amplius, cum aliis partibus deinde dolores redeant. Nunquam redituros promittunt Brahmenes ſeu Indorum gentilium ſapientes Theologi ac Medici, ſi poſt uſtionem, ex præſcripto eorum, omnis potus, fermentationis beneficio productus (quales ſunt vinum, cereviſia & inebriantes ſpiritus) ſimul atque omnis generis carnes, ex menſis ad Anticyras relegentur. Hæc enim novas ſuppeditare ajunt cruditátes quæ cum ſanguinis motu ad crura prolapſæ in perioſtio hoſpitium repetant. In epilepſia & chronicis quibusvis affectibus capitis, vicini Nigritæ magis quam ipſi Sinenſes à Moxa ſolatium repetunt, totam ſuturam coronalem longa & larga ſtupa exurentes, unde ſanitas aliquando reparatur à Medicis deſperata.

De loco autem proprio, qui ſingulis in morbis, ſive curandis, ſive præcavendis, inuri debeat, multum inter pyroſophicæ Chirurgiæ Doctores controvertitur, ſuperſtitioſe ſæpe & in vanum. Nam cum unusquisque experientia, quod ait, ſua vel magiſtri fretus, loca alia atque alia indicet, exigua pars corporis remanet, quæ non in eodem ſæpe affectu, collectis ſingulorum ſententiis inuſtioni pateat. A receptioribus tamen locis, quæ ab antiquitate tradita novit ac typis in tabella (qualem Kæmpfferus etiam apponit) rarenter vulgus digreditur. Major occurrit vanitas in electione

tempo-

temporis, quo hanc vel illam corporis partem, inurere ab aſtris permiſſum vel vetitum eſſe creditur. Omnem enim doctores ab uſtione diem & horam reſpuunt, qua partem alioqui ſalutariter in præſenti aliquo affectu inurendam, ſiderum ſpiritus, ut illi philoſophantur, impprægnaverit: adeo, ut, ſi quis ſingulorum interdictis morem geſſerit, urendi tempus raro inveniat. Cynoſura in locali electione ea eſt, ut loca illa urantur, per quæ comodiſſime vel evocari vapores, vel revelli materia peccans ab affecta parte valeat: illa vero uſtores ſibi ad unguem nota eſſe ajunt ex anteceſſorum traditis: dum ſuæ inſuper experientiæ fulcris glorioſe incedunt. Nullam, inquit prædictus Author, partem vidi Moxiburiis magis affligi quam dorſum, utrinque prope ſpinam ad lumbos usque. A Carnifice excoriata jurares terga antipodum & maxime Japonica, tot illa in utroque ſexu ſtigmata referunt, & profundas ulcerum cicatrices: ſed quæ opinione gentis, nihil derogant pulchritudini. In proclivi namque eſt præſertim Japonibus nudare thoracem, etiam leve opus aggredientibus, demiſſis ſcilicet tunicis, quo usque femori colligantur, ne eas exſors induſiorum natio, ſudore contaminet; ſic in utroque ſexu publicum in conſpectum cicatrices veniunt.

Ipſa uſtio citra artificioſam encheireſin hoc modo inſtituitur. Stupæ Artemiſialis portio exigua primoribus digitis rotatur in conum, cujus altitudo ſolet eſſe pene uncialis, latitudo baſeos paulo minor. Conus loco amburendo imponitur, ſaliva, ſi placet, ſub baſi illitus, quo adhæreat. Tum faſtigio ſcintilla infertur, ope bacilli ſive virgulæ cujusdam ardentis tenuiſſimæ. Illatus igniculus turundam brevi mora depaſcit, ſubinde inſtaurandus incendio novæ turundæ in eodem loco reponendæ, donec intentioni ſuæ vel artis præſcripto ſatisfactum judicaverit is, qui uſtionem dirigit vel

ipſe perficit. Virgulæ ardentes ſunt illæ ipſæ, quibus accenſis Pagani Monachi idolis litant, ſimulac in templis horas devotionis ſuæ metiuntur; parce enim gliſcunt, & tarde depaſcuntur, ſed odore, quem expirant, fragrantiſſimo. Conficiuntur ex mucoſo admodum cortice Lauri Japonicæ ſylveſtris, arborum, quas fert regio, vaſtiſſimæ. Huic cortici in pulverem contuſo permiſcentur lignum Agallochi, vel ejus reſinoſa & multo cariſſima particula Calambak, & pro elaboratoris cujusque placito, fragrantia quævis alia in pulverem pariter redacta. Mixtura hæc, addita aqua in pulpam ſpiſſam redigitur, & manibus diu ſatis ſubacta, vaſi inditur, multis foraminibus rotundis perforato, & ſuperpoſito pondere valide aggravatur: ſic per foramina ſubtus pervadunt bacilla, culmo avenaceo tenuiora, quæ aſſerculo ſubinde excipiuntur in umbra exſiccanda. Hæc bacilla deinde pro candelis fumantibus officinæ recipiunt. Verum hæc ignipotentis Chirurgiæ ſupervacanea ſunt ſupplementa, & ſaltem ad operationis ſplendorem, nihil ad rem ipſam faciunt. Sufficit, quod vulgus facit, accenſa feſtuca vel virgula quadam ignem intuliſſe. Ipſum vero artis negotium repoſitum eſt in notitia urendi loci, cuivis morbo convenienti. Illa vero, etiamſi ad evocationem vaporum (nam hæc ſola uſtoris intentio eſt) Europœo judicio aptiſſimus videatur, qui parti affectæ proximus eſt, plerumque tamen ab uſtoribus eligitur alienus, & ſæpe nullo nexu in Anatomia cognito, laboranti parti conſentiens, niſi communi involucro univerſi corporis. Uruntur cum ſucceſſu ſcapulæ in ſtomachi cruditatibus pro excitando appetitu. Uruntur ſpinales vertebræ, pro ſopiendis in pleura laterum compunctionibus; Uruntur pollicum adductores muſculi, pro levanda ejusdem lateris odontalgia.

Uſtionis regulæ ſunt & requiſita varia cum de loco cor-

poris

poris & urendi tempore, tum de numero ſtuparum, ſitu corporis, diæta patientis, atque aliis circumſtantiis. Inter prima & generalia præcepta ſunt, quæ ſequuntur. Tendines cum arteriis & venis quantum poſſibile eſt in urendo vitandi ſunt; ſecuritatis cauſa non viſu ſolum, ſed tactu prius ab uſtore explorandi. Quem quisque ſitum corporis tenet, dum urendus locus indigitatur, eum, dum uritur, ſervare debet, ſeu ſederit antea, ſeu ſteterit. Uſtulandus humi conſideat, reflexis in crucem pedibus admotisque palmis ad utriusque lateris malam; nam hic poſitus muſculos & interſtitia explicat, & nativo ſitui embryonis maxime reſpondet. Cruribus urendus ſedeat in ſubſellio, pedibus demiſſis & aquæ calidæ immerſis, quoniam exhalationes partibus à caloris fonte remotioribus arte promovendæ ſunt. Illi qui ſunt imbecillis naturæ, ſingulis in locis tantum tribus cauteriis urendi ſunt; robuſtiores vero ſtupis decem, viginti & pluribus pro conditione mali. An turundas plures diverſis locis ſimul, an alterne oporteat incendere, in nulla artis regula, ſed ſola tolerantia patientis & uſtoris otio definitur. Poſtridie à celebrata uſtione ac diebus proximis operator ſtigmata inſpiciat, quæ ni ſuppuraverint, ſed ſicca appareant, malum id judicet, & debilis naturæ indicium. Hoc caſu impoſitis cepis contuſis ſuppurationem promoveat. Hæc KÆMPFERUS αὐτόπτης. Longius foret illam urendi Tabulam ſinico Japonicam latine redditam hic enarrare, præſertim cum apud nos Europæos moxiburium non vigeat. Sunt, qui cum WEDELIO putant, noſtram Artemiſiam eodem modo præparari & ſimiliter uſtionem peragi poſſe. Id quod etiam libentius concedo, quam ut cum nonnullis credam, lino, goſſipio, aliisque ſtupis herbaceis craſſioribus, eundem effectum obtineri poſſe. Nam, ut bene monet KOENIG, ignes alios aliis eſſe molliores, adeoque in hunc uſum aliquam

nonnullorum prærogativam diffiteri omnino non poſſumus.

OPHIOGLOSSUM.

Eſt folium Ophiogloſſi vulgati, C. B. Pin. ſingulare Betæ parvæ quodammodo, pinguius tamen & carnoſum minimeque nervoſum, modo anguſtum & longiuſculum, modo latum & ſubrotundum, læve, erectum, ſapore dulciuſculo cum viſcoſitate & viroſitate aliqua.

OPHIOGLOSSO, ut I. B. loquitur, floris arguta cuſpis (aut potius fructus lingulatus) linguam ſerpentis exertam imitata nomen impertivit. Ὀφιόγλωσσον, φύλλον, FOLIUM, LINGUA SERPENTINA, LINGUA VIPERINA Natterzünglein / Schlangen-zünglein/ Einblatt/ rechter Wiederthon mit Zünglein/ LANGUE DE SERPENT.

Eſt planta floribus carens, fructu vero lingulato, in plures cellulas bino ordine per longitudinem diviſo, quibus ſponte diſruptis utrinque denticulatus fit. Seminis loco (inquit CAMERARIUS) ei tenuis quaſi pollen in linguæ inſectionibus, quibus per maturitatem dehiſcentibus excidit, ope microſcopii craſſior videtur.

In humidis ac paluſtribus pratis utplurimum provenit. Aprili vel demum menſe Majo prodit & ad usque Junium quandoque viget, paulo poſt tota marceſcit.

SCASIOSA

Vulneraria eſt planta inſignis, ſive interne in decoctis & potionibus vulnerariis, ſive externe inter balſama unguenta & emplaſtra vulneraria uſurpetur. Laudatur ad hernias præſertim infantum. Commendatur quoque ad alvi fluxus, fluorem album, hæmoptyſin &c.

Doſis eſt herbæ pulveriſatæ ad ℨj. ſuccus illitus, adverſus ictus

iſtus apum deprædicatur. Applicatur ambuſtis. Sunt qui ſingularem vim antipeſtiferam eidem tribuunt.

SALIX.

Sunt folia Salicis vulgaris albæ arboreſcentis oblonga, anguſta Oleæ ſimilia, ſuperne virentia, inferne candicantia, utrinque hirſuta, potiſſimum vero parte inferiore ac in extremitatibus virgarum ſupremarum, quandoque tamen glabra, interdum ſerrata, ſaporis amaricantis.

Folia hæc refrigerant, ſiccant & ſubadſtringunt citra morſum, ut SCHROEDERUS loquitur. Commendantur contra libidinem imprimis muliebrem arcendam, ad quam decoctum horum cum vino egregie valet. Imo, ut ETTMULLERUS dicit, per ſalicem non ſolum appetitus mulierculaſrum minuitur, ſed ſe poſſunt illa reddere omnino ſteriles, jejuno ventriculo aliquoties ſi adhibeatur; ſic contra furorem uterinum, item contrā nimiam ſalacitatem mulierum prodeſt, ſi primo vere ex ſalicis ſurculis tenellis ſauciatis aqua ſeu ſucſus colligatur, & deinde cum pane in placentulas formentur ac mulieribus propinentur, ſic melius coercetur libido, ut nunquam amplius æſtiment res venereas & ſteriles reddantur. His placentulis etiam pulvis Julorum Salicis, juxta modo dictum Authorem, addi poteſt. Foliis Salicis tribuitur inſuper virtus contra vomitum & Hæmorrhagias, Hæmoptyſin & nimium menſium fluxum. In pediluviis adhibentur ad inducendum ſomnum & arcendas vigilias. Commendantur ad podagram. Tumorem pedum diſſipant applicata. Ad Hecticam infantum laudantur balnea cum his foliis parata. Ad ulcera aurium deprædicatur ſuccus foliorum Salicis. Lanugo foliorum celebratur ad hæmorrhagias. Folia cum ramis in cubiculis ſtrata aërem infrigidant & febricitantium ardo-

res mitigant. Ad verrucas delendas folia recentiā aut eorumdem ſuccus adhibentur. Serum lactis capræ, quæ enutrita eſt foliis ſalicis, laudatur in arthritide & podagra. Quidam ex foliis aut turionibus aquam deſtillant, quam pro ſcopo antinephritico anthelmintico, partum facilitante ophthalmico & contra furfures capitis laudant. Juli uſurpantur contra hæmorrhagias. Aqua nucamentorum ſalicis cum ſaccharo roſato parata pro julapio in mictione cruenta & in nimio menſium fluore extollitur.

℞. Folior. Salic. fol. lactuc. flor. Nymph. alb. ana m. jv. Chamom. m. ij. Sal. comm. ciner. ana m. ij. Miſc. f. cum ſuff. qu. aquæ per decoctionem pediluvium in Agrypniis conducens.

SCABIOSA.

Sunt folia Scabioſæ pratenſis hirſutæ quæ officinarum, C. B. Pin. cana lanugine pubeſcentia, forma Valerianæ majoris, profundius ſubinde laciniata alias minus, ſapore ſubacri.

Sacbioſa

SCABIOSA dicitur vel a Scabritie, vel a ſcabie, quoniam ſummum ſit in hoc affectu remedium, ψώρα, PSORA, HERBA APOSTEMATICA, quia apoſtematibus medetur, Scabioſenkrauth/ Grindkrauth/ Apoſtemkrauth/ SCABIEUSE.

Eſt plantæ genus flore floſculoſo, plurimis ſcilicet floſculis inæqualibus conſtante, calyce communi comprehenſis. Horum autem alii, qui meditullium occupant, quadrifidi aut quinquefidi, cæteri ad oram poſiti bilabiati ſunt, ſinguli embryonis ſupremæ parti coronatæ inſident & calyce proprio comprehenduntur, qui deinde abit in capſulam vel ſimplicem, vel infundibuliformem, ſemine fœtam coronato, quod prius embryo fuit.

Scabioſa pratenſis hirſuta, quæ officinarum. C. B. Pin. 269. Scabioſa major, communior hirſuta folio laciniato. I. B. 3. 2. Scabioſa arvenſis ſive ſegetum, Tab. Icon. 159.

Creſcit

Creſcit in arvis, in ſegetibus planis & lectioribus paſſim obvia, floret æſtate.

IN

Scabioſa aliquid ſalis volatilis armoniacalis, parum acidi & olei fœtidi, terræ vero multum, omnia copioſo phlegmati mixta continet. Aperit, diſcutit, attenuat, abſtergit & ſubadſtringit; ſudorem movet & malignitatem per poros expellit. Particulas ſalinas acidas mitigat, abſceſſus pulmonum & pectoris ad maturitatem perducit, rumpit, mundificat & ad ſanationem juvat. In tuſſi & aſthmate humores tenaces & viſcidos incidit, & ad expectorationem promovet, ulcera mundificat, ſcabiem ſanat. In variolis quoque conducit, ut & in pleuritide. Virtute gaudet anthelmintica, & fluxum hæmorrhoidum ſedat. Decocta cum Theriaca ſeu Mithridatio in febribus peſtilentialibus, imo ipſa peſte, tum curative tum præſervative à quibusdam commendatur. Succus Scabioſæ laudatur adverſus vermem cordis, tremorem & palpitationem ejus inducente; Deprædicatur quoque ad hernias. Externe in ulceribus, ſcabie, pruritu, impetigine, achoribus, tinea capitis abſtergendis prodeſt. In bubonibus peſtilentialibus imponitur. Succus conducit ad verrucas delendas.

℞. Decoct. Scabioſ. ℥ij. ♁ ♀r. vol. ʒj. Syrup. ſcabios. ℥iß. Mſc pro aliquot doſibus in apoſtematibus & abſceſſibus viſcerum reſolvendis, maturandis, rumpendis & curandis imprimis in pleuritide ſuppurata & vomica pulmonum.

℞. Rad. Scabios. ℥j. Caryophyll. ℥ß. Vincetox. ʒij. herb. Scabioſ. mij. Veron. Agrimon. Sanic. ana mj. coqu. in Vin. menſ. ij. Aqu. menſ. j. per 4. horas in diplomate, poſtea cola & mane atque veſperi hauriantur aliquot unciæ. In fiſtulis, ulceribus præſertim carcinomatoſis.

℞. Rad. liquir. ʒij. Jujub. No. v. Caric. ping. n. iij. herb. ſcabioſ.

ſcabioſ. tuſſilag. ana mj. ſem. anis. ℨj. Coqu. in aqu. ℔vj. ad aliquot digitorum caſum. Edulcoretur ſi placet Saccharo, conducit in tuſſi & aſthmate, aliisque pulmonum affectibus.

℞. Succ. Scabios. ℥ij. ⚇ Laurin. ℥iß liquefiant & coquantur ad conſumptionem humiditatis, poſtmodum addendo ſulphuris & Lythargyr. pulv. ana ℨj. fiat unguentum conducibile in ſcabie.

℞. Herb. Scabioſ. Succis. Salv. Chæref. ana m. iij. Veron. Satur. Centaur. min. Rut. Pyrol. Sanic. Alchimil. Pilos. Agrimon. Card. Ben. Menth. criſp. Endiv. Hyſſop. Scolop fumar. puleg. quinquefol. fragar. meliſſ. Major. Roſm. ana mj. Rad. polyp. qu. Malv. Petros. Pimpin. ana ℥j. flor. Lavend. Chamom. Roman. Matris. Lilior. convall. ana m. j. ſtent. in intuſione vini Rhenani & Spiritus Vini ana p. æ. q. s. & digeſtione congrua interveniente l. a. deſtillentur. Eſt aqua Apoſtematica ELECTRICIS CUJUSDAM SAXONIÆ, in internis viſcerum apoſtematibus utilis.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Aqua Scabioſæ, ex integra planta, Scabioſen-Waſſer/ *Eau de Scabieuſe*, ad ſupra dictos affectus celebratur.

Syrupus Scabioſæ, Scabioſen-Syrup/ *Syrop de Scabieuſe*. Pectoralis eſt tuſſim ſublevat & in pleuritide conducit.

Huic

SUCCISA.

Sunt folia Succiſæ hirſutæ, C. B. Pin. oblonga, acuminata, Scabioſæ ſimilia, quanquam non diſſecta, ſed vel integra, vel paulum quid, præſertim quæ ſuperiorem obtinent locum, ſerrata, magis ſupra quam infra virentia, & hic quidem

dem pilis illic nullis prædita , extremis marginibus ruboris cujuſdam veſtigio tinctis , ignaviore ſapore quam radix.

Huic plantæ nomen dedit radix quaſi præmorſa , unde SUCCISA audit. Dicitur & MORSUS DIABOLI. Dicunt enim ſuperſtitioſi, quod Cacodæmon quidam hujus radicem magnæ efficaciæ ad multa utilem futuram invideat hominibus, ſuccidat atque circumrodat. Abbiß / Abbißkrauth / Teuffelsabbiß. REMORS , MORS DU DIABLE.

Eſt ſpecies Scabioſæ, nempe
Scabioſa folio integro hirſuto. Tourn. I. R. H. cl. 12. s. 5. g. 1. Succiſa hirſuta. C. B. Pin. 269. Succiſa ſive morſus Diaboli. I. B. 3. 11. & Dod. Pempt. 124

Creſcit in pratis ubivis, in campeſtribus & juxta arva , floret Julio, Auguſto, Septembri.

Τρίφυλλον

Folia amara ſunt & ſufficienter cæruleum mutant in rubrum. Concordat principiis hæc planta cum Scabioſa. Incidit, penetrat , ſudores movet , ſanguinem coagulatum & viſcoſum diſſolvit, pus abſtergit, virtute gaudet alexipharmaca & vulneraria. Laudatur in febribus malignis, pleuritide, peſte, lue venerea , caſu ab alto , abſceſſibus occultis,ut & convulſionibus epilepticis. Extus valet adverſus diuturniores tonſillarum fauciumque tumores, qui ad ſuppurationem ægre perveniunt , adhærentem faucibus pituitam abſtergit , digerit & diſcutit , tumoreſque earum partium cito tollit, decocto ſucciſæ in ore ſæpius retento & gargariſato , præſertim mellis roſacei exiguo addito In ulceribus malignis multum commendatur Succiſa: à SCHWENCKFELDT præſentaneum remedium ad maturandos carbunculos herba recens impoſita & ex vino pota dicitur. Succus utiliter additur gargariſmatibus in angina.

℞. Herb. Succis part. duas Scabioſ. Beton. part. j. deco-

que & in decocto colato diſſolve Rob. Dianucum, Diamoron ana ℥iß. Albi Græci pulver. ℥ß. fiat Gargariſma in affectibus faucium & tonſillarum.

℞. Herb. Succis. m. jv. Scabios. Beton. ana m. j. Albi græci ℥ß. Coqu. in aqu. q. s. Colatura edulcoretur cum melle pro gargariſmate in prædictis affectibus.

TRIFOLIUM.

Sunt folia Trifolii vulgaris pratenſis, C. B. Pin. terna nunc rotunda, nunc oblonga, interdum ſpiculatis lineis albis notata, nonnunquam obliquis candicantibus ſtriis virgata, cum floribus glomeratis modo rubentibus modo albis, odore non inſuavi, guſtu ſiccante.

De

Τρίφυλλον a numero foliorum. TRIFOLIUM PRATENSE. Klee/ Wieſenklee/ Dreyblatt/ TREFFLE.

Trifolium eſt plantæ genus flore papilionaceo vel papilonacei æmulo. Ex floris papilionacei calyce ſurgunt vexillum alæ & carina, ſimul cum piſtillo vagina ſua fimbriata obvoluto. Illud autem deinde abit in capſulam, in calyce ipſo reconditam & ſemine fœtam utplurimum reniformi per maturitatem arcte capſulæ adhærente. Ex floris papilionacei æmuli, qui monopetalos eſt, calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in capſulam membranaceam in calyce reconditam, ſemine fœtam utplurimum oblongo vel reniformi. His notis addenda ſunt folia terna, raro quaterna aut quina, eidem pediculo inſidentia.

Trifolium pratenſe flore monopetalo. Tourn. I. R. H. cl. 10. ſ. 4. g. 1. Trifolium pratenſe purpureum. C. B. Pin. 327. Trifolium purpureum vulgare. I. B. 2. 374. Trifolium pratenſe. Tabern. icon. 523.

Trifolium pratenſe album. C. B. Pin. 327. & Tabern. Icon 522. Trifolium pratenſe album a Fuchſio depictum, ſive mas. I. B. 2. 379.

Nuſpiam

Nuſpiam deeſt pratis & herbidis locis, præſertim iis, qui ſubinde fluviali aqua rigantur. Floret Aprili, Majo, Junio, ac reliqua deinde æſtatis maxima ſæpe numero parte.

De virtutibus Trifolii ita diſſerit JOH. BAUHINUS. Haud dubie mediocriter concoquendi & exſiccandi vim poſſidet, ut non temere quidam ex Herbariis tradant, Trifolia pratenſia albo muliebri profluvio mirifice conferre. Eadem etiam inflammationibus impoſita eas concoquunt & ad maturitatem perducunt. Semen & flores ex aqua mulſa aut vino decocti & ebibiti vel clyſtere injecti, inteſtinorum roſiones ac dolores ſedare dicuntur. Volunt nonnulli Trifolium purpureum comeſtum aut ebibitum menſes prohibere ; Album vero provocare. Paſcuntur herbam cum boves & jumenta, tum utiliſſime vituli & agnelli. Flores apibus grati ſunt. Sunt qui Trifolii pratenſis ſuccum miris laudibus efferunt ad oculorum nubeculas, albis quidem maculis in foliis notati ad albas, nigris autem ad nigras.

VITIS.

Sunt folia Vitis viniferæ , I. B. ampla, varie laciniata ut Ficus, alia majora profundius inciſa, quandoque ad pediculum usque in lacinias acutas diviſa; alia minora; alia tenuiora, alia craſſiora, alia viridia, alia rubentia, alia maculata, alia ad tactum duriora , alia molliora , alia lævia , alia ſubhirſuta.

Quando

Vitis derivatur non à vino, ſed a Viere, quod alligare, vincire & inflectere interpretantur. Alii vitem, quod vim habeat citius radicandi vitem vocatam eſſe autumant, ſunt etiam, quibus vitis quaſi vita dicitur, quod vinum ſit ingens vitæ bonum, cor exhilarans. Audit

 quoque

quoque MATER VINI, VITIS VINIFERA, VINEA. Græcis nuncupatur ἄμπελος quaſi ἔμπηλος; πῆλον enim vinum notat ἐκ τῦ πάλλειν καὶ σέειν τὰς φρένας, quod mentem vibret & concutiat ἄμπελος οἰνόφορος. Reben/ Räben/ Weinſtock. VIGNE.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, è quorum meditullio ſurgit piſtillum ſtaminibus ſtipatum, quibus flos rejici ſolet. Piſtillum autem abit in baccam mollem, carnoſam, ſucci plenam, quatuor plerumque ſeminibus ſeu gigartis foetam veluti Pyriformibus.

Vitis Vinifera. C. B. Pin. 299. & I. B. 2. 67.

Vitis alienæ opis fulcimentorum indiga, tortuoſa innititur ſtirpe, fuſco rimoſoque cortice hiulca, quæ ubi tepidiorem benignioris cæli auram ſenſit gemmas protrudit in pampinos abituras, virore læto ſplendentes, humo ſublata capreolorum beneficio, adminicula ſua complexa aſcendit, floſculorum ſuaveolentium quinque fibrillis herbidis, luteolos apices ſuſtinentibus compactilibus racemis, divitem Colono ſpem fructus excitat, uvarum magna ſaporum viriumque varietate, florem non in ſummo fructus habet, ſed in ſede, ac plura ſemina in communi receptaculo, brevi tempore ad magnam altitudinem ſuccreſcit, ut, niſi crebra amputatione coerceatur, multitudine viticularum ſylveſcat, folia fert ampla fere laciniata ut ficus, flores parvos & candidos ut olea, racemos ſuos granis onuſtos, uvas dictos.

Vitis innumeras fere ſpecies eſſe PLINIUS jam olim agnovit. Differunt enim vites inter ſe nunc ratione culturæ, unde VITIS alia ARBUSTIVA, quæ maritatur arboribus, Reb an Bäumen gezogen/ VITIS VIDUA quæ arbori maritata non eſt. Alia Vitis COMPLUVIATA PLINIO, quæ tecti in modum longe lateque fornicata, Reblaub weit und breit zerlegt/ alia PERGULANA, ein Reblaub/ Rebheld: alia JUGATA, CANTERIATA, quæ pedamentis canteriisque transverſa jugatur, Weinreb an einem Geheld mit Zwerchſtangen auffgericht/ alia PEDATA, STATUMINATA PLINIO, quæ palis & perticis firmata, geſtützte Reben; alia ORDINARIA, quæ ſeminata eſt æquali ordine in quincumcem fere diſpoſita, juxta COLUMELLAM, Reb nach Ordnung gepflantzet/ &c. nunc ratione variorum adjunctorum diſcrepant, unde vitis vel NOVELLA vel VETERANA vel LUXURIANS überflüßig ſchieſſende Reben/ vel LACHRYMANS trieffende oder weinende Reben/ vel SIDERATA verdorte Reben/

ben/ vel SAXATILIS Bergreben/ quas lætius creſcere, & meliores eſſe iis, quæ in planitie ſunt, vinitores perſuaſum habent &c. Nunc etiam variant pro diverſitate foliorum, nunc denique & quidem præcipue ratione uvarum. Vitis videlicet debito modo tractata ſub finem Veris floſculum ſuum odoris admodum ſuaveolentis in ſignum futuræ vindemiæ, (nam

Si bene floruerint ſegetes erit Area dives,
Si bene floruerit Vinea, Bacchus erit.)

poſteaquam emiſit, hunc excipiunt calore æſtivo maturandi fructus, de quibus ſupra actum fuit.

Partes vitis variæ ſunt, quas ſequentibus verbis exponit SEBIZIUS. Radices, ſtipites ſive trunci, cortices craſſi & rimoſi, qui illos inveſtiunt, ſarmenta ſive rami & veluti bracchia, longe lateque diffuſa, folia quæ & pampini vocantur, pediculi ſive petioli, flores, gemmæ ſive oculi, helices ſeu capreoli, quibus vicinis ſe innectit fulcris & adminiculis, eaque ceu manibus apprehendit, lachryma, quæ veris initio ex ſtipitibus exudat, palmites, matrix ſive medulla & uvæ ſive racemi, quorum partes ſimiliter multæ & de quibus ſuo loco dictum.

RADIX ori reſpondet in animalibus, ſuccum convenientem ex terræ viſceribus eliciens. TRUNCUS ea vitis pars eſt, quæ prima ſuccum à radicibus excipit, eumque coquit & ſarmentis communicat, totam quoque vitis molem ſuperiorem ſuſtinet.

CORTEX craſſus, multiplexque truncum ab externis aëris aliarumque rerum injuriis defendit. SARMENTA veluti bracchia ſunt, quibus vitis ſe dilatat atque expandit, & folia, capreolos, palmites ipſaſque Uvas geſtant. Vel virgulæ ſunt prælongæ, in quas vitis luxurians ſpargitur, h. e. vitis bracchiorum & caulium ligna tam, dum ſunt in ipſa vite, quam dum execta atque exempta. FOLIA ſive PAMPINI fructus tegunt, tuenturque adverſus aëris cœlique nocumenta. PEDICULI ſive PETIOLI id ſunt, à quo folia & racemi dependent. FLORES gaudia ſunt ſtirpium & prodromi futuri uvarum proventus. GEMMÆ ſive OCULI ex ſarmentorum articulis Veris initio erumpunt, ſuntque palmitum quaſi primordia. CAPREOLI ſive

HELICES

Helices coliculi ſunt bicornes & intorti, a capiendo forſitan dicti, quoniam perticas, quibus caduca Vitis fulcitur, apprehendunt & complectuntur, ne Vitis in terram feratur. Lachryma liquor eſt è caudicibus & ſarmentis vulneratis effluens, ſubinde inſtar gummi concreſcens. Palmites Vitis novella & ſucculenta germina ſunt vinoſi ſaporis. Uvæ fructus vitis ſunt.

Notandum autem obiter vocabula hæcce tria Sarmentum, Pampinum & Palmitem non eodem ſemper modo ab Authoribus uſurpari. Etenim ſarmenta juxta Feſtum ſunt virgulæ ſupervacuæ à vite abſciſſæ, græcis κληματίδες, die unnütze oder überflüſſige abgehauene Reb-Zweig oder Schoß/ quæ in ignem conjiciuntur. Frequentiſſime vero ſarmenta accipiuntur pro flagellis adhuc in vite hærentibus ſive frugifera ſint ſive ſterilia uti Columella habet. Pampini proprie folia vitis ſunt, fructum foventia & ab æſtus injuria vindicantia, das Reb-laub/ Räbblätter. Hinc verbum pampinare, quod eſt folia vitis decerpere, ſeu, ut Columella loquitur, acumina defringere, ut Cato habet, coles enatos è ſarmento tollere & frondium auferre luxuriem das Räblaub abbrechen. Aliquando ſumuntur pro ramis folioſis à palmite exeuntibus. Palmites ſimiliter variis modis uſurpantur. 1. pro flagellis vitis. 2. pro pampinis. 3. pro reſiduis vitis virgulis, quæ poſt reſectionem luxuriantium remanſerunt, ſeynd die übrige Gerten an den beſchnittenen Weinräben/ quæ variæ ſunt v. g. palmites fructuarii ſive racemarii fruchtbahre Weingerten/ orbi, qui nihil pariunt blinde Räben ohne Räbaugen; pampinarii, qui primo anno frondem ſine fructu fundunt, Räbgerten ohne Trauben/ tragen Blätter aber kein Frucht. 4. pro novellis & ſucci plenis vitis germinibus, quæ vulgus forſan latino vocabulo corrupto, Pamplen/ Galli Pampres vocant. Matrix eſt quod in medio ligni continetur. Vocatur à nonnullis Cor ab aliis Medulla. Præter partes enumeratas tradunt ruſticæ rei ſcriptores etiam alias, quæ tamen revera aliæ non ſunt: ut eſt Viviradix Plinii, nempe vitis, quæ cum radice terræ comittitur, Setzling oder Weingert mit der Wurtzel geſetzt. Tradux & Rumpus Varronis, propago vitis ab arbore in arborem traducta ſeu bracchium, quo Vites ex arbore in arborem traducuntur & ſibi mutuo connectuntur lange Rebgerten/ die man über ſich von einem Baum zu dem andern ziehet. Varro traduces iſtos etiam pedamenta Vitium nativa appellat. Resex Columellæ ſarmentum eſt annoti-

num,

num, quod putatur, ut fructum ferat. Vocatur ab eodem etiam palmes ſubſidiarius & præſidiarius: à VARONNE PALMES VINARIUS & CUSTOS: eine geſchnittene Gerten / ſo man an der Reb laſſet ſtehen.

IN

Quando amputantur vitis palmites, liquor trunco exſudat, quem LACHYMAS VITIS, SUCCUM & AQUAM VITIS, Rebenwaſſer / Rebenthränen / Rebenbluth / Larmes de Vigne appellant. Eſt, ut ETTMULLERI verbis utamur, ſimpliciſſima & defæcatiſſima aqua, pauca ſubſtantia gummea nonnihil acida imprægnata. Lachrymæ hæ multum habent in receſſu, quia primum quaſi ens vitis revera ſunt, unde optandum, ut in foro Medico frequentius in uſum venirent: Jam enim expertus ſum (inquit prædictus Author) quantum valeant, uſu interno in febribus malignis, purpuratis etiam puerperarum; unde in febribus ardentibus frequentius uſurpari deberent additis tamen etiam appropriatis aliis. Qui phlogoſes patiuntur liquorem hunc uſurpare poſſunt; habet quoque ſingularem vim nephriticam & diureticam atque renum abſterſivam; ſingulare quid obtinet maſſam ſanguineam in debita & bona craſi conſervandi. Externe in oculorum affectibus hic liquor Vitis, ubi eorum abſterſione & clarificatione viſus opus eſt, conducit, quia ob blandiſſimum & volatile acidum ſuaviter hæc aqua purificat & abſtergit maculas, nebulas tollit, & obſcuritatem viſus corrigit. Notetur tamen, quod in ophthalmia non proſit propter aciditatem, ſed ſaltem ad nebulas & maculas. Quin & humor aqueus liquore hoc reſtitui poteſt, HEERIO teſte; ſunt etiam, qui commendant externe contra maculas & impuritates faciei ceu coſmeticum. Conducit ad lentigines item ad ſcabiem. Sugillationem à proprietate curare creditur. Hauritur

quo-

quoque hic liquor poſt crapulam ad præcavendam noxam ex vino. Perſæ hac aqua caput lavant, ad pilos adaugendos & denigrandos. Sunt qui Tartarum ejusque ſal fixum beneficio hujus liquoris volatiliſare volunt.

FOLIA ſive PAMPINI, uti etiam CAPREOLI, recentia ſaporis ſunt ſubacidi, ſucco tamen blande acido volatili turgent, & exinde aliquali ſimul vi adſtrictoria & fibras partium contractoria gaudent, in qua fibrarum contractione legitimus partium tonus conſiſtit, unde non tam contra diarrhœas, lienterias, dyſenterias, vomitus & ſimiles affectus valent, ſed & vi ſtomachali appetitum dejectum reſtituunt. Externe contra æſtus capitis à ſanguine ebulliente ortos, commendantur, plantis pedum applicata pro conciliando ſuavi ſomno & aquæ pro pediluviis ordinario incoquuntur. Succus ex his foliis expreſſus valde commendatur ad Picam, ſeu appetentiam depravatam prægnantium dyſenteriam, diarrhœam, vomitus & ſimiles affectus. Externe capiti applicatus ſolet reſtringere æſtum ac temperare cephalalgias ex nimia mora in Sole vel loco calido contractas. Aqua ex foliis recentibus & tenellis adhuc deſtillata in pica gravidarum valde convenit, ſive ſola ſive cum Miva Cydoniorum permiſta, adhibeatur, ſpecifica quoque eſt in purpura puerperarum, additis tamen etiam appropriatis aliis.

Ex foliis & ſarmentis incineratis elicitur Sal, quod tamdiu calcinandum donec albeſcat, hinc cum aqua ſolvendum & coagulandum, quod à quibusdam Tartarus Philoſophorum vocatur. Inter cauteria ſolet referri.

Lixivium ex cineribus vitis mane potatum mirabiliter purgat humores aquoſos in hydrope. Cineres vitium cum oleo permixti ad morſum canis rabidi laudantur.

FLORES VITIS egregie ob odorem reficiunt; unde hos omnium cordialium præſtantiſſimos eſſe dicunt. Tempore

illo

illo, quo Vitis floret, dicitur non facile reperiri bufones, & cum floribus Vitis ſingularem inimicitiam habere.

Dum vitis florent, Vina, præſertim in cellis propinquis, rurſus fermentare incipiunt.

CAPUT SEPTIMUM
DE
FLORIBUS
SALIBUS VOLATILIBUS OLEOSIS SEU AROMATICIS CONSTANTES.

Caprifolium.
Moldavica.
Scabioſa.

CAPRIFOLIUM.

Sunt flores oblongi amoeni tubæ bellicæ directæ aut promuſcidi ſimiles, coloris albicantis, & interdum flaveſcentis, odoris ſuavis.

Ex his floribus, ut habet HOFFMANNUS, cum aliis, deſtillatur aqua, quæ nervoſum confortat genus, aſthmati auxiliatur, tuſſi cordiſque palpitationi: accelerat etiam partum, tanquam remedium quoque cordiale, cephalicum & antapoplecticum laudatur. Mixtam cum ſemine lavendulæ in partu difficili adhibuit RONDELETIUS.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Oleum Periclymeni, per infuſionem paratum, Hanenfuß-Oehl/ *Huile de Periclymenum.* Conducit ad nervos roborandos, laudatur etiam in affectibus Thoracis.

MOLDAVICA.

Sunt flores Meliſſæ Turcicæ multis dictæ, I. B. verticillatim naſcentes, flore cæruleo vel albo, odorem meliſſæ citratum exhibentes.

Symbolizant cum foliis, ſed longe ſubtiliores ſunt. Ex his floribus elegans cum Spiritu Vini poterit extrahi eſſentia carminativa & antihyſterica, iis præſertim utilis mulieribus, quibus Meliſſæ odor non eſt adverſus.

SCABIOSA.

Sunt flores Scabioſæ Officin. coerulei, rotundum in capitulum congeſti, ſaporis ſubacris.

Flores hi iisdem gaudent virtutibus ac herba. In infuſo Theiformi poſſunt uſurpari in affectibus pectoris.

℞. Flor. Scabioſ. bell. ana piij. pavav. Rhead mß. Mſc. pro infuſo Theiformi.

FLORES

IN OFFICINIS HABETUR.

Conſerva Scabioſæ, Scabioſen-Zucker. *Conſerve de Scabieuſe.* Conducit phthiſicis.

FLORES SALE FIXO CUM PAUCIS VOLATILIBUS CONSTANTES.

Conſolida Regalis.
Linaria.
Nucis Juli.
Tagetes.

CONSOLIDA REGALIS.

Sunt flores anomali ex pluribus petalis conſtantes, coloris diverſi quidem, ſed pro uſu medico imprimis cœrulei.

Uſur-

CONSOLIDA REGALIS vocatur à virtute conſolidante, & floris pulchritudine. DELPHINIUM à forma floris nondum expliciti, & Delphinum, qualis à pictoribus pingi ſolet, referentis. EQUESTRE CALCAR, EQUITIS CALCAR, CALCATRIPPA quoque dicitur à flore, calcar quaſi habente, quo equi punguntur. PES ALAUDÆ à ſimilitudine. Ritterſporn / Acker-Ritterſporn/ Wild-Ritterſporn. PIED d'ALOUETTE.

Eſt plantæ genus flore polypetalo anomalo, ex pluribus nempe petalis diſſimilibus conſtante, quorum ſuperius in caudam tenuatur, excipitque aliud petalum bifidum & pariter caudatum. Horum autem meditullium occupat piſtillum, quod deinde abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur vaginæ, ſecundum longitudinem dehiſcentes, ſeminibusque foetæ utplurimum angulatis.

Plures equidem occurruntDelphinii tum ſylveſtris aut arvenſis, tum hortenſis ſpecies, mira colorum in floribus varietate luxuriantes; interim ſequentes tres ſpecies potiſſimum in uſum trahuntur.

Delphinium Segetum flore cæruleo. Tourn. I. R. H. cl. 11. s 2. g. 3.

Conſolida regalis arvenſis flore cæruleo. C. B. Pin. 142. Conſolida regalis flore minore. I. B. 3. 210. Delphinium vulgare. Cluſ. Hiſt. ccv. Flos regius ſylveſtris. Dod. Pempt. 252.

Delphinium hortenſe flore majore & ſimplici cæruleo. Tourn. l. c. Conſolida regalis hortenſis flore majore & ſimplici cæruleo. C. B. Pin. 142. Flos regius. Dod. Pempt. 252.

Delphinium hortenſe flore minore cæruleo. Tourn. l. c. Conſolida regalis hortenſis flore minore cæruleo. C. B. Pin. 142. Conſolida Regalis ſativa. Tab. Ic. 63.

Prior ſpecies paſſim inter ſegetes, etiam in ſylvis naſcitur: reliquæ in hortis proveniunt, florent Majo, Junio, Julio & Auguſto.

Uſurpantur flores & quandoque herba. Deobſtruit autem hæc planta, renes & veſicam purgat, calculum pellit, menſes ciet, vermes necat, affectibus bilioſis icteroque medetur. Leviter quoque adſtringit & gaudet virtute vulneraria, in vulneribus & herniis conſolidandis. Decoctum florum laudatur in facilitando partu. Flores imprimis cenſentur ophthalmica pollere virtute, eorum decoctum pro fotu uſurpatur in oculorum morbis. Multum ſymbolizant cum floribus Cyani cæruleis.

℞. Florum Delphinii q. v. immitte vitro anguſti colli, obtura vitrum & maſſæ panis circumvolutum committe clibano, ut pinſatur cum pane, exprime & deſtilla, pro remedio in ophthalmiis aliisque affectibus oculorum calidis, in ſuffuſionibus & cataractis &c. Color horum florum cæruleus dicitur aſpectu viſum confortare & conſervare, unde corollæ ex iis conflatæ à quidusdam in conclavibus ſuſpenduntur.

LINARIA.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Aqua Conſolidæ Regalis, deſtillata ex herba cum floribus cæruleis, Ritterſporen-Waſſer/ *Eau de pied d'Alouette.* Commendatur ad oculo-

oculorum rubedinem & ophthalmiam. Laudatur quoque ad colicam præſertim infantum torminalem, calculum, empyema, Urinam ſuppreſſam &c.

TAGETES

LINARIA.

Sunt flores Linariæ vulgaris, C. B. Pin. in thyrſum digeſti, colore luteo imprimis præditi, rictu croceo, poſtica parte calcari ſeu corniculo, oblongo, acuto, donati; ſaporis amaricantis, odoris ingrati.

Flores hi, juxta TORNEFORTIUM, male olent & ſal armoniacale explicitum obtinent, cujus ratione chartam cœruleam rubefaciunt. Interim ſymbolizare cum foliis communiter aſſeritur.

℞. Pulv. flor. Linar. verbaſc. rad. Onon. ana exhibeatur in decocto Millefolii, ad reſerandas hæmorrhoides, ut refert PAULINI de THERIAC. COEL.

NUCIS JULI.

Sunt Juli Nucis Juglandis ſive Regiæ vulgaris, C. B. Pin. longi, multiplici collo compactiles, cujus flaveſcentes paniculæ brevi decidunt.

Vim dicuntur poſſidere emeticam hi Catuli, bilem lentamque pituitam expurgant. Siccantur & pulvis eorum exhibetur ad ʒß. ad ʒj. Sunt qui commendant ad paſſionem hyſtericam, ſi ſumantur ex vino albo addita olei Succini guttula una. Sunt etiam, qui tanquam ſecretum antepilepticum venditant, quo dato infantibus ante omnes cibos, præſtet illos ſecuros per totam vitam, id quod forſan oriri exinde poterit, quoniam meconium educit. Monet autem SIMON PAULI, ut ob virtutem emeticam caute propinetur in hyſtericis epilepticisque inſultibus. Non-

nulli in alvi fluxibus pulverem horum Julorum ſuadent, item in dolore nephritico.

TAGETES.

Sunt flores Tanaceti Africani, C. B. Pin. ſive floris Africani Dod. nunc ſimplices nunc pleni, nunc majores, nunc minores lutei, ſulphurei aut ex pallido lutei, melini, ſericea in quibusdam ſpeciebus hirſutie obliti, odore viroſo, gravi.

De

Tagetes vocatur etiam Flos Africanus à patria & ex eadem ratione Flos Tunetanus. Appellatur quoque Caryophyllus Indicus, Tanacetum Africanum. Othonna juxta quosdam. Sammetblum/ quaſi flos holoſericeus, Indianiſch Nägelin/ Oeillet d'Inde.

Tagetes eſt plantæ genus flore radiato, cujus ſcilicet diſcus ex plurimis floſculis multifariam inciſis, corona vero ex ſemifloſculis componitur, embryonibus inſidentibus & calyce monophyllo & tubulato comprehenſis. Embryones autem deinde abeunt in ſemina angulata, capitulo foliato inſtructa, & thalamo affixa: occurrunt flores ex floſculis fiſtuloſis compoſiti. Tagetis ſpecies flore fructuque carentes foliis fœtidis, & ad nervum fere inciſis, dignoſci ſolent.

Plures dantur floris Africani ſpecies

Tagetes maximus rectus, flore ſimplici ex luteo pallido. I. B. 3. 100. Tanacetum Africanum majus, ſimplici flore. C. B. Pin. 133. Flos Africanus major, ſimplici flore. Tabern. Icon. 13.

Tagetes maximus rectus, flore maximo multiplicato. I. B. 3. 100. Tanacetum ſive flos Africanus major, flore pleno, C. B. Pin. 132. Flos Africanus major aureus multiflorus. Tabern. Icon. 13.

Tagetes indicus minor, ſimplici flore, ſive Caryophyllus Indicus, ſive flos Africanus. I. B 3. 98. Tanacetum Africanum ſeu flos Africanus minor. C. B. Pin. 135. Flos Africanus minor flore ſimplici, Tabern. Icon. 12.

Tagetes Indicus minor multiplicato flore, I. B. 3. 99. Flos Africanus,

canus, minor multiflorus. Tabern. Icon. 12. Tanacetum Africanum ſive flos Africanus minor flore pleno. C. B. Pin. 133.

Tagetes Indicus medius flore luteo pallido. I. B. 3. 99.

Tagetes Indicus medius flore luteo multiplicato. H. L. B.

Tagetes Indicus flore ſimplici fiſtuloſo, H. L. Bat. Tanacetum ſive flos Mexicanus flore fiſtuloſo ſimplici. C. B. Pin. 133. Caryophyllus Mexicanus flore fiſtuloſo ſimplici. Colum. part. 2. 46.

Tagetes Indicus flore fiſtuloſo duplicato. H. L. B. Tanacetum ſive flos Mexicanus flore fiſtuloſo pleno. C. B. Pin. 133. Caryophyllus Mexicanus alter polyanthos fiſtuloſo flore. Col. part. 2. 48.

Tagetes Indicus minimus flore ſericea hirſutie obſito. H. L. Bat. Tanacetum Africanum minimum ſericea hirſutie obſitum. C. B Pin. 133. Caryophylli Hiſpanici dicti varietas ſeptima & octava. Col. Deſcript. part. 2. 47.

In Africa plerisque locis ſponte provenit, unde primum in Europam invecta fuit hæc planta, quando CAROLUS QUINTUS Imperator apud Tunetum celebri victoria potitus eſſet. Reperitur tamen etiam in America, teſte HERNANDEZ. Apud nos colitur in hortis, floret æſtate.

Flos

De viribus HERNANDEZ ita diſſerit: Vi pollet diſcuſſoria & aperienti: Foliorum ſuccus ebibitus, aut folia ipſa contuſa & ex aqua epota vinove, ventriculum gelidum contemperant, menſes, urinam & ſudores eliciunt, frigora intermittentium arcent illita paulo ante acceſſionem; flatum diſcutiunt, Venerem excitant, cachexiam à cauſa frigida ortam vitio hepatis curant, aperiunt obſtructa, convulſa laxant, hydropem levant: vomitum ex aqua tepida procurant, & tandem febrium rigoribus imo & febribus ipſis, expurgata per urinam & per ſudorem cauſa, medentur. Verum DODONÆUS, vim ei veneficam ineſſe prodidit, experimento in fele facto, qui ejus eſu extinctus eſt, quin & mures arroſis ſeminibus mortuos repertos addit, & puero ex eſu floris os & labia intumuiſſe & porcis quibusdam fuiſſe

exitio.

exitio. DODONÆUM rurſus refutat TERENTIUS in NOTIS AD RECCHUM, & negat hanc herbam eſſe venenum. LEMERY quoque aſſerit, ſe exhibuiſſe florem Africanum canibus, qui exinde tamen non perierunt. Suadet tamen prædictus LEMERY cum RAJO, ne ancipiti utamur remedio, de quo nondum ſatis conſtat, an non homini ſit venenum, cum tutiora proſtent. Externe hæc planta, pro ſcopo reſolvendi & detergendi poterit uſurpari.

FLORES MUCAGINE TENUI POLLENTES.

Flos Solis.
Flos Trinitatis.
Lamium.

FLOS SOLIS.

Sunt flores orbiculati Coronæ Solis Tab. Helenii floribus fere ſimiles, ſed longe ampliores, ita ut quandoque pedem in diametro colligant, petalis auri nitore ambitum obſidentibus, diſco plano lato, innumerorum ſeminum latorum fuſcorum, alborumve oblongorum, compreſſorum fœcunditate farcto.

Flos

FLOS SOLIS dicta planta a nova orbe advecta, veteribus incognita fuit, recentioribus a ſimilitudine cum Sole denominata eſt, *Barbulis ambientibus Solares radios, diſco medio ipſum Syderis clypeum referentibus*. Juxta quosdam FLOS SOLIS appellatur, quia non ſolum effigiem Solis præ ſe fert, ſed verſus eum caput ſemper inclinat.

Vocatur

Vocatur quoque Corona Solis, a floris diſpoſitione Planta Maxima, Sol Indicus, Solis Flos Peruvianus, Chrysanthemum Peruvianum, Helenium Indicum, Sonnenblum/ Soleil, Herbe au Soleil, Fleur au Soleil.

Eſt plantæ genus flore radiato, cujus ſcilicet diſcus ex plurimis floſculis. corona vero ex ſemifloſculis componitur, embryonibus inſidentibus, foliolis imbricatis inter ſe diſtinctis & calyce ſquamoſo comprehenſis. Embryones autem deinde abeunt in ſemina duobus foliolis inſtructa.

Corona Solis. Tabern. Icon. 763. Helenium Indicum maximum. C. B. Pin. 276. Herba maxima. I. B. 3. 107.

Corona Solis maxima ſemine albo cinereo & ſtriato. Tourn. I. R. H. cl. 14. s. 2. g. 2. Helenium Indicum ramoſum ſemine albo cinereo & ſtriato. H. R. Par.

Corona Solis ij. Tabern. Icon. 763. Helenium Indicum minus. C. B. Pin 277. Chryſanthemum Canadenſe, latifolium, humilius. Mor H. R. Bles.

Corona Solis flore minore melino. Helenium Indicum minus. C. B. Pin. 277. Herbæ maximæ ſpecies minor, florum multitudine parvitatem compenſans I. 3. 107.

Conora Solis flore pleno.

Planta hæc ex America, imprimis Peru ad Europæos fuit advecta. Colitur fere omnibus in hortis ob floris elegantiam, floret Julio & Auguſto.

φλὸξ,

Flos hujus plantæ bene repurgatus a foliolis, coctus cum oleo Sale & aromatibus melioris eſt ſaporis, quam Fagi, Aſparagi, Cardui & Scolymi, ac ad Venerem inſigniter ſtimulat. Nec minus eſu ſuavis & grati ſunt pediculi foliorum, teneri adhuc, in craticula decocti, ſale oleoque prius præparati. Semina, licet liberalius devorata capitis dolorem excitant, ardorem extinguunt, & apud aliquas gentes tuſa, coacta in panem aſſaque frumenti uſum præbent juxta HERNANDEZ.

Flores interdum (& ut PARKINSONUS habet caulis etiam ad foliorum pediculos) reſinam tenuem, pellucidam exſudant, pauca quantitate, Terebinthinam Venetam colore, odore & ſapore plane referentem.

FLOS TRINITATIS.

Sunt flores pulcherrimi modo toti purpurei, modo lutei, cæruleo purpurei, variegati, aliterque etiam verſicolores, exorti ex alis foliorum, quæ modo rotunda, modo oblonga, in ambitu ſerrata, in caulibus reptant, ſaporis ſubamari, & quadantenus acris.

Φλὸξ, Φλόγιον. Vocatur alias JACEA, FLOS TRINITATIS, JACEA TRICOLOR, VIOLA TRICOLOR, HEPTACHRUM, HERBA TRINITATIS, Freyſamkrauth ab effectu, Dreyfaltigkeit-Blümlein à triplici florum colore, unnütze Sorgen/ Stieffmütterlein/ PENSÉE.

Pertinet ad Violas, & ex multis hujus plantæ ſpeciebus diverſitate florum variantibus, quæ indifferenter in uſum trahi poſſunt, ſequens tamen ſpecies uſualior.

Viola Tricolor hortenſis repens, an Φλὸξ καὶ Φλόγιον Theophraſti, C. B. Pin. 199. Jacea Tricolor ſive Trinitatis flos, I. B. 3. 546. Viola Tricolor. Dod. Pempt. 158.

Non tam colitur quam naſcitur in hortis & quidem ſua ſponte, ſylveſtri aut arvenſi ſpecioſior & elegantior. Floret vere & tota æſtate.

In

In uſum trahitur herba cum floribus; detergit, incidit, penetrat: vulneraria eſt, demulcet, ſanguinem purificat, & vi gaudet ſudorifera, ægre ſpirantibus, pulmonumque inflammationibus opem fert, febricitantibus maxime, pueris & infantibus prodeſt, quorum convulſionibus ac comitialis morbi acceſſionibus mederi creditur. Diſſolvit ſanguinem coagu-

coagulatum, ſcabiem cæteraque cutis vitia delet; rupturás ſanat. Curioſum eſt, quod ab HOFFMANNO notatur flores Trinitatis purgare per alvum inſtar florum violarum, teſte experientia.

LAMIUM.

Sunt flores Lamii vulgaris, C. B. Pin. labiati, purpuraſcentes vel albi, majores minoreſve, à parte poſteriori ſuccum continentes melleum.

Iisdem ac folia pollent viribus, eodemque modo uſurpantur. Illud hic tantummodo notandum, quod flores purpurei commendentur ad diarrhœam atque dyſenteriam, albi vero tanquam ſpecificum in fluore albo mulierum; item in gonorrhœa. Uſurpantur in infuſo, vel in aqua vel in vino. Commendantur etiam externe in pediluviis.

IN OFFICINIS EXTAT.

Conſerva Lamii ſive *Urticæ mortuæ*, Taubernеſſel-Zucker/ *Conſervè d'Ortie morte*, ad prædictos uſus.

POPULAGO

FLOS AQUEIS CONSTANS.

CALTHA PALUSTRIS.

Sunt flores Calthæ paluſtris, I. B. in ſummitatibus coliculorum naſcentes, lutei, ſplendentes, paucioribus rotundoribus ſed multo majoribus, quam Chelidoniæ minoris, petalis conſtantes.

POPULAGO à Populo arbore dicitur, quod inter Populos naſcatur. FLOS VITELLINUS quoque dicitur, FLOS PRATENSIS LUTEUS, FLOS PRATENSIS AUREUS, FLOS BUTYRI, Dotterblum / Geelwieſenblum / Moßblum / Schmaltzblum/Butterblum.

Populago eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum membranaceum, in quo velut in capitulum colliguntur plurimæ vaginæ, plerumque deorſum inflexæ, ſeminibus fœtæ utplurimum oblongis.

Populago flore majore, Tourn. I. R. H. cl. 6. s. 6. g. 13. Populago major. Tabern. Icon. 750. Caltha paluſtris flore ſimplici. C. B. P. 276. Caltha paluſtris. I. B. 3. 470.

Populago flore minore. Tourn. l. c. Populago minor. Tabern. Icon 750.

Populago flore pleno. Tourn. I. R. H. l. c. Populago multiflora. Tabern. Icon. 751. Caltha paluſtris flore pleno. C. B. Pin. 276. Caltha paluſtris flore multiplicato. I. B. 3. 470.

Flos duarum priorum ſpecierum verno tempore uliginoſa prata decorat. Tertia ſpecies colitur in hortis.

POPULUS

Rari uſus eſt hæc planta. Flores Vaccis proſunt ad butyri flavedinem conciliandam. Flores hi porro laudantur in affectibus hepaticis & ſpleneticis. Apium ictui foliorum ſuccus illitus conducit. Infantium torminibus decocta herba inſeſſu muliercularum experimento medetur.

FLORES MUCAGINE CRASSA CONSTANTES.

Populus.
Ranunculus.

POPULUS.

POPULUS.

Sunt oculi ſeu gemnæ Populi nigræ, C. B. Pin. quos hæc arbor protrudit, mucronati, odorato, luteo, pingui ac tenaci ſucco prægnantes.

POPULUS NIGRA, αἴγειρος, ſchwartzer Pappelbaum / Sarbaum / Bollen / Popplen / Poppelweiden / ſchwartze Popplen / ſchwartz Aſpen / ſchwartz Pappelweiden / Sarbachbaum / PEUPLIER NOIR.

Eſt arbor flore amentaceo, plurimis nempe foliolis apicibus donatis conſtante, ſed ſterili: teneri enim fructus innaſci ſolent iis Populi ſpeciebus, quæ floribus carent, ſpicati, plurimis foliolis compoſiti, ſubquibus latet campana quædam embryonem complectens. Is autem abit deinde in ſiliquam membranaceam, bifariam dehiſcentem, ſpicatam, ſeminibusque fœtam pappis inſtructis. His notis addenda propria Populi facies, qua differt a Salice.

Hic intelligitur

Populus nigra. C. B. Pin. 429. & Dod. Pempt. 836. Populus nigra, ſive αἴγειρος. I. B. 1. 155.

Occurrit paſſim in locis potiſſimum aquaticis, ſecus amnes, in areis pagorum & pratis.

IN

Uſurpantur ex hac arbore potiſſimum OCULI POPULI, ſeu GEMMÆ POPULI, Pappelknoſpen / Pappelbaum Augen-Alber-Knöpff / Alberputzen / Sarbellen / YEUX ou GERME DE PEUPLIER. Succo gaudent reſinoſo balſamico, ut docet KOENIG, & propterea oleum multum destillatione fundunt, quare etiam inſtar Terebinthinæ Hyperici &c. vi vulneraria inſigni pollent, ceu Tinctura Spiritu Vini elicita ad ulcera interna & fluxus alvi diuturnos egregia eſt, ſi ad ℥j. in juſculo mane & veſperi ſumatur. Adhibentur porro ad capillos ornandos in lixivio, item ad dolores ſedandos.

Mirifice

Mirifice omnem ſanguinis fluxum ſiſtere dicitur lanugo, quam emittunt gemmæ Populorum, ſi in Majo decerptæ in umbra deponantur, donec dilatentur, & lanuginem ad inſtar bombycis emittant.

In Officinis Proſtant.

Oleum Populeum, Pappelſproſſen-Oehl/ *Huile des yeux du Peuplier*. Emollit, arthriticis & podagricis utile, in cephalalgia & agrypina convenit.

Unguentum Populeum, Pappel-Sälbel / *Onguent Populeum*. Demulcet, inflammationes temperat, ſomnumque conciliat, unde in febrium ardoribus fronti, temporibus, manuum ac pedum pulſibus vel per ſe, vel cum unguento alabaſtrino vel cum roſaceo aut violaceo illinitur, conducit quoque ad hæmorrhoides dolentes & ambuſta, lac quoque diſſipat in mammis. Quidam ut vireſcat, magis hoc unguentum ac refrigerandi facultate ſit efficacius, coctioni addunt Solani triti manipulos duos. In defectu foliorum Mandragoræ augeri poteſt quantitas Hyoſcyami, pro umbilico vero Veneris herba Paris ſumenda.

RANUNCULUS DULCIS.

Sunt flores Ranunculi pratenſis repentis, hirſuti, C. B. P. aurei, odoris non inſuavis.

Flores

Ranunculus Dulcis Pratensis, vulgo herbariis Oleraceus, quibusdam Salutiferus dicitur. Ranunculus Oleraceus Major, Flos Butyri, Süſſer Hahnenfuß/ Nußhahnenfuß/ Schmaltzblum/ Butterblum / Anckenblum.

Eſt Ranunculus pratenſis repens, hirſutus, C. B. Pin. 179. Ranunculus repens flore luteo ſimplici, I. B. 3. 419. Ranunculus pratenſis reptante cauliculo.

Paſſim occurrit in pratis & graminoſis udis marginibus; floret vere & æſtate

Quaſi

Flores imo tota herba lactis copiam impertire creduntur. A quibusdam in cibum trahitur herba cum aliis oleraceis. Armenta hoc ranunculo paſcuntur.

FLORES TERREIS CONSTANTES.

Amaranthus.
Bellis ſylveſtris.
Cynosbatos.
Liguſtrum.
Bellis Hortenſis.
Ciſtus.
Erica.
Lyſimachia purpupurea.

AMARANTHUS.

Sunt Flores Amaranthi purpurei, I. B. in ſpicas palmares & ſesquipalmares digeſti, easque frequentes & jubæ inſtar in latum luxuriantes, colore fuliginoſo aut purpureo obſoletiore.

Vires

Quaſi amoris ἄνθος, AMARANTUS; Ἀμάραντος ab α privativo & μαραίνω marceo, quoniam flos decerptus non ſtatim marcet, ſed diu perdurat. FLOS AMORIS, χρυσοκόμη, Amaranth/ Flor Amor/ blümlein der Lieb/ Tauſendſchön/ Sammetblum/ AMARANTE, PASSÉ VELOURS, OU FLEUR D'AMOUR, FLEUR DE JALOUSIE.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis conſtante, ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, ſeu teſtam fere globoſam vel ovatam, bifariam transverſa dehiſcentem, ſeminibusque fœtam utplurimum ſubrotundis.

Rarius equidem uſurpatur Amaranthus: è pluribus tamen ſpeciebus ſequens maxime in uſum trahitur. Ama-

Amaranthus ſimplici panicula. C. B. Pin. 121. Amaranthus anguſtifolius ſimplici ſpicata panicula. Lob. Icon. 251. Amaranthus purpureus. I. B. 2. 968.

Colitur in hortis ornatus gratia, floret præprimis Auguſto menſe & ſqq.

Vires obtinet refrigerantes, ſiccantes & modice adſtringentes, tota hæc planta: Unde & herba & flores & ſemen in fluxionibus cunctis, expuitione ſanguinis diarrhœa, dyſenteria, fluxu uterino adhiberi poſſunt. Semini porro adſcribitur vis Lac adaugendi. Extrinſecus confert in tenesmo.

BELLIS HORTENSIS.

Sunt flores Bellidis hortenſis colore vel albo vel rubro, vel in ambitu rubro in medio albo, vel alternatim, vel viridi, vel verſicolore varietate coruſcantes.

Bellis hortenſis flore pleno eoque magno rubro. C. B. Pin. 261.

Bellis hortenſis flore pleno eoque magno albo. C. B. Pin. 261. Bellis hortenſis ſive flore multiplicato. I. B. 3. 113.

Bellis hortenſis flore pleno, eoque magno incarnato. C. B. Pin. 261.

Bellis hortenſis flore pleno, eoque magno vario. C. B. Pin. 261. Bellis multiplici flore variegato. Lob. Icon. 477.

Bellis hortenſis flore pleno eoque parvo. C. B. Pin. 261. Bellis minor hortenſis. Tabern. Ic. 328.

Bellis hortenſis flore pleno eoque parvo rubro. C. B. Pin. 261. Bellis minor hortenſis flore rubro. Tabern. Ic. 327.

Bellis hortenſis rubra flore multiplici fiſtuloſo. H. R. Par.

Bellis hortenſis alba flore multiplici fiſtuloſo.

IN

Quamvis omnium harum ſpecierum flores in uſum trahi queant, utplurimum tamen præferuntur flore rubro fulgentes

præſertim

præſertim ad Conſervam & Tincturam exinde parandam. Alias iisdem cum bellide ſylveſtri gaudent viribus. Bellis flore albo pleno commendatur contra fluorem album mulierum, ſive crude ſive in decocto, ſive ſub forma conſervæ propinetur.

℞. Flor. Bellid. rubr. q. v. irrora phlegmate Vitrioli & cum aqua fervente q. s. extrahe tincturam, quæ conducit in febribus diarrhœa atque dyſenteria.

℞. Flor. Bellid. rubr. q. v. humecta phlegmate Aluminis, cum Sp. Vin. rectificatiſſimo extrahatur Tinctura, quæ ad ſanguinem congrumatum præcavendum & reſolvendum inſtillatur potui, ut non noceat. In febribus etiam ardentibus convenit, ad guttas 20. 30. 40. & ultra, præſertim ut nocumenta ingurgitationis frigidæ præcaveantur.

BELLIS SYLVESTRIS.

Sunt flores Bellidis ſylveſtris, ſingulari petalorum in orbem ambitu, lacteorum aut ex albo ſanguineorum, luteo umbilico radiantes.

Flores Bellidis virtute conveniunt cum foliis. Imprimis valent in affectibus pectoris.

Flores vel ſolis manibus detenti laudantur ad ſedandas hæmorrhagias.

℞. Flor. Bellid. herb. Geran. Robert. ana q. s. torreantur in ſartagine ferrea, applicentur poſtmodum capiti ad Cephalalgiam. CHOMEL aſſerit ſe egregios exinde obſervaſſe effectus.

℞. Flor. Bellid. qu. v. cum adipe porcin. redige in unguentum ad tineam.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Conſerva florum Bellidis, Zeitloſen-Zucker / *Conſerve de Paqueret.*

&

Syrupus florum Bellidis, Zeitloſen-Syrup/ *Syrop de Paqueret* ou *des Marguerites.* Convenit in morbis pectoris & ejus vulneribus, & ſanguine coagulato reſolvendo : in tuſſi quoque & aſthmate laudatur.

CISTUS.

Sunt flores Ciſti vel maris, Matth. roſacei coloris ſaturatius rubentis, vel Ciſti fœminæ Clus. albicantes, nonnunquam etiam flavi.

Κίστος, Ciſten-Röſslein/ CISTE.

Characterem hujus plantæ vide ſub Ladano.

Ciſtus major folio rotundiore. I. B. 2. 2. Ciſtus mas folio rotundo hirſutiſſimo. C. B. Pin. 464. Ciſtus mas Matthioli. Lugd. 22.

Ciſtus fœmina folio Salviæ elatior & rectis virgis. C. B. Pin. 464. Ciſtus fœmina Monſpeliana flore albo. I. B. 2. 4. Ciſtus fœmina. Clus. Hiſt. 70.

Naſcitur Ciſtus in regionibus calidioribus, locis ſaxoſis & arenoſis. Colitur in hortis floret æſtate.

Flores Ciſti una cum foliis gaudent virtute adſtrictoria, unde laudantur in alvi fluxibus, diarrhœa, dyſenteria &c. vel in ſubſtantia vel cum vino exhibiti.

CYNOSBATOS.

Sunt flores roſacei, interdum candidi, interdum incarnati, odoris grati.

Flores,

Κυνόσβατος quaſi dicas CANINA SENTIS, ſive RUBUS CANINUS, κυνόῤῥοδος, κυνόῤῥοδα, ROSA CANINA, ROSA SYLVESTRIS. Wilde Roſe/ Dorn oder Heckroſe/ Felroſen/ Heydroſen/ Hundsdorn/ Buttelroſen/ Hagenbuttenſtrauch. ROSIER SAUVAGE,

vage, Rose de Chien, Eglantier, Cynorrhodon.

Intelligitur hic
Roſa ſylveſtris vulgaris flore odorato incarnato. C. B. Pin. 483. Roſa ſylveſtris alba cum rubore, folio glabro. I. B. 2. 43. Roſa ſylveſtris. Tabern. Ic. 1088.

Cynosbatus frequentiſſime in aggeribus, viarum & agellorum confiniis, ſepibus, ſylvis, aliisque locis incultis reperitur; floret æſtate, & etiam ſerius. Autumno fructus matureſcunt.

In

Flores, ſubſtantiam alcalinam & terream continentes, conveniunt in qualitatibus cum roſis hortenſibus, imprimis ad rubris, quod nempe, ut ETTMULLERUS loquitur, adſtringant eleganter, & ſic commode adhibeantur ſub decocto vel conſerva, ubi opus eſt adſtrictione, in alvo & hæmorrhoidibus apertis aliisque fluoribus ex acido imprimis enatis, ſpeciatim uterinis; conveniunt in oculorum affectibus. Texturam hanc materialem confirmat, quod harum & aliarum roſarum ſiccatarum infuſum vel decoctum ſolutionem Vitrioli in atramentum præcipitet. Ex his floribus deſtillari poteſt aqua æque fragrans atque odorata, imo juxta quosdam fragrantior quam ex aliis roſis. Parari quoque exinde poteſt Syrupus atque Conſerva.

ERICA.

Sunt floſculi Ericæ vulgaris, C. B. Pin. velut ſpicam exprimentes, ſecundum ramulos à medio ad ſummum usque propendentes, bullati quodammodo, elegantiſſimo purpuræ dilutioris colore, interdum albi.

Flores Ericæ ex vino rubro poti album menſtruorum fluxum immodicum abſumunt, muliercularum experimento.

Conſerva florum ericæ laudatur in quartana, hydrope & affectibus Lienis. Dicuntur etiam flores nutricibus Lac copioſum generare. Aqua ex iis deſtillata laudatur in doloribus colicis, in oculorum rubore & dolore, ut & ad viſum confortandum. Oleo ex Ericæ floribus confecto ad tollendos herpetes fœdos & inveteratos totam faciem occupantibus RONDELETIUM magno ſucceſſu uſum fuiſſe ſcribit CLUSIUS.

Floribus his apes delectantur, ſed mel fit reprobum.

LIGUSTRUM.

Sunt flores Liguſtri Germanici, C. B. P. candidi, racematim congeſti, ſuaviter olentes.

Easdem obtinent virtutes ac folia, & eodem modo uſurpantur.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Aqua florum Liguſtri, quæ etiam ex foliis ſimul deſtillari poteſt, Hartriegel-Waſſer/ *Eau de Troëne.*

Aqua hæc fragrantis odoris adhibetur ad refrigerandum, adſtringendumque adverſus omnia oris vitia etiam ulcera maligna. Uſurpatur ad fluorem album, ſiſtit hæmoptyſin alioſve fluxus & anginam curat. Alumine inferta ulceribus ac excoriationibus pudendorum ſuccurrit cum linteo impoſita. Virtute quoque gaudet ophthalmica, atque contra ambuſta valet.

LYSIMA-

℞. Aqu. Liguſtri, Solani ana ℥j. Sacch. cand. ℈ß. Sacch. Saturn. ℈j. Camphor. gr. vij. Mſ. ad ulcuſcula narium.

℞. Aqu. flor. Liguſtr. Roſar. Plantag. ana ℥ij. Rob. Diamoron. ℥j. Mſc. pro curanda ſiccitate, fiſſuris & duritie Linguæ.

LYSIMA-

LYSIMACHIA PURPUREA.

Sunt flores Lyſimachiæ purpureæ ſpicatæ, I. B. in ſpicis dodrantalibus aut brevioribus hilari purpura oculos perſtringentes.

LYSIMACHIUM PURPUREUM, PSEUDOLYSIMACHIUM PURPUREUM, BLATTARIA SPURIA SPICATA RUBRA. SALICARIA, quod in ſalicetis naſcatur. Weiderich / Weiden-Krauth/Aehren Weiderich mit Purpur-Blumen/ SALICAIRE.

Lyſimachia hæc a reliquis Lyſimachiæ ſpeciebus ſeparatur a TOURNEFORTIO, & Salicaria inſignitur

Salicaria autem eſt planta flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis conſtante, in orbem poſitis, ex inciſuris calycis tubulati naſcentibus; ex hujus autem fundo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam ovatam, bicapſularem, ſeminibus fœtam utplurimum exiguis placentæ affixis ipſo calyce plerumque obvolutam.

Salicaria vulgaris purpurea. Tourn. I. R. H. cl. 6. s. 3, g. 3. Lyſimachia ſpicata purpurea forte Plinii. C. B. Pin. 246. Lyſimachia purpurea quibusdam ſpicata, I. B. 2. 902. Pſeudolyſimachium purpureum alterum. Dod. Pempt. 86.

Occurrit cum flore Junio & Julio in paluſtribus.

VINUM

Flores hi decoquntur in aqua ad faucium inflammationes. Quidam exinde parant Conſervam pro ſcopo adſtrictorio.

CAPUT

CAPUT OCTAVUM DE SUCCIS, RESINIS ET GUMMATIBUS SIMILIBUSQUE.

SUCCI HABENTES PARTICULAS SALINAS VOLATILES OLEOSAS CUM MUCILAGINOSIS TENUISSIMIS SUBTILIBUS.

Vinum,	Spiritus Vini,
Pomaceum,	Pyraceum,

VINUM.

Vinum nihil aliud eſt, quam ſuccus ex uvis expreſſus mediante fermentatione depuratus atque in liquorem ſpirituoſum exaltatus, eum potiſſimum in finem, ut hominibus in uſum cedat. Vel ſi cum AUTHORE TRACT. DE CONSANGUIN. VINI, AURI, & SACCHARI loqui malis, Vinum eſt plane divinus & cœleſtis liquor, roris & cœleſtis humiditatis principale habitaculum, per Vitis lignum tortuoſum ex cœlo terraque hauſtus, beneficio Solis in pendulas explicatus uvas, unde deinceps expreſſione & debita fermentatione in tam limpidam naturæque humanæ amiciſſimam digeritur lympham.

Fermentatione

VINUM qui examini ſubjiciunt de ejus Etymologia atque Synonymia etiam quadantenus ſolent eſſe ſolliciti. Deducunt itaque hoc voca-

vocabulum à vi potiſſimum, quod pro inſita virtute vim animo inſerat, invaſoresque ſuos violenter invadat; alii a Græco vocabulo illud haud adeo abludere putant, unde forſan factum quod & VINUS dixerint aliqui. Appellatur autem, idiomate græco, ὄινος vel ἀπὸ τῆς ὀνήσεως à fructu & utilitate, vel ab ὄινη, quam veteres, juxta GRATAROLUM MED. BERGOMATEM in TRACT. DE VINI NATURA, vitem dicebant, vel juxta FUMANELLUM IN SYLVA BACCHI ἀπὸ τοῦ οἶμαι quod eſt imaginor, quoniam qui copioſius vinum hauriunt multa imaginantur; juxta PLATONEM in CRATYLO vocari poteſt ὄιος, quod reddat pleroſque bibentium alienata mente, οἴεσθαι νοῦν ἔχειν. Juxta HYGIN. LIBER ſive BACCHUS Oeneo, cujus uxorem Altheam, bona cum pace mariti, adamabat, ob hoſpitium liberale muneri vitem dedit, monſtravitque quomodo ſereret, fructumque ejus ex nomine hoſpitis Oenos ut vocaretur inſtituit. Circa quam narrationem alii variant, dum quidam rem ſic ſe habere contendunt. Staphylus Oenei paſtor cum animadverteret ex capris unam eſſe pinguiſſimam, intellixit id pabuli libertate fieri, ſecutus itaque eandem, cum vidiſſet uvis veſci, admiratus & novitatem & dulcedinem, decerptum fructum pertulit regi, qui cum liquorem expreſſiſſet à ſuo nomine vocavit OENON, ab inventore STAPHYLEN; quidem vero aſſerunt, Oviſtam filium Ynen (Staphylum Oenei) regis paſtorem cum videret caprum ſæpius à grege diſcedere & pleniorem reverti, ſecutum, uvam depaſcentem inveniſſe, quam decerpſit & guſtavit; cujus dulcedine inductus eam expreſſit, & cum humorem ejus bibiſſet, eum ſuavem ſenſit, ac per hoc de Acheloo fluvio, in cujus ripa uva fuerat inventa, aquam miſcuit vino, atque ita cum potum optimum feciſſet, ſpeciem uvæ & potum optimum obtulit regi; quem cum ille probaſſet, uvam inventoris nomine vocari juſſit, vinum Græco verbo Ynon (Oenon) a ſuo nomine appellavit. Juxta citatum modo FUMANELLUM Poëtis πῖνον dicitur, mentem quidem turbans & vim ipſi inferens. Μέθυ quoque nominatur, à μεθίημι, quod nos μεθήμονας, id eſt negligentes reddat. A veteribus Romanis TEMETUM vocabatur, quod teneat ſeu labefactet mentem, ſubaudi abuſu, unde & temulenti nomen. NONIUS MARCELLUS, *Temulenta*, inquit, *dicta eſt ebrioſa, dicta à Temeto, quod attentet mentem.* MERUM (quamvis proprie merum vinum purum denotet) quoque Latinis audit, & TERRÆ SANGUIS, ut & UVA-

RUM

RUM SUCCUS atque SANGUIS, & quidem ſanguis vocatur ſæpius in SACRIS LITERIS vinum, tum quia, uti SACHSIUS loquitur, colore rubro ſanguini æmulum in Judæa naſcebatur, tum quia ob citam in ſanguinem transmutationem ſanguini maxime analogum, tum denique quod immoderate ſumptum cædes & ſanguinem interdum profundat. Unde COEL. CALCAGNINUS, dum fabulam poëtice de Gigantum cæde & vino ex eorum cruore orto recenſet, ita canit:

Mæſta parens tellus in vites oſſa redegit
Cæſorum & vinum eſt, qui modo ſanguis erat.
At ne quis mala vina bibat, de ſanguine nata,
Qui biberit cædes exitiumque bibet.

à Poëtarum turba variis BACCHI cognominibus LYÆI, LIBERI, BROMII, DIONYSII inſignitur, qua de re SACHSIUS jubet conferre NATALIS COMITIS MYTHOLOGIAM. Quod vinum Germanico idiomate der Wein vocetur non Lippis tantum atque tonſoribus, ſed ipſis etiam infantibus balbas adhuc ore loquelas dantibus jam notum eſt. Gallis VIN. audit.

Vini vocabulum etiam homonymiam pati patet ex Ger. JOAN. VOSS. de PHYSIOL. CHRIST. & THEOL. Gen. l. 5. c. 15. Bifariam, inquit, hæc vox ſumitur. Vulgo ſic dicitur omnis ſuccus ex carne uvæ expreſſus. Ac ſic quidem laxe ea vox ſumitur. Strictius vero accipitur, quando duæ præterea conditiones requiruntur, una ratione ſaporis, ut hic ſit vinoſus, altera ratione odoris, ut is ſit inebrians.

Ex vitis fructibus exprimitur BACCHICUM NECTAR; quamvis illud præſertim notandum, quod dum vino & vini copiæ conſulere velimus, vitis eligenda ſit, quæ in fructu valet & in materia. Ea autem præcipua eſt, ſi nec nimis celeriter ſpondet, & primo quoque tempore defloreſcit, nec nimis tarde miteſcit, quin etiam pruinas & caliginem & carbunculum facile propulſat, eademque nec imbribus putreſcit, nec ſiccitatibus aboleſcit, talis eligatur vel mediocriter fœcunda, ſi modo is locus habetur, in quo guſtus nobilis petrioſusque fluit: nam ſi ſordidus aut vilis eſt, feraciſſimam quamque ſerere conducit,

ducit, ut multiplicatione frugum reditus augeantur. Hancce jam, quæ ſuccum quovis Nectare & Ambroſia ſuaviorem fundit, plantam, à Deo omnis boni fonte creatam fuiſſe ſicuti nemo ambigit, ita de ejus inventore, ſive illo, qui primus vinum expreſſerit ex uvis & in uſum traxerit, hominibusque eundem uſum monſtraverit, quæſtio moveri ſolet. Gentiles plurimi ſtatim Bacchum ſuum, quem & Liberum ſeu Lyæum, quod homines ab omni ſollicitudine liberos reddat, & Dionyſium, quod ſit διδὺς οἶνον vini dator, appellabant, in ſcenam producunt, eique inventionis gloriam attribuunt: ut patet ex ſupra dictis. Alii ex paganis Icarum filium Oebali Penelopes patrem, qui ab ebriis colonis poſtea occiſus eſt, vitis inventorem faciunt; ſunt qui ſtatuerunt vitem apud Æthnam montem Siciliæ fuiſſe inventam; cum enim OriſtæusDeucalionis filius eo regnatum veniſſet, ejus canis ramum forte evellit, quem ille defodi juſſerat, & inde vitium germina nata, quæ a canis nomine Oenon appellavit. Quidam in Ægypto vitem primum compertam fuiſſe tradunt, unde & incolæ Φοινικοι vocati fuere. Alii alios inventores recenſent. De capra & hirco vitis repertoribus jam dictum. Qui autem hircus, quum animal vitibus admodum infeſtum deprehendebatur, in Bacchi ſacrificiis cædebatur. Hinc Virgilius l. 2. Georgicorum canit:

Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens ſcopulis arentibus æſtus;
Quantum illi nocuere greges durique venenum
Dentis, & admorſo ſignata in ſtirpe cicatrix.
Non aliam ob cauſam Baccho caper omnibus aris
Cæditur.

Chriſtiani ex Sacris Literis Noachum vineam primum plantaſſe poſt diluvium credunt; quamvis non deſint etiam rationes haud adeo contemnendæ, quæ homines in ſeculis antediluvianis quoque vino non caruiſſe evincere videntur. Occaſio autem plantandæ vineæ, ut tradit ex Ezleri Isagog. Mag. Med. Sachsius, Nohæ fuit ſequens. Cum poſt diluvium emitteret hircum in Coricum Ciliciæ montem, hircum labruſcas comediſſe, inebriatum cætera

animantia cornubus petere cœpiſſe; hoc comperto, virtutem labruſcæ agnovit Noha, confeſtimque eam ſanguine Leonis ut confortaretur, in ſpiritu ſolari & agni cruore myſtico addito, ut ſylveſtrem naturam deponeret, plantavit, quæ deinde egregium fructum fecit eamque vindemiavit. Veritatem autem hujus aſſertionis Authori ſuo probandam relinquamus licet, illud tamen cum celeberrimo MELCHIORE SEBIZIO pronunciare non veremur, quod NOAH, poſteaquam ob interitum generis humani, ſua tantum familia divinitus conſervata, graviſſimas animi perturbationes eſſet perpeſſus, ſingulari Dei providentis gratia vites colere cœperit, ex earumque uvis ſuccum elicuerit, ut inde vires recolligeret, triſtitiam fugaret, & jucundum miſeriarum ac calamitatum illarum, quas in & extra arcam ſuſtinuiſſet, levamen ſolamenque haberet.

Differentias

Fermentatione muſti peracta & ſecretione partium heterogenearum facta, id quod potiſſimum circa feſtum Martino ſacrum contingit, (unde narrante COLERO in œconomia rurali & domeſtica, multi hunc diem maxime celebrant, nullusque fere eſt, qui tunc non cum ferculis à ſuibus & vitulis potiſſimum deſumptis, vinum novum plena avidiſſimaq; gula haud raro ad ebrietatem uſque hauriat.) emergit tandem generoſus & tantopere expetitus liquor Vinum, cujus de elementis ſive principiis ſermonem ut faciamus jam nobis incumbit. Non inepte autem facere illos putamus, qui hic ad principia demonſtrabilia ac ſenſibilia quam maxime reſpiciunt, prouti ſunt, qui Chymicorum caſtra ſequuntur. Recte enim aſſeritur ab HOFFMANNO, quod ſi ullo in mixto famoſa illa Chymicorum principia offendantur, certe ea clariſſime conſpicua fiant ipſo in vino. Sunt autem illa Chymicorum elementa duplicia, activa ſcilicet alia, alia paſſiva; activa à quibusdam recenſentur tria, ſal, ſulphur atque mercurius, à quibusdam vero tantummodo duo ſal

vide-

videlicet atque ſulphur, omiſſo mercurio; quippe quod principium ex duobus prioribus conflatum potiſſimum eſſe aut exinde dependere conſtat, numerantur: nobis utrumque certo reſpectu aſſeri poſſe, ſi tempus permitteret, demonſtrare haud adeo difficile eſſet; paſſiva duo ſunt phlegma ſive aqua, atque terra. Jam quod partes ſalinas, per quas intelliguntur corpuſcula guſtus organon afficientia, & in aqua facile diſſolubilia, concernit, illas certe nemo negare poterit, qui vel ſemel vinum deguſtaverit, vel ſenſu guſtus non deſtituatur. Præterea ſalis præſentiam, & acetum, nullum quippe datur vinum generoſiſſimum quod non longiori & moderata digeſtione aceſcat, & tartarus, quem non modo recentia ſed & vetera ſucceſſive dimittunt vina, doliorum lateribus cruſtæ in modum adhæreſcens, patefacit. Hinc etiam quælibet vina, teſte HOFFMANNO, ſi pura ſint & non adulterata fermentationemque ſuſtinuerint, ſi deſtillentur in vaſe, relinquunt magma quoddam acidi tartarei ſaporis. Sal autem hoc, quod ad acidorum genera pertinet, non ſolummodo ſaporem vino largitur, ſed & inſervit præſertim ad debitam fermentationem, ad attenuationem & ſubtiliſationem particularum ſulphurearum & ad debitam vino conſiſtentiam conciliandam. Prout autem deinde hoc ſal ipſum magis vel minus fixum craſſumque exiſtit, prout vel quantitate vel qualitate peccat, eatenus etiam diverſa exinde oriuntur genera. Quod ad principium ſulphureum, per quod intelligimus id, quod flammam concipit, & cum fluoribus corporis noſtri nuptum calorem excitat, attinet, patet ejus in vino exiſtentia non tam ex colore quam odore & ſapore, inprimis autem comprobatur inflammabili illo, qui ignis ope ex vino elicitur, ſpiritu. Atque hujus ſulphuris, quod in muſto ſalinarum partium impe-

tum obtundebat, in vino officium non tantum eſt temperare nimiam ſalium actionem, ſed & vinum conſervare ne in acetum degeneret facile. Tum enim demum vinum acorem concipit, quando partes ſulphureæ aut arte, aut ſponte expelluntur, aut ſub dominium ſalinarum rediguntur. Pro diverſitate autem hujus principii ſulphurei, quod nunc tenerius atque ſubtilius, nunc craſſius viſcoſius atque terreſtrius exiſtit, vina quoque & quoad colorem, & quoad conſiſtentiam, & quoad effectum variant. Principium mercuriale ſi examinemus, per illud intelligere poſſumus, vel particulas oleoſas ſeu ſulphureas à ſalinis ſubtiliſatas exaltatasque, vel, cum HOFFMANNO ſæpius jam citato, principium aëreo æthereum; verba ipſius hæc ſunt: *Per principium ſpirituoſum ſeu mercuriale nihil aliud intellectum volumus, quam aëreo æthereum: ſubtile enim illud aëreo æthereum principium, ſicuti omnia corpora pertranſit, eorumque poros & interſtitia occupat, ita & illud idem apparet in vinis, in quibusdam in majori in aliis in minori copia. Patet illud ad oculum, quando vinum ex uno vaſe in alterum transfundimus, globulos enim aëreos copioſos ex fundo in forma bullularum in altum aſcendentes ipſumque aërem petentes non ſine jucunditate & oculis & naribus ſenties, Germani vocant* lufftige Weine. *Gaudent hoc elemento tenui & revera ſalubri vina, quæ liberam fermentationem ſubierunt, tunc enim rarioris fiunt texturæ & copia aëris & ætheris intermixti ipſa levia ſubtilia & rara redduntur, unde ſalubritate antecellunt ea, quorum fermentatio fuit de induſtria cohibita. Quod fit, ſi dolia ſemiplena firmiſſime obturantur, ubi fortiora quidem hoc pacto evadunt vina, ſed ob defectum ſubtilitatis & ſpiritus aërei minus ſana. Efficit etiam hic internus vini motus, ut vinum celerius venas corporis noſtri & emunctoria pertranſeat, unde recentia vina, utut majorem præ veteribus*

copiam

copiam terræ & ſulphur minus ſubtile contineant, nihilominus ob copiam inſolentis ætheris ſalubritate antiquis ſæpe numero ſunt præferenda. Ut autem hæc principia activa diluantur & in actione ſua adjuventur, neceſſarium fuit vehiculum aqueum, quod vino in exiſtere nemo negat, & analyſis Chymica manifeſto comprobat. Pro majori autem vel minori hujus vehiculi quantitate; vina nunc fortiora, nunc imbecilliora, nunc magis, nunc minus durabilia exiſtunt. Quod tandem principium terreſtre reſpicit, neque caput mortuum ſive illo deſtituitur vinum. *Non facilis equidem*, inquit HOFFMANNUS, *erit laboris res, Chymica aut quacunque alia analyſi ex ipſo vino ſiſtere ſolidum terreum principium, nihiloſecius quandocunque lentorem & viſcoſitatem, quam vina præſertim recentia ſæpenumero induunt, nec non illum mucum tenacem, qui circa orificia vaſorum ex vino miniſterio aëris generatur, conſideramus, fateamur neceſſe eſt, hæc ipſa effecta non niſi ſolido terreo principio, quod fluiditati contrarium eſt, deberi.* Interim tamen, teſte DISSERTATIONIS DE VINO HUNGARICO SOPRONIENSI Baſileæ habitæ authore, hoc principium terreum poſt omnem adhibitam per ignis gradum in deſtillatione curam in fundo vaſis deſtillatorii obtinetur, eique adhuc principium ſalinum fixum commixtum hæret, quod poſtea mediante elixiviatione facile ſeparari poteſt. Adde tartarum, quippe qui partes terreſtres in ſinu ſuo haud paucas fovet. Ex his itaque elementis compoſitum vinum, pro diverſa principiorum combinatione ut & ob differentes alias circumſtantias plurimas, varium quam maxime exiſtit.

Filius

Differentias vini ſi quis vellet omnes enumerare, facile deprehenderet verum eſſe illud VIRGILII:

Sed

Sed neque quam multæ ſpecies nec nomina quæ ſint,
Eſt numerus: neque enim numero comprendere refert.
Quem qui ſcire velit, Libyci velit æquoris idem
Diſcere quem multæ Zephyro turbentur arenæ:
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Noſſe, quot Jonii, veniant ad littora fluctus.

Deſumuntur autem principaliter diverſitates vinorum à colore, ſapore, odore, conſiſtentia, ætate & facultate ſive virtute, à loco etiam natali & uvarum ſpeciebus. Antequam autem de variis vinorum generibus faciamus verba, haud abs re erit, bonitatem optimi vini ejusque notas delineare. Illud equidem ante omnia non negamus verum eſſe ſæpius proverbium, quo dicitur:

Mit Jungfern/mit Pferdten und Wein iſt etwas gefährlich zu handlen/
Es kan ſich die Wahre gar leicht / vom Abend biß Morgen verwandlen.

adeoque per conſequens judicium de vino præconceptum facillime poſſe reddi vanum; verum quoniam & hoc à veritate non abludit dictum Harsdorfferi:

Es ſind drey harte W, das Weib/ die Würd und Wein/
Doch ſind ſie werth geacht/ wann ſie ohn Laſter ſeyn.

ideoque bonorum vinorum notas habere cognitas conducet. Qui jocos amant vinum bonum Cos, id eſt colore, odore & ſapore gratum eſſe debere clamitant, citatis in hunc finem Scholæ Salernitanæ verſibus:

Vina probantur odore, ſapore, nitore, colore.
Sunt odor atque ſapor, qui commendantur in omni
Vino; quod non acre ſapit neque dulce bibendum eſt.

Alii

Alii autem omnium ſenſuum approbationem requirentes, bonitatis ſigna in vocabulo Coſta quærunt, quia vina, præterquam quod colore elegantia, pura, clara & pellucida ut plurimum, ſapore ori grata, temperata, odore ſuaveolentia, debeant eſſe, etiam oportet tactu frigida, ad auditum vero ſonora, ſive ſtrepentia, cum promuntur, exiſtere. Quibus virtutibus celeberrimum noſtri Heliconis ſuo tempore ſidus SEBIZIUS addit ætatem mediam, & vim neque generoſam nimis, neque admodum debilem, accinentibus hic rurſus SCHOLÆ SALERNITANÆ AUTHORIBUS:

Si bona vina cupis, quinque hæc laudantur in illis:
Fortia, formoſa, fragrantia, frigida, friſca:

Et quidem quod frigiditatem vini externam concernit, illa vix non ab omnibus adamatur, & quidem quam maxime in regionibus calidioribus tempore æſtivo, ubi vinum vix hauritur, quin glacie quoque mediante frigidius redditum fuerit. Hinc celeberrimum iſtum Poetam Gallum Boileau, convivium, cui invitus deceptusque intererat, fatuum deſcribentem, dum etiam vinum glacie non nivatum bibere cogeretur, exclamantem audimus,

Bon Dieu, point de glace au milieu de l'eté.

Certe ſi vinum deguſtare velimus, calidum minime eſſe debet, neque tamen etiam exceſſive ſit gelidum, ſed frigus ſuum naturale obtineat. Præterea vina ſint friſca ſive levia. Talia autem cumprimis cenſentur, quæ effundendo ſonum efficiunt, ſpumamque agunt (qui mouſſent) præſertim in medio tenuem ac facile labilem vel evaneſcentem, vel per quorum ſuſurrum modo deorſum diſcurrentes ſalientesque conſpiciuntur atomi. Galli dicunt un vin petillant, le vin petille bien. Niſi autem ita affecta fuerint, pendula, zeh und weiche Wein vocantur, vel talia mox fieri ſolent, ac multo etiam magis ſi penitus ſono atque atomis deſtituantur; præſertim ſi ſpumam habent cum magnis ampullis ad ſcyphi latus diu hærentibus, tunc enim ſi non pendulum eſt, debile tamen admodum & imbre perfuſum eſſe dignoſcitur vinum. Obſervandum autem quam maxime ad notam hanc, qua vinum conſtat eſſe friſcum, efficiendam, quod debito modo celeriter & ſubito vaſis debeat infundi juxta illud,

Cerviſiam lente, vinumque infunde repente.

De ejusmodi ſaltante & granula in, extra & ſupra vaſculum etiam in faciem ſtatim bibentis projiciente, & huic contrario, hi antiqui & Leonini proſtant verſus:

Spuma boni vini medio ſtat, margine pravi.
Vinum ſpumoſum, cito ni fluat eſt vitioſum.
Clangit ſubtile fundendo, tacet tibi vile.
Dum ſaltant atomi, patet inde recentia vini.

Huc reſpicit quoque Otto Cremonenſis ita canens

Panis habens oculos, non monſtrans Caſeus ullos,
Et pulli ſtulti, piſcesque ſenes & adulti,
Et ſaliens vinum, lentum piper atque Cuminum,
Talis paſtura non eſt ſanis nocitura.

Qui denique ſingulorum vinorum partes eſſentiales & harum copiam exacte noſſe cupit, deſtillationi & analyſi Chymicæ debet vina ſubjicere, ſic enim facile rem explorabit. Optimum autem creditur, quod majorem copiam ſpiritus vini fundit, qua de re & Chymici & vietores & quidam etiam ex vinitoribus conſuli queunt. Subjicere hic lubet admonitiones quasdam iis, qui vina emturi illa rite deguſtare volunt, utiles, multæ enim ſunt vendentium aſtutiæ. Proponuntur autem hæ regulæ à GRATAROLO ſequentibus verbis. *Qui jejunus eſt, vinum ne guſtet, hebes enim ac ſtupidus tunc eſt guſtus, ſed neque à vini potu aut crapula id faciendum eſt. Oportet autem guſtantem, neque acres cibos, neque valde ſalſos, neque eos, qui guſtum comedentis immutant, præſumere, ſed quam pauciſſimo cibo uſum eſſe, eumque nondum concoxiſſe. Quidam emptoribus impoſituri, dolium novum habent, quod optime & vetere ac odoratiſſimo vino imbuunt: permanet igitur* (juxta illud, quo ſemel imbuta recens ſervabit odorem teſta diu) *ad multum tempus ea qualitas in ipſo, ut putetur odoris fragrantia vini jam immiſſi eſſe, atque ita decipiunt guſtantes. Quidam malitioſiores, caſeum veterem vel ſalſum & nuces in propatulo ante vinum deponunt, vel nucem moſchatam, vel caryophyllum, vel aliud boni ſaporis, ut ingredientes attrahant & illiciant ad talem cibum, quo*

exactius

exactius guſtus ſenſus (nam hæc ſapidius & dulce vinum reddunt) indè corrumpatur. Hæc nobis ſcripta ſunt, non ut ipſi faciamus (ſi Chriſtiani ſumus) ejusmodi impoſturas: ſed ne per tales circumveniamur. Oportet autem patrem familias aut villicum ſæpe guſtare & novum & vetus vinum, ſi quod ex ipſis detrimentum aut malum capiat: ut in tempore proſpicere poſſit. Si quis comederit acetoſa vel amara, deinde guſtet vinum non ita decipietur; ideo probatores vini probent ipſum in mane, quando laverunt os ſuum & linguam, & quando comederint tres aut quatuor bolos panis in aquam merſos, offam in aqua faciendo. Examinator vini multis vicibus ipſum examinare debet & diu in ore tenere ad probandum. Cum autem guſtas & ſtatim ejus ſentis acumen, eſt bonum & durabile vinum, in medio tamen vaſis melius habetur, inferius autem deterius. Si melle vinum, adulteratum ſit, illico dignoſcitur ſuper candens ferrum conſperſis guttulis paucis, reſoluto enim vino mel reſidet. Tenuior enim cum ſit vini quam mellis ſubſtantia, illo reſoluto, hoc manet. Facile porro eſt omnia vina adulterata metallicis dignoſcere, nam in calice horis relicta 24. fundum ob gravitatem petente metallo, vina inſtar vappæ colore relicto remanent. Hæc GRATAROLUS, quibus addenda merito, quæ habet LENTILIUS de cognoſcendis Vinis Saturno ſive plumbo fucatis. Liquores nempe Lithargyrio ſaturati, ſi vino auſtero vel acido certa proportione commiſceantur in momento & incantamenti ad inſtar dulce & potabile illud reddunt, præcipitato primum ad fundum pulviſculo albo, vino autem claritatem & priſci coloris jucunditatem recuperante. Ejusmodi autem fucata vina internecinos morbos producunt, ut diabolicum haut absque jure hoc vina dulcificandi artificium vocetur: optime indagantur per atramentum ſic dictum ſympatheticum ſolutione nimirum auripigmenti cum calce viva ſequendi modo parabili: Recipe calcis vivæ unciam unam, auripigmenti unciam ſemis, ſubtiliter pulveriſata & invicem mixta immitte vitro, *quod Chymici cucurbitam nominant*, & ſuperfunde aquæ fontanæ uncias quinque vel ſex, claude cucurbitam ſedulo cera eam obturando, & veſica ſuilla operiendo, digeratur calore leni per 10. vel 12. horas, cucurbitam interdum agitando, poſtea vero quum pulvis ſubſederit, liquor clarus decantetur. *Vinum* jam *quodlibet examinans Lentilius ejus ſcilicet vini unciam unam cum ſemiſſe in vitrum clarum infudit, liquoris autem ex auripigmento & calce guttas 8. vel 9. Si vinum nihil fuci continebat, ſedimentum quidem exhibuit ex albo flavidulum, ſed reliquus vini color intemeratus*

ratus manſit, qualis ante fuerat; adulteratum vero, licet idem ſedimentum depoſuerit, colorem tamen ita mutavit, ut pro fuci proportione vel ruberet magis vel fuſcum, imo in recenter adultis plane nigrum fieret. Conferantur ea, quæ dictus celeberrimus Medicus habet in IATROMNEMATIBUS THEORETICO PRACTICIS.

Ratione coloris, quam Phyſici à diverſa radiorum luminoſorum per partes corporum coloratorum hoc vel illo modo diſpoſitas tranſitu refractivo, aut eorundem à corporis varie modificatis reflectione deducunt, Chymici autem à principii ſulphurei copia majori vel minori, ejusdem hac vel illa conſtitutione varia oriri credunt, vina potiſſimum alia ſunt alba quæ etiam aminea, quaſi ſine minio, hoc eſt ſine rubedine, dicuntur, alia flava & hæc rurſus nunc aurea, nunc cerea, nunc flammea, nunc Glauca, nunc Helvia, nunc fulva &c. alia pallida, inter flavum & album media, & hæc vel ex pallido albicantia vel ex pallido flava; alia denique rubra eaque aut tenuia aut craſſa, & hæc iterum vel roſea vel ſcarlatina, vel carnea vel roſea, vel purpurea vel intenſe rubra &c. ad quod vinorum rubrorum præſertim tenuium genus pertinent ſic appellata Clareta, quorum quædam rubino dilutiori & vivaciori, quædam rubino coloratiori, quædam granato obſcuriori aut Amethyſto reſpondent; alia denique quæ intenſiſſimi ſunt ruboris nigra dicuntur vina; omnia autem, uti recte monet SEBIZIUS, aut remiſſius aut intenſius talia; in ſingulis quippe coloribus gradus obſervantur ſecundum magis & minus. Non poſſumus non hac occaſione meminiſſe peregregii illius vinum absque noxa colorandi artificium. Non ignoramus equidem plures dari methodos, ſed quæ tamen ut plurimum magna ſecum ferunt mala, dum inſignia in corpore humano producunt detrimenta. Proponendum autem modum tuto adhiberi poſſe experientia clarum fecit, & comprobabit ulterius. Aſſumitur videlicet ſaccharum, diſſolvitur in aqua, coquitur ad ignem, donec inſtar ſapæ rubicundæ evadat, imo poteſt etiam ſolummodo fundi atque ad ſaturam etiam rubedinem aduri: hujus jam pulticulæ aut ſacchari aduſti aliquid injicitur vino pallido colorando, ſicque pro majori vel minori ſacchari immiſſi copia non ſolum color flaveſcens & aureus ſed & rubicundus conciliari poteſt, qui etiam vix non ſemper durat. Imo, quod illis, quibus aliquando invitis quoque largius bibendum eſt, uſui venire poteſt, ipſa aqua colore nunc flaveſcente nunc rubro, vinum,

quod

quod hauriendum eſt, æmulo & quidem absque ulla fere vel odoris vel ſaporis moleſtia infici ita poteſt, ut fraudem non niſi guſtantes deprehendant. Odorem vina alia ſpargunt ſuaveolentem, uti ſunt vina v. gr. ex Uva Apiana ſeu Moſchatula confecta, alia peculiari gaudent odore, alia ſunt inodora ob partium craſſitiem, qualia habemus vina nigra: alia denique, ut cum SACHSIO loquamur, fœtidam exhalant mephitim & naribus ingrata exiſtunt, vel ex loci natalis paludoſi fœtidi vitio, vel ob corruptionem, vel dolii, aut conditura culpa. Sunt qui artificialiter quoque vel cum ambra & moſcho vel cum herba baſilici, floribus ſambuci, ligno aleos &c. gratum vinis odorem largiri conantur, ſed artificium bibentes ſæpiſſime maximo cum incommodo deteſtantur. Saporem alia vinorum genera (utplurimum tamen & vix non ſemper craſſiora,) dulcem, alia auſterum, alia acerbum, præſertim, quando ad maturitatem debitam non adeo pervenerunt uvæ, adeoque accedunt ad omphacium ſive agreſtam, ſuccum ſcilicet ex uvis immaturis expreſſum, alia acrem, alia acidum vel à primo ortu, cum jocante Poëta;

Nativum colles lachrymantur acetum.

vel cum villum tranſit in vappam & aceſcit, vel denique mixtum & hinc ſpecificum, à terra potiſſimum, in qua uvæ proveniunt, dependentem, referunt, qui ſpecificus ſapor multis vinorum ſpeciebus communis Gallis le gout du terroir, Germanis das ärtel nominari conſuevit. Qui vinis ſaporem artificialem conciliare ſtudent, varios tum laudabiles tum culpabiles adhibent modos. Omnium autem methodorum vinis dulcedinem inducendi maxime nefanda & abominabilis eſt illa, quæ fit mediante plumbo & hujus progenie Lithargyrio, uti ſupra jam dictum. Ratione conſiſtentiæ vina modo craſſa (Gallis vin gros) qualia pauca alba, plurima nigra tam dulcia, quam auſtera, rubra itidem; modo tenuia qualia imprimis alba, modo generoſa quæ πολυφόρα καὶ οἰνώδη, quæ multam aquæ copiam ferre queunt, modo intermedia quæ nec nimis generoſa nec nimis debilia; modo minus ſpirituoſa ὀλιγοφόρα quæ aquæ miſtionem minime ſuſtinent, nam ſi ὀλιγοφόρα copioſa aqua temperentur, ita vis eorum exoleſcit, ut ad potum etiam inutilia reddantur, nominantur alias etiam ὑδατώδη, aquoſa, quoniam colore ſubſtantia & facultate aquæ ſunt ſimilia; villi quoque nomine inſigniuntur.

Non omnino abs re erit, ſi jungamus hic ex JOH. BAUHINO ſequentem Vinorum differentiam.

Proprie ac ſimpliciter VINUM appellatur, quod ex vitis uvis expreſſum eſt ac nullius alterius mixturam admittit. *Vinum merum meracum, purum, putum,* ἄκρατος, ἀμιγὴς, εὔζωρος οἶνος, εὔζωρον μέθυ. Lauter/ ungemengter/ purer Wein. *Vin pur, point melé.* Laudatur ab Ovveno ſequentibus verſiculis.

Laudatur Vinum ſimplex, Cereviſia duplex,
Et bona duplicitas, optima ſimplicitas.

Vinum dilutum, lymphatum, ὑδαρὴς, gewäſſerter Wein/ vermiſchter Wein/ mit der Waſſerſtangen geſchlagen. *Vin trempé avec de l'eau.*

Villum, οἰνάριον, kleiner Wein/ Weinle. *Vinot, vinet, petit Vin.*

Vinum generoſum, nobile, ὀλιγοφόρος οἰνώδης ἐπάγωγος οἶνος, köſtlicher/ ſtattlicher Wein/ Wein der Feur hat/ Wein der Wein hat. *Vin delicat & friant.*

Vinum ignobile, cibarium, φαῦλος οἶνος, ὀλιγοφόρος, geringer Wein/ Tiſch-Wein/ Wein der keine Stärcke oder kein Wein hat. *Vin ordinaire, Vin de table.*

Vinum conſiſtens, ferens ætatem, firmum, αὐτόκρας, πράμνιος οἶνος, ὁ πρὸς παραμονὴν ἐπιτήδειος; beſtändiger/ daurhaffter Wein. *Vin durable.*

Vinum fugiens, exoleſcens, in vitium inclinans, ætatem non ferens, ἐξιστάμενος τραπίας, Wein der abfalt/ umbfalt/ abſteht/ umſchlegt. *Vin alteré & point durable.*

Vinum aceſcens, marcidum, vappa, ὀξίνης ἐκτροπίας, ἐξεστηκὼς, quod odorem saporemque genuinum exuit. Verrochener und verdorbener Wein. *Vin pouſſé & corrompu.*

Vinum pendulum quod lenteſcit; zäher/ welcher Wein. *Vin relant.*

Vinum hornum, hornotinum. οἶνος αὐτετὴς, heuriger Wein oder jähriger Wein. *Vin de cette année, Vin d'une année.*

Vinum bimum, διετὴς οἶνος, zwey jähriger Wein. *Vin de deux feuille.*

Vinum annoſum, edentulum, vetuſtum, πολυετὴς οἶνος, alter Wein. *Vin vieux.*

Vinum Helvolum Helvellum, medium inter album & ruffum, κιῤῥὸς οἶνος, ξανθὸς, Schiller oder Schilleter-Wein/ Claret. *Vin Clairet.*

Vinum atrum, rubeum, dicker rother Wein. *Gros Vin rouge, teinture.*

Vinum fragrans odoratum, flos Liberi. ἀνθοσμίας, εὐώδης, νεκταροσταγὴς, wohlriechender Wein. *Vin de bonne odeur, Sentant bon.*

Vinum

Vinum aromatites, ἀρωματίτης οἶνος, θύεσον πότον velut aromatica potio, gewürtzter Wein / Hippocras / *Hippocras*. Pertinet huc *Vinum coctum quaſi aduſtum cum Aromatibus remixtum & edulcoratum*, gebrandter Wein. *Vin brulé*.

Vinum patrium, vinum indigena, οἶνος αὐθιγενής, ἰθαγενής Land-Wein. *Vin du Pays*.

Vinum honorarium, γεράσμιος οἶνος, γεράσιος, Schenck-Wein/ Verehrung-Wein. *Vin d'honneur*.

Vinum præcium, præliganeum, ſive quod præ omnibus legitur & vindemiatur, ſive quod in uſum familiæ operarumque ex uvis ante juſtam maturitatem collectis fit, der erſte Wein im Herbſt. *Vin premier vendangé*.

Vinum operarium, quod operariis exprimitur, Botten- oder Knecht-Wein. *Vin de Manouvriers ou de famille*.

Vinum tortivum, βοτρυχίτης οἶνος, Preß-Wein. *Le Preſſoirage*.

Vinum factum, in dolia conditum, nec turbulentum amplius, doliare vinum, novum nec dum veteranum ac proinde vilius, Fuhr-Wein/ gefaßter Wein. *Vin paré*.

Vinum molle, lene, ἡμερίδης οἶνος, milder Wein. *Vin ſavoureux & aimable*.

Vinum aſperum, ἄγριος, harter Wein der rauch/ ohnlieblich und herb iſt/ *Vin rude, degouteux*.

Vinum mucidum, ronachtiger/muchlender Wein/ Wein der nach dem Faß ſchmeckt/ *Vin chanſi, moiſi*.

His differentiis addit dictus author expoſitionem harum formularum, *Vinum ſacco caſtrare, ſacco frangere, ſacellare, Vini vires emedullare*, σακκελίζειν, ἐνηθίζειν οἶνον, Wein durch ein Sack abziehen auff das ihm die ſtärcke vergehe / Wein lecken. *Vinum elutriare, Vinum de vaſe in vas transferre*, quod & *transvaſare* minus uſitate dicitur. Μεταγγίζειν τὸν οἶνον κατεράσαι, καταςαμνίζειν, *Eralater du Vin*.

Ab ætate vinum aliud dicitur Novum, quod non amplius muſtum eſt, ſed jam defæcatum, potuique aptum, appellatur etiam vinum juvenale à juventute, recens, hornum, hornotinum, unius anni, unde & à Jure Conſultis vinum novum dicitur, quod non eſt vetus, id eſt quod unum tantum habet annum & poſt quod nullum recentius extat, aliud ætatis mediæ, aliud antiquum ſive vetus & annoſum, quod longe ab ortu ſuo abeſt. Sicuti autem alia vina non ſtatim recentia

poſſunt in uſum trahi, ita etiam multa ætatem minime ferunt. Ita citius bibendum vinum rubrum quam album, quod magis durabile eſt, ita vix non omnia Galliæ vina primis annis v. gr. vina Burgundica & Campana eo ipſo, quo provenerunt anno, antequam recentius accedat, jam hauriuntur, cum è contra vina noſtra Alſatica & Rhenana requirunt, ut per tempus aſſerventur, quoniam ſucceſſive generoſiora evadunt, ſie ſeynd Lagerwein. Hinc quo vetuſtiora eo libentius potantur. Hinc magnifiunt der Sechs und Achtziger ſuperioris ſeculi, der Sechßer/ der Zwölffer/ der Achtzehner/ der vier Vier und zwanzìger &c. hujus ſeculi. Nimia autem ætas vinum reddit edentulum & male gratum. In noſtræ urbis Argentoratenſis Xenodochio tria vinorum genera, quorum primum An. 1472. tempore belli Burgundici, alterum 1519. quo anno Dux Würtembergicus Ulricus ditionibus exutus fuit: tertium 1525. quo ruſticorum rebellio facta conditum usque ad hæc tempora aſſervantur, ſemper, ſi parumper dolium depletum fuerit, vinum in minus dolium transvaſando, uti jam ZEILERUS annotavit. Si differentiam, quæ à loco natali provenit, conſideremus, tot vinorum genera, quot regiones, in quibus vites coluntur, fere exiſtunt. Imò pro patris & matris, uti SEBIZIUS loquitur, hoc eſt Solis & Soli ratione in una eademque regione vina colore, odore, ſapore, conſiſtentia & virtute plurimum inter ſe diſcrepant. Quæ in locis præſertim montoſis, Soli meridiano oppoſitis, fluminibus vicinis aut contiguis creſcunt, longe ſalubriora iis ſunt, quæ in planitie & à fluminibus diſſitis terris proferuntur. Sæpius quoque pro ſoli proprietate, cui interdum extranea admixta, utpote mineralia, Lapis calcarius, ſciſſilis, uligo &c. vitis etiamſi ſit optima ſpecies, alienum imo quandoque vitioſum alimentum contrahit, hinc ſimilem quoque ſuccum fundens, ut adeo bene dixerit PLINIUS; Tot vina ſunt pene, quot agri. Adde ulterius diverſas uvarum ſpecies, radiorum Solis, aëris, roris, imbrium copiam vel inopiam, vel culturam etiam diverſam, & inſignem rurſus vinorum invenies varietatem. Diffuſioribus nobis ſi eſſe liceret, poſſemus nunc quoque ad imitationem aliorum; præcipuorum in globi terraquei vel ſaltem Europæ partibus creſcentium vinorum enumerationem inſtituere, verum, ne nimium excreſcat ſermo, qualicunque eorum, quæ ab Argentinenſibus præcipue in uſum trahuntur, recenſione contenti erimus. Ante omnia nominanda ipſius Alſatiæ, cujus Argentoratum metropolis, vina; & quidem diſtinguuntur in vina Alſatiæ ſuperioris & inferio-

ris, Oberländer und Unter-Elſaßer/ ex quibus illa, quæ in tractu, das krumme Elſaß appellato, proveniunt, à multis vocantur die Hecken-Wein/ quoniam inter illa reperiuntur multa quæ parum ſunt generoſa, quamvis & haud pauca extent, quæ ſatis virium habent & aliis virtute non multum cedunt, qualia ex rubicundorum genere ſunt v. gr. vinum Marlenheimenſe & Blæsheimenſe imprimis, der Marlenheimer und Bläſenheimer Vorlauf; ex alborum Dorlishemenſe, juxta quosdam præſertim auß dem Altenberg/ Wolckshemenſe, & ſæpius etiam Küttelshemenſe imprimis ſi paulo ſit vetuſtius. E reliquis celebriora ſunt Barrenſia, & ex his der Kirchberger/ das neue Gewächß/ Mittelbergenſia, Andlavenſia, Dambachæa, Reichenvillenſia, Rappervillenſia & ex his die Edelwein/ die Mußcatellerwein/ die Aeſchen-Rößel-Wein/ der Zahnacker/ der tolle Hund/ Thannenſia, Rangana, (quæ mire prædicantur) Gebweilenſia, Kazzenthalenſia & quæ ſunt alia plura, quibus a multis adjunguntur Briſgoica. Sed cum natura humana novitatis rerum in aliis regionibus provenientium ſit avida, ideo & tum ex Galliæ provinciis, cum ex vicinis præſertim terris ad Rhenum, Nicrum, Moſellam &c. ſitis, ad nos etiam advehuntur varia vinorum genera. Ex Gallicis vinis, præter Frontiniacum & Sti. Laurentii, Muſcatellinum Lugdunenſe, Vinum Eremiticum, vin d'Ermitage &c. maximè in uſum veniunt Campanum, Vin de Champagne, cujus optimæ ſpecies habentur Vinum d'Hay, rubellum ſubtile, delicatum, palato gratum, & Vinum de Couſſy gratiſſimum enim & generoſum, Magnatibus expetitum: bibenda autem vina hæc ante dies caniculares potiſſimum, quoniam poſtea facile eorum bonitas minuitur; & vinum Burgundiacum, cujus generoſi & minus Aurelianenſibus vinis vaporoſi, ſpecies principaliores ſunt, Vin de Jacinthe, Vin de Volnec, de Nuit, imprimis vero vinum Belnenſe, vin de Beaune, generoſum, conſiſtentia mediocri, colore eleganti, ſaporis jucundi admodum, ita ut in proverbium abierit:

Vinum Belnenſe ſuper omnia recenſe.

Ex Germaniæ regionibus proſtant apud nos vina Moſellana, ſua lauda non privanda, vina Neccarina, vina Palatina, die Unterländer/ cujus generis ſunt Forſtiana, Edinghofenſia, Ambacenſia, Roteriana, Wormacenſia, & præcipue die Lieben Frauen-Milch. Omnibus

autem

autem ex Germania allatis haud absque injuria præferuntur vina Rhenani, ſive Rhingavienſia ad quæ pertinent Bacharacenſia, & omnibus fere palmam præripientia Hochheimenſia &c. quæ, ultima præprimis à Principibus etiam atque Magnatibus maximi æſtimantur, ſicuti in genere de vinis Rhenenſibus, ſi non omnibus, ſaltem pluribus verum eſt illud dictum:

Vinum Rhenenſe decus eſt & gloria menſæ.

Filius vitis, (quem aquam in ligno putrefactam appellitat apud PLUTARCHUM EMPEDOCLES dicens:

Οἶνος ἀπὸ φλοιοῦ πέλεται σαπὲν ἐν ξύλῳ ὕδωρ.

Vinum eſt putreſcens ligni ſub cortice lympha.

id quod tamen cum grano ſalis, σήψεως vocabulum latius adeoque non tantum pro putrefactione proprie ſic dicta, ſed & pro concoctione accipiendo) intelligendum, eximium Dei donum eſt, idque tale ac tantum, pronunciante SEBIZIO, ut neque menſæ lautiores, neque culinæ ſumptuoſiores neque Pharmaceuticæ officinæ probe inſtructæ illo carere queant. Vino certe nihil jucundius, & non immerito dicitur, quod potus ſit, qui cæteros omnes nobilitate & præſtantia ſuperet: tantæ ſunt ejus virtutes, ut ASCLEPIADES olim pronuntiarit, ne ipſos quidem Deos immortales commoda eius enumerare ſatis poſſe. Non jam verba de uſu vini, quem vel in ſacrificiis Judæorum, & Ethnicorum, vel in ludis, vel in nuptiis, vel in funeribus, in puerperiis, in Sacramento Euchariſtiæ præſtabat, faciamus, ſed potius, ea qua fieri poteſt brevitate, quæ mortalibus præbet bona, luſtrabimus, ſecuturi potiſſimum SACHSII veſtigia atque verba. Triſtitiam pellit ſanguinis augendo motum, ipſa ſacra Scriptura teſte, dum Pſ. 104, 15. & Syrac. 41, 20. Vinum

cor

cor hominis exhilarare, unde Sapiens quidam dixit, date potum his, qui in triſtitia, & ſiceram his qui in dolore. Vinum enim dulce eſt hilaritatis ſeminarium, curas abigit atque ſollicitudines. Vino cura fugit, ut ait OVIDIUS. Ita porro canens

Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos,
Cura fugit, multo diluiturque mero.
Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit,
Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit.

Vina porro quies ſequitur, animusque feſſus ſic placido demulcetur ſomno: TIBULLUS inquit,

Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert.
Adde merum, vinoque novos compeſce dolores
Occupet ut feſſi lumina victa ſopor.

Mentem quoque acuit, ſanguinem ſubtiliorem ſpirituoſioremque reddendo, phantaſiam cogitativamque facultatem adjuvat, homines ingenioſos, eruditos, loquaces, ſapientes atque acutos reddit vinum, juxta illud

Quando bibo vinum loquitur mea lingua Latinum,
Cum bibo bis vel ter, ſum qualibet arte Magiſter.

Ingenium quod excitet, (verba ſunt HOFFMANNI,) vinum, ex eo clariſſime intelligitur, quod ad Poëſin, quæ res ingenii eſt, mirifice diſponat. Perpetuo ab antiquitate creditum fuit, & ipſa res ita docet vini calore poëtarum furoren & im-

petum excitari , & Bacchi & Apollinis furorem unum eundemque eſſe. Experientia certe haud raro comprobat quod

Qui bona vina bibant, etiam bona carmina ſcribant.

Juxta Danielem HEINSIUM autem,

Felix qui modico perfundit nectare Muſas:
Caſtalias, quamvis Græcia laudet aquas.
Felix qui modicis indulgens hauſtibus, ignem
Ingenii vates ſuſcitat ipſe ſui.

Et pronunciante HORATIO,

Nulla placere diu nec vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

Qua de re etiam, in exilio Pontico, vino deſtitutus de ſe conqueritur OVIDIUS:

Impetus ille ſacer, qui vatum pectora nutrit,
Qui prius in nobis eſſe ſolebat, abeſt.

Unde immerito poëtarum princeps

Laudibus arguitur vini Vinoſus Homerus.

Sunt, qui in regionibus vino generoſo abundantibus, ingenioſiores propterea inveniri incolas, & hinc Græcos olim ob præſtantiam vini ſapientiæ parentes fuiſſe putant. Multi quoque reperiuntur, qui ardui aliquid excogitaturi, & medita-

ditationibus ſeriis vacantes merum & quidem paulo largius etiam appetunt. Vino porro prudentia conſtat &

Condita verax aperit præcordia Liber.

Quam ob cauſam, ad expiſcanda conſilia, Principes, Magnates atque Legati &c. ſæpiſſime hoc utuntur Latice, juxta illud HORATII:

Reges dicuntur magnis urgere culullis
Et torquere mero, quos perſpexiſſe laborant.

Alacres denique cordatos animoſos atque audaces homines reddit vini Nectar; quas virtutes omnes HORATIUS ſequentibus includit verſiculis:

Narratur & priſci Catonis
Sæpe mero caluiſſe virtus,
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro, tu ſapientium
Curas & arcanum jocoſo
Conſilium retegis Lyæo
Tu ſpem reducis mentibus anxiis,
Viresque & addis cornua pauperi,
Poſt te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.

Quibus ſi addamus quas in corpore humano tam ſano quam ægro exhibet utilitates, non poterimus non maximis ſuaviſſimum hunc Uvæ ſanguinem excipere laudibus, & cum SY-

RACIDE exclamare: Was iſt deß Menſchen Leben ohne Wein? *Cogitet videlicet quisquis prudens*, inquit HOFFMANNUS, *& cordatus, num in tota rerum natura detur convenientius remedium ad excitandum, augendum & promovendum circulum ſanguinis ipſo vino. Hoc amico ſua naturæ gratiſſimo ſpirituoſo ſulphure efficaciſſime vires motrices videlicet in corpore noſtro reſuſcitat, & impetum facientes partes adauget. Poſtea illud tenue acidum tartareum, ſpiritu vinoſo dulcificatum elementum, ſumma aperiendi, nec non roborandi, incidendi, ſimulandi & obſtructiones reſerandi facultate præditum, ut hac ratione motus progreſſivus procedere poſſit. Accedit & illa tenuis aquea vini pars, quæ diluendo, attenuando humorum craſſitiem, non levem ad promptiorem motum operam confert. Id omne oſtendit ipſe effectus, à vino enim bonæ notæ epoto mox intenditur calor, pulſus citatior & validior fit, ſanguis à centro ad circumferentiam movetur, facies fit rubicunda, vaſa turgida, augetur tranſpiratio, urina pellitur, & totum corpus cum ipſo animo reficitur & excitatur.* Quum autem porro nihil ſanguini humano magis ſit analogum quam hic alimento medicamentoſus potus, quid mirum, quod homines ab ipſa fere nativitate ipſum ſtatim appetant. Hanc vini & ſanguinis analogiam elegantiſſime deſcriptam ex aliis refert Sachſius his verbis. Comparant vini ab uva torculari expreſſionem, pelliculárem rejectionem & in cados infuſionem cum frumenti præparatione, maſticatione, in ventriculum immiſſione: hinc Ebullitioni vini & efferveſcenti muſto cum ſecretione fœcum reſpondent fermentatio & digeſtio ciborum in ventriculo, ubi partes excrementoſæ ad ductus à natura deſtinatos rejiciuntur; reliquum fit ſanguis. Dein ex vino per vaſa circulatoria extrahitur ignis naturæ quem comitatur humidum naturale, hoc eſt aqua vitæ ignea & ætherea tota ſpiritualis fere & incorruptibilis. Sic ex ſanguine beneficio caloris cordis & hepatis per circulationem nobis ſpiritus ille vivificus elicitur.

manens in deſtillatione vini phlegma, partim utile, partim inſipidum eſt, reſpicit humectantem liquorem, qui partim alimentoſus eſt, partim excrementoſus. Præterquam itaque quod vinum & alimenti vehiculum exiſtat & alimentoſas in ſinu foveat moleculas, & vires reſtauret, atteſtante vulgo, cum vult ſtatim vires reficere, medullam panis optimo vino intinctam exhibente, aut cum vino offam delicatam, quæ vippa dicitur (qua de SCHOLA SALERNITANA ait:

Bis duo vippa facit, mundat dentes, dat acutum
Viſum, quod minus eſt implet; minuit quod abundat.)

præparante: ne jam multa dicamus de vi ſitim ſedativa ſummam jucunditatem junctam habente, morbis quoque multis & præſervative & curative medetur. *Vinum*, inquit rurſus HOFFMANNUS, *eſt univerſale evacuans, nam per alvum urinam & ſudorem pellit, eſt etiam optimum ſtomachicum. Sacra etiam Scriptura teſte ad calorem & tonum ventriculi concurrit: Paulus enim Apoſtolus Timotheum, qui ex infirmitate ventriculi languebat, diſerte monet, ut ad propulſandum hoc malum vini medicum uſum ſibi haberet commendatum. Et vinum optimum aperitivum, ſanguinem depurans, quoniam per intenſiorem ſanguinis motum emunctoria recludendo, ſeparat ſcorias cujuscunque naturæ & generis excrementitias: unde nullum dubium, quin in malo hypochondriaco, in debilitate ventriculi, tumore & obſtructione hepatis & lienis, in calculo renum & veſicæ, in arthritide frigida, catarrhoſis variiſque defluxionibus, rheumatiſmo, laſſitudine & gravitate corporis egregiæ ſit efficaciæ. Item in perdito ingenio & memoria debilitata, auditus gravitate, viſus hebetudine, ſenſus ac motus ex defectu ſpirituum & nervorum imbecillitate, in venere virorum depreſſa ac ſterilitate fæ-*

minarum & quacunque frigida morboſa corporis intemperie, ſenes pituitoſos & ſeroſos exercente, ſi circumſpectus ejus fuerit uſus omnibus thermis, acidulis, aliisque remediis & curis longe multumque eſt præferendus. Certe ſi mortales ſcirent, quantæ virtutes ſalubres à benedicto naturæ Parente inditæ eſſent huic liquori, non inciderent ita in morbos, neque tanta pharmacorum ingratorum & etiam Medicorum copia egerent. Præſcribit ex hoc fundamento ulterius methodum citatus Author, juxta quam, eo quo acidulæ bibuntur modo, hauriri poſſunt vinorum imprimis Rhenanorum genera, poſt quorum per aliquot ſeptimanas, abſtinendo ab omni alio potu, uſum, plures mutato quaſi toto temperamento, inſigne robur & virium augmentum quoad omnes actiones experti fuerunt.

Regulæ juxta quas talis cura vini debet inſtitui has tradit. *Primo* corpora prius ſint præparata. Nempe ſi plethora adeſt, ea venæſectione tollenda eſt, ſi alvus eſt obſtipata & multæ viſcoſæ cruditates ac ſordes primam regionem occuparunt, eæ per ſalina & laxantia debita ſunt auferendæ. *Secundo* vina optima temperata tamen Rhenana aut Moenana, (aut etiam Alſatica) in uſum hunc trahenda ſunt. *Tertio* abſtinendum eſt ab omni alio potu, cereviſiæ, Spiritus Vini, cibi autem liquidi & boni ſucci, non crudi, non ſalſi, nec acidi, non calidi aromatici tunc temporis uſurpandi, ſed juſcula ex vegetabilibus alimentoſis præparata optime tunc conveniunt, & augebunt Vini energiam. *Quarto* Potio hoc modo inſtituenda: ſi ferre poſſunt ægri matutino tempore vinum cum aqua Swalbacenſi aut Dinſtenenſi (aut aliis acidulis) mixtum ad menſuram bibant, in prandio autem & cœna purum vinum pro ſiti non modo extinguenda, ſed & paulo ultra, nunquam tamen cum nauſea atque faſtidio, & ad minimum in principio de die duæ menſuræ vel tres (quæ tamen doſis paulo major videtur) impendendæ, ita tamen, ut ab initio

doſis

doſis minor poſtea ſucceſſive adaugeatur. *Quinto* ſi corpus a Vino nimium calefit, vel ſomnus impeditur, acidulæ dicto vino miſcendæ in cœna & prandio. *Sexto* alvus ſi exſiccetur prunorum, pomorum Borsdorffianorum, paſſularum, ficuum decocto, adjecta portione ſalis nitroſi vel arcani duplicati eſt ſolvenda. *Septimo* Tempore vernali ſeu Autumnali cura hæc debet inſtitui & per ſex ſeptimanas continuari. *Octavo* Caveant autem ab ea omnes qui copioſas & impuras, ſalſas, ſulphureas ſcorias in ſanguine habent, nempe ſcorbutici calidi bilioſi, arthritide vaga laborantes, ad Phthiſin, hecticam, hæmoptyſin, ſoporoſos affectus & epilepſiam diſpoſiti.

Vinum in multis morbis quoque convenit. Riſum utique mereri videntur moroſi iſti Medici, qui vix non in omnibus morbis ægris vino interdicunt, cum tamen poſtea potiones cordiales longe ſpirituoſiores & magis exagitantes præſcribant. Certe in ipſis morbis ſanandis Vinum divinam Medico porrigere manum ſatis atteſtatur modo dictus Hoffmannus quando ita ſcribit.

In febribus malignis vino nil datur excellentius, malignitas dignoſcitur ex motuum & virium defectu, nec non valde depreſſa ſpirituaſcentia ex tardo circulo ejusdem; quæ cuncta diſpoſitionem quandam cruoris ad putredinem deſignant. Igitur in iis morbis reſtaurare vires, ſpiritus erigere, circulum ſanguinis liberum reddere, tranſpirationem movere expedit, & in eo verſatur omnis alexipharmacorum virtus, quod autem vinum hæc præſtet omnia, experientia confirmat, qua conſtat plures ex malignis evaſiſſe ſolius vini moderato uſu. Conducit quoque in variolis & morbillis & ubi aliquid ad peripheriam corporis eſt expellendum, hoc Nectar, præſertim ſi natura ſit imbecillis & magnus æſtus & humorum ebullitio abſit. Teſtantur hoc ruſticorum infantes variolis laborantes, quibus parentes vinum

præ-

præſertim rubrum quandoque ad ebrietatem usque intrudunt, & è quibus non multi pereunt. Conducit præterea vinum in febribus continuis & intermittentibus.

In Syncope viriumque proſtatione nil vino præſtantius eſt, quia ſpiritus mire refocillat, cum exterius odoretenus exhibitum vel cordi & pulſibus applicatum omnibus aliis confortantibus & analepticis longe ſuperius ſit. Quid in aliis morbis valeat jam ſupra ex HOFFMANNO dictum fuit. Multi tempore, quo morbi contagioſi graſſantur, largiorem boni Vini commendant hauſtum juxta illud,

Niemahls nüchtern/ niemahls voll/
Thut in Sterbensläufften wohl.

Offertur hic occaſio pauciſſima dicendi, quodnam vinum in morbis ejusmodi ſit in uſum trahendum. Dicimus merito generoſum, quod tamen ſanguinem non nimium exagitet, quodque acidæ non nimis ſit naturæ. Laudantur propterea Vina noſtra Alſatica præſertim annoſiora ut & Rhenana. His autem merito præferendum Vinum Burgundum, quod & in hoc caſu nulli ſecundum, quoniam minorem copiam acidi poſſidet, & aquæ commixtum ſaporem ſemper retinet. Equidem & in noſtra Alſatia æque fortia occurrunt Vina rubicunda ac in Burgundia, ſed non ferunt aquam & ſaporem ſuum cum aqua commixta amittunt. Merito certe Vinum à quibusdam appellatur Aurum potabile Vegetabile. Vituperio quoque digna eſt illorum opinio, qui Nephriticis & arthriticis ſuadent Vinorum Moſellanorum & ex noſtris Alſaticis Dorlishemenſium tanquam oligophororum uſum. Cum ab horum uſu digeſtio potius depravetur, ventriculus labefactetur, humidum debitum per urinam nimium evacuetur, & cruditas acida coacervetur, concretionibus frequentior & amplior anſa præbeatur.

Externe

Externe quoque Vinum uſurpatur in morbis inflammatoriis, tumoribus, vulneribus, ulceribus &c. imprimis Vinum calefactum ſub Epithematum ac fomentationum forma prodeſt, partium obſtructos poros aperiendo, extenſas fibras laxando & confortando. Sacculi frequenter herbis præſertim aromaticis referti Vino incoquuntur, pro fovendis partibus & ſiſtendis doloribus. Herbæ porro traumaticæ incoquuntur vino & poſtmodum vulnera & ulcera eodem eluuntur. Sed quid opus eſt multa de his dicere, cum hæcce Lippis & tonſoribus nota ſint.

Ut autem vinum ſuam exerere poſſit bonitatem, illud, quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando, bene conſiderandum. Nemini autem ignotum eſt iſtud,

Vina bibant homines animantia cætera fontes.

Non autem cuilibet ſubjecto humano potus hic generoſus convenit. Senes, ut PLATO ait, ſicci ſunt & vinum illos humectat, frigidi ſunt & vinum calefacit, triſtes ſunt & vinum lætificat, paucorum ſpirituum ſunt, & vinum multiplicat ſpiritus. Haud absque ratione itaque vinum Lac Senum audit, Pueris è contra non admodum conducit, quia, uti rationem quidam Medici efferunt, pueri ſunt raris laxisque corporibus, & ob inſiti caloris exſuperantiam facile inflammari poſſunt, & ob imbecillos nervos facile convulſionibus tentari. Adultioribus autem, juvenibus & ætate conſiſtente vigentibus utique conducit vinum. Sunt qui ſexui ſequiori illud denegant omnimodo, ſed juſto duriores. Equidem vinum immoderatius ſumptum Armigerum & Hortatorem Veneris eſſe non ignoramus, ſed propterea non ſtatim fœminæ tam utili & neceſſario etiam potu ſunt privandæ, modo moderate hoc Nectar delibent. Quid bibendum unicuique

cuique patet, quale autem, jam indicandum. Vinum quum potiſſimum ſit nunc albicans, nunc flaveſcens, nunc rubrum, de rubro notandum, quod majori mole elementi ſulphurei imprægnatum eſſe velint, quam generoſum fulvum aut flavum, quod tamen experientiæ videtur contrariari. *Signum,* inquit citatus de VINO HUNGARICO SOPRONIENSI AUTHOR, *iſtius rei à colore depromere conantur, fallax certe illud, quia color non eſt pars vini eſſentialis, ſed tantum accidentaliter ei accedit. Hinc ergo potius credimus, illud abundare ſale magis vitriolico, aluminoſo, id quod ſapor auſterus, visque ipſius vini rubri adſtrictoria ſtyptica demonſtrare videtur, ſulphure etiam mediocri ſed maxime exaltato à particulis ſalinis imprægnatum eſt. Vulgaris hinc illa opinio falſiſſima notatur, qua quidem multi ſibi imaginantur, rubrum vini colorem (unice) è ſubſtantia uvarum rubrarum medullari aut carnoſa exprimi, cum tamen ſucculenta & intrinſeca earum caro albedini pulpæ uvarum albarum parum aut nihil cedat, hincque ſuccus ex uvis etiam maxime rubicundis leniter tantum expreſſus, albicans appareat, & nullatenus fere ruber. Verum ſi folliculos aut ſacculos hujus carnis membranaceos conſiderabis, invenies in illis ſane colorem tincturamque rubicundiſſimam. Unde fit, ut dum ſuccum vinoſum Vinitores exprimunt, ſimul tinctus membranularum ſuccus, adeoque color rubicundus exprimatur, isque dein ulterius quando ſuccus una cum racemis & vinaceis fermentationem ſubit, augeatur, atque è contrario, ubi talis fermentatio non bene procedit, inverſô modo res ſuccedere ſoleat.* Rubra autem vina frigida eſſe multi putant, ſed cum generoſiſſima ſæpiſſime reperiantur, quæ cito ſatis caput petunt, atque inebriant, qualia ſunt multa vina rubicunda Gallica, & quædam ex noſtris Alſaticis, hæcce opinio facile refutatur. Vina albicantia atque flava ſunt plerumque tenuia & calefaciunt, detergunt, diuretica & hydrotica exiſtunt, prompte in corpus etiam diſtribuuntur & ſæpe cito admodum illud pervadunt. Præferuntur itaque

nunc

nunc rubra, nunc albicantia pro diverſitate tum ſubjectorum, tum locorum tum affectuum &c. Optimi vini characteres hos tradit HOFFMANNUS (1.) ſalubre vinum eſt, quod grato & reficiente odore præditum, (2.) quod receptum & detentum in ore relinquit in lingua blandam adſtrictionem & ob penetrantiam nares & caput pervadit. (3.) Si pellucidum & clarum eſt elegantique colore præditum. (4) Quod citius pertranſit renes, & altero die madorem vel ſudorem quendam in corpore excitat, & concoctionem adjuvat. (7.) liberalius hauſtum & frequentius non ad calculum vel podagram diſponit. Adde (8) quod floribus (quos appellant die Blumen / die Kuhnen) non ſit refertum, & quod (9.) non ſit fucatum aut fumo ſulphuris nimis imbutum. Nontum videlicet eſt, quod ad conſervanda vina, ſulphuris fumus vel ſolus, vel cum aromatibus mixtus, der Einſchlag / der Brand / adhibeatur: dolia videlicet, antequam ipſis immittatur vinum, ſulphuris accenſi vapore, imbuunt, id quod das Einbrennen appellant, aut etiam ſi dolia non fuerint omnimodo repleta, ſpacium vacuum accenſi ſulphuris fumo implent, id quod vocatur, das Auffbrennen.

Quidam loco Sulphurati aſſumunt ſequens remedium.

℞. 🝆. Nuciſt. expr. ℥iß. 🝆 Caryophyll. ʒj. 🝆 Cinam. ℈j. Camphor. Moſch. ana ℈ß. probe invicem mixtis obducito linteum quoddam, & pro uſu Sulphurati adhibito. Alii loco hujus pretioſi aſſumunt ſequens.

℞. 🝆 Nuciſt. expr. ℥j. 🝆 Benzoes gtt. iij. Ceræ ʒj. Tereb. ℈ij. Cinam. ℈j. Caryophyll. aromat. ʒj. Poſtquam omnia rite ſunt mixta, adhibeantur ut antecedens. Quidam ipſum Spiritum Vini mixtum cum oleo aliquo aromatico e. gr. Caryophyllorum aut Nuciſtæ & in dolio incenſum maximas vires & efficaciam in ſulphurandis vinis exerere aſſerunt.

Illud autem quam maxime notandum, quod ſi vel in minima excedatur quantitate, cum non adeo iſte ſulphuris vapor amicus nervis & venis deprehendatur, multi à vinis ſulphuratis peſſime ſe habeant *Quam ob rem, dicente* HOFFMANNO, *nonnulli vel plane ab omni ſulphuris fumo abſtinent, & loco hujus accenſo thure vel ſuccino, aut aliis aromatibus, aut ſpiritu vini aromatibus imbuto accenſoque dolia implent, quæ res non eſt de nihilo. ſed maximopere commendanda.* Præferuntur hanc ob cauſam ab haud paucis, præſertim, ſi in cellis vinariis bibendum, quum caupones utplurimum ad vina reddenda fortiora, ſulphuri minime parcant, vina rubra: quippe quæ ſulphur non admittunt, ſed fumo nucis Moſchatæ imbuuntur. Laudantur hinc inter Alſatiæ præſertim Inferioris vina, ut quorumdam mentionem ſolummodo injiciamus, Wolckshemenſia, Mittelbergenſia Andlavienſia, Barrenſia & juxta quosdam Dorlishemenſia, modo non adeo ſint recentia, ſed paulo annoſiora. Ex Superioris Alſatiæ multa quidem laudantur, ſed haud pauca hoc etiam incommodi habent, uti ſunt imprimis Rappenvillenſia & Richenvillenſia illa, quæ dicuntur die Edelwein / quod dolores capitis cauſentur; & diſpoſitionem podagricam inducant facile. Probantur quoque quam maxime & vina Palatina, Neccarina, Moſellana & imprimis Rhenana, de quibus jam olim aliquod comparationem inter Franconica, Neccarina & Rhenana ratione virium inſtituens proverbium extat,

Francken-Wein / Krancker-Wein.
Necker-Wein / Schlechter-Wein.
Rhein-Wein / Fein-Wein.

Imo adeo celebria ſunt hæc è Rheno adjacentibus provinciis oriunda vina, ut celebre Lipſienſis Lycei quondam mem-

brūm AMMANUS illa pro maximo habuerit morborum remedio & publice haud erubuerit dicere:

Vinum Rhenanum eſt meum arcanum.

Germani de vinis Rhenanis hoc in uſu habent dicterium

Hochheim am Rhein / Klingenberg am Mayn /
Bacharach am Stein / da wächſt der beſte Wein.

Quibus auxiliis bibendum ſi quæras, varia ſe tibi offerunt poculorum genera aurea argenteave &c. quibus omnibus tamen anteponi merentur vitrea vaſa, claritatem & amœnitatem liquorum potandorum melius pompoſis iſtis atque ſumptuoſis crateribus, multis non adeo raro quoad hunc uſum nauſeoſis, ſiſtentia. Cur vino uti debeamus patet ſufficienter ex illis, quæ ſuperius fuerunt prolata. Quod τὸ ubi & quando concernit, cum SEBIZIO aſſerimus, Opportunum vinum aſſumendi tempus eſſe in prandio & cœna. Noxium enim, quod bibitur mane ſtomacho jejuno, quia caput petit, nervosque ferit, catarrhos provocat, hominemque ad ſtudia tractanda eo tempore plane ineptum reddit. Detrimentoſum etiam quod inter paſtus capitur, aut quod noctu hauritur. Concoctiones enim impedit & cibos crudos ſecum in genus nervoſum rapit, ſi ſcilicet plenis poculis fuerit aſſumptum. Excipitur autem hic quam maxime altera Natura conſuetudo. Hinc Gallos v. gr. ſingulis mane hauſtulum vini cum bucella panis innoxie aſſumere conſtat. Porro datur etiam caſus, ubi locum habere poteſt Salernitanorum præſertim rite explicatum conſilium:

Si nocturna Tibi noceat potatio vini,
Hoc tu mane bibas iterum & fuerit Medicina.

Nec peregrinaturis aut domo exituris tempore nebuloſo vel peſtilentiali, imprimis ſi jentaculum fuerit præmiſſum, denegatur hauſtus vini. Modum deinde quo & qua copia hauriri decet vinum, ſi luſtrare velimus, utique ſalubre laudamus conſilium SALERNITANÆ iterum SCHOLÆ Regi Angliæ ſuadentis, parce Mero, quæ enim nimia immodicaque Bacchici laticis aſſumpti copia ſecum vehat mala, ſub finem hujus expoſitionis breviter declarabimus. Modice itaque hauriatur vinum juxta corporis ac naturæ deſiderium & quidem juxta GRATAROLUM, ita ut cibus in ſicco non remaneat, neque vinum in ventriculo natet aut fluctuet. Sunt qui pro potu in prandio vel cœna concedunt libras duas, ſeu ſextarium, une pinte, eine halbe Maaß. Et quidem hæc quantitas adultis, & vitam non adeo otioſam viventibus haud inadæquata videtur, interim tamen nihil falſi dicit SACHSIUS, *quod quantitas pro ſubjecti & temporis diverſitate vinique natura ad amuſſim definiri nequeat, nec Cortaci Libella, nec Sanctorii ſella ſtatica opus ſit.* Sicuti autem non ſpernendum iſtud monitum quo ſuadetur, ne ſit:

Ante ſitim potus, nec cibus ante famen

ita quoque non una vice affatim nimis hauriri debet vinum, cum ex Salernitanorum mente,

Inter prandendum ſit ſæpe parumque bibendum.

Denique multis in uſu antiquiſſimis jam temporibus & hodienum etiam poſitum eſt, aquam vino, ut vis ejus nimia ar-

ardorque obtundatur, miſcere; imprimis cum antiquioris ævi pro ratione hujus vel illius regionis vina eſſent admodum generoſa & quæ mentem perturbarent, prudentiores parce admodum illis utebantur, & certo quaſi numero potiones circumſcribebant. ANACHARSIS uti refert NONNIUS in diætetico, *apud* STOBÆUM *primum poculum ſanitatis eſſe dixit, ſecundum Voluptatis, tertium contumeliæ, quartum inſaniæ. Huc* HORATIUS *reſpexit dicens:*

Qui Muſas amat impares
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates, tres prohibet ſupra
Rixarum metuens, tangere Gratia.

Præterea autem meracum bibere vix ſolebant, ſed nunc partes æquales vini & aquæ, nunc duas, nunc tres, nunc quinque partes aquæ, cum una vini miſcebant. Sic HESIODUS, ut vinum ſalubriter bibatur, hæc ſuadet:

Tres miſcebis aquæ partes, ſit quarta Lyæi.

Si autem dicendum quod res eſt, non ſemper opus eſſe videtur ut vina apud nos diluantur aqua. Conſulat ſibimet quisque hac in re, examinando & propriam corporis conſtitutionem, & vini indolem & alias circumſtantias, an meracum ferre poſſit nec ne.

Quum nihil fere proſit, quod non poſſit nocere idem, non mirum eſt, quod vinum, largius quoque nonnunquam hauſtum mirificos in corpore effectus producens, ſi nimia ingurgitetur copia & tempore non debito, maxima ſecum trahat mala.

Nam

Nam

Data tempore proſunt
Et data non apto tempore Vina nocent

Menti quippe caliginem inducit, rationem obfuſcat, homines, ebrios, furioſos & brutis animantibus quandoque ſimiles reddit. LUCRETIUS hæc vitia eleganter percurrit, dum ita canit:

Denique cur hominem cum vini vis penetravit,
Acris, & in venas diſceſſit deditus ardor,
Conſequitur gravitas membrorum: præpediuntur
Crura vacillanti; tardeſcit lingua; madet mens;
Nant oculi: clamor, ſingultus jurgia gliſcunt,
Etiam cætera de genere hoc, quacunque ſequuntur:
Cur ea ſunt, niſi, quod vehemens violentia vini
Conturbare animam conſuevit corpore in ipſo.

Hinc etiam EUBULUS, quem HUGO GROTIUS vertit, haud abs ratione hos pronunciat verſus;

Tres ego Crateras ſolos his queis cor ſapit
Miſcere ſoleo, ſanitati is eſt ſacer
Qui primus bibitur: alterum ſibi vindicat
Amor, & voluptas; tertium poſcit ſopor.
Quem poſtquam ebiberunt, qui eſſe ſapientes volunt,
Domum recedent: quartus Contumeliæ

Non

Non ultra noſter: quintus vociferantium.
Sextus nequitiæ, ſugillarum ſeptimus:
Octavus revocatoris: nonus bilis eſt:
Decimus furoris; tela ut mittantur quoque
Non Liber multus, parvo infuſus vaſculo,
Suos potatores facile evertit é gradu.

Quantum autem ſit vitium, & quanta labe inficiat animum, Ebrietas ſive voluntaria hæc inſania, Theologi ſatis demonſtrant, hanc matrem malitiæ & omnium vitiorum metropolim, ebrios, ebrioſoſque à poſſeſſione regni cœlorum excludere, vi verbòrum divinorum continuo inculcantes. Præterea corpori quoque maximum infert damnum. Non dicamus jam multa de abbreviatione vitæ. Nam

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

Sed potius, quæ, proh dolor, quotidie obſervantur incommoda parumper recenſebimus. Diſponit videlicet Inebriatio præſertim reiterata ad Somnolentiam, ſtupiditatem ingenii, febres, affectus catarrhales, capitis dolores, apoplexiam, epilepſiam, imprimis autem nervorum debilitatem, nephriticos, arthriticos & quos primario debuiſſemus nominare, podagricos inducit morbos, juxta illud:

Bacchus der Vatter / Venus die Mutter / Ira die Hebamm/
Die zeugen zuſammen das Podagram.

Latini ita canunt

Naſcitur ex Venere & Baccho ſolventibus artus

 Filia

Filia, quæ ſolvit membra podagra virum.
Ut Venus enervat vires, ſic copia Bacchi,
Et tentat greſſus debilitatque pedes.

Adeoque minime audiendi ſunt, qui gulæ nimis dediti ebrietatem quandoque ſuadent , quique dum ceſſant à vini potu, inſultus podagricos non ſtatim ceſſare cernentes exclamant :

Trinck ich / ſo hinck ich/
Trinck ich nicht/ ſo hinck ich doch/
Darum iſt beſſer getruncken und gehuncken.
Als nicht getruncken/ und doch gehuncken.

Neque auſcultandi illi, qui dubia incedunt mente neſcientes quid facere debeant, canentes:

Trinck ich Waſſer/ ſo henck ichs Maul/
Trinck ich Bier/ ſo werd ich faul/
Trinck ich Wein/ ſo werd ich voll/
Ich weiß nicht/ was ich trincken ſoll.

Neque debemus illos ſequi, qui ut invitent ad bibendum ſequentes in ore habent verſiculos.

Si bene commemini, cauſæ ſunt quinque bibendi,
Hoſpitis adventus præſens ſitis atque futura,
Et Vini bonitas, & quælibet altera cauſa.

Multo minus illos imitari debemus , qui magna repetitis vicibus hauriunt pocula illud in ore habentes ;

More

More Palatino bibimus ne gutta ſuperſit,
Unde ſuam poſſit Muſca levare ſitim.

Nam & hic valet illud:

Medium tenuere beati.

& ſicuti veritati quam maxime reſpondet, quod

Balnea, Vina, Venus corrumpant corpora noſtra,

ita quoque ab eadem etiam non eſt adeo alienum, quod

Conſervent eadem Balnea, Vina, Venus.

Efficit autem hæc mala vinum ſuis partibus ſulphureis & ſalinis ſanguinem nimis exagitando, inflammando, nobiliores partes ex corpore expellendo, craſſioremque hinc ſanguinem reddendo, eumdemque tartareis particulis referciendo, nervosque atque membranas corporis nimium irritando vellicandoque. Quum autem abuſus non debeat tollere uſum, ideo & nimis ridigos cenſemus illos, qui & poculum hilaritatis ſuo tempore hauriendum cohibere volunt. Audiamus hic HUGONEM GROTIUM MNESITHEI verba latine reddentem:

Bono Deûm
Obvenit vinum nobis, ingens bis donum,
Qui recte utuntur, aliis peſtis peſſima:
Alimentum namque præſtat recte utentibus,

Additque vires pariter animo & corpori.
Sed & ad Medicinam maximos uſus habet;
Miſcetur quippe poculentis remediis:
Opemque fert vulneribus præſentiſſimam
Quotidianis hominum in convictibus.
His qui bene temperatum, nec nimium bibunt,
Dat hilaritatem; ulterius inſolentiam:
Si par aquæ bibatur, etiam inſaniam,
Si purum, ſiderationem corporum.
Merito propterea Liber Medici nomine
Paſſim indigitatur, atque eundem Pythia
Juſſit vocare ſoſpitem.

Jungere his liceat EOBAN. HESSI carmina ſequentia.

Omne merum vires in corpore præſtat & auget,
Idque magis ſi ſit craſſius atque rubens.
Dulce nocet ſtomacho, quamvis alimenta miniſtret,
Conſulit huic melius, quisquis acerba bibit.
At minus hoc nutrit, multo minus alba ſed omni
Plus fulvum vino commoditatis habet,
Et ſiccum calidumque magis vetus omne recenti eſt,
Difficiles etiam ſolvere muſta ſolet.

Omnia

Omnia reſtituunt connatum Vina calorem
Et cito pars melior, ſanguinis inde venit.
Nam penetrat, partesque cibum partitur in omnes,
Membraque reſtituit, quæ tenuata jacent.
Languentis pellit ſtomachi faſtidia, & auget
Eſuriem, reficit, quos pituita gravat.
Bile per Urinas vacuat, redditque calorem :
Exhilarat mentes, robora firma facit.
Talia vina quidem modice data, commoda præſtant.
Immodice noli ſumere, ſumpta nocent.
Utque frequens nocet ebrietas, ſic rara juvabit:
Et ſumptum prodeſt evomuiſſe merum.
Invitant ſtomachum raræ bona pocula menſæ,
Plus nimio corpus multiplicata gravant.
Quod ſi nec fueris abſtemius, & nec aſotus,
Crede mihi, punctum quodlibet inde feres.
Nec mihi Clitorio quisquam de fonte loquatur :
Copia dum largum, fundat amica merum.

Omnia autem hæc cum grano Salis intelligenda ſunt. Utor rurſus SACHSIANIS verbis, quæ mea feci in diſſertatione mea de Vino, huic tractatui etiam nunc inſerta. Iis, qui me laudibus Vitis & Vini immodicis arguere vellent, vinolentiæ & vinoſum appellare, quod HOMERO objectum, reſponſum volo, ſit vinoſa &

Bibula charta licet, ſobria vita tamen.

Præter VINA NATURALIA dantur etiam VINA ARTIFICALIA atque FACTITIA gemachte/angemachte Wein/eaque tam medicata, quam alimentaria, de quibus ita diſſerit SEBIZIUS. Inter factitia alimentaria uſitatiſſima ſunt illa, quæ *operaria* dicuntur, quod operariis & famulis ſint deſtinata: Latini LORAM, ſive LOREAM vocant, quaſi lotam. Fit enim Lora ex vinaceis aqua dilutis. Græci τρύγα, Vinaceorum dilutum, Attici δευτερίαν ſecundariam, Aſiani ςεμφυλίτην appellant, ἀπὸ τῶν ςεμφύλων a vinaceis ſive ſolidis uvarum in torculari expreſſarum recrementis. Teutones Leyer/ Laur/ Traber-Wein nominant. Non omnibus loris vis eadem ineſt. Quædam enim meraciores ſunt ex aqua pauciore & vinaceis adhuc ſucculentis confectæ. Aliæ viliores, ex aqua multa & vinaceis accurate expreſſis peneque exhauſtis atque ſiccatis paratæ. Illæ vinorum ὀλιγοφόρων temperamentum imitantur; Hæ aquoſæ & frigidæ ſunt. Neutræ vinum dicendæ, niſi vinum ruſticorum & plebejorum nuncupare lubeat. Frigidis, otioſis, calculoſis, debilem habentibus ventriculum & qui facile tormina ventris patiuntur, lora congruere non videtur. Ad factitia alimentaria vina etiam pertinent ea, quæ non ad neceſſitatem, ſed ad voluptatem, ut gulæ blandiantur, Apicii conficiunt. Generea eorum, ſunt infinita, apud diverſas gentes diverſa. Noſtrates Alſatæ, dicente ſupra notato SEBIZIO, quotannis parant, quæ Beer/ Wetter/ Zittwenwein; Item quæ Morolff/ Räppis & Moſcateller vocant. Beer-Wein ex ſolis Uvarum acinis in dolium conjectis vinoque deſuper affuſo fiunt, interdum & aromata quædam ſacculo incluſa adduntur. Palato quidem placent, ſed ſanitati quandoque obſunt. Caput namque offendunt, prompteque ad ebrietatem hominem deducunt.

Wetter-Wein dicuntur ea, quæ certis in locis collocantur ſub dio, quæcunque etiam tempeſtas dominetur eum in finem, ut muſteam dulcedinem ſervent. Hæc quia perfecte non ſunt defæcata, tametſi ſapiant mortalibus viſcera obſtruunt, calculum gignunt, diu in præcordiis hærent, ad mingendum minime ſtimulant, in calidis ſiccisque naturis bileſcunt.

Räppis ex racemis ſeu Uvis integris ſuis conſtantibus acinis conficiuntur. Uvæ deinde in vinaria vaſa mittuntur, muſto aut vino veteri affuſo: & ſacculo interdum appenſo ſpeciebus aromaticis, groſſo modo tuſis referto. Grata quidem & ipſa, orique accepta, ſed eandem ob cauſam damnata, ob quam, quæ ex acinis parata.

Moſcatellina cordi & ventriculo conferunt, ſed ex iis ſalubriora videntur, quæ ex puro ſimplicique vino, quam quæ ex muſto vinove coctonvis affuſo concinnantur. Utraque enim ea habent vitia, quæ dulcia nec ſatis a faciebus repurgata. Pertinet huc Vinum Moſchatellinum adulterinum. Collige ſcilicet flores Sambuci, abjectis petiolis in aëre exſicca, in dolium, dum muſtum fervere incipit, ſacculum iis plenum ſuſpendito, tandemque flores abjicito & ſic ſaporem & odorem vini moſchatellini conficito. Aut recipe Glycyrrhizæ, polypodii, aniſi ana ℥ij. Nucis myriſticæ ʒiij. pulveriſa groſſo modo & in vinum immittito. Aut muſto ferventi Ocimum ſiccatum imponito, aut Gallitricum ſativum ſive horminum. Muſcatellinum rubrum conficies hoc modo. Collige flores Sambuci nondum plane explicitos. Horum recipe ℥iv. Cinam. ℥ij. coque cum muſto rubro. Dolores capitis inducunt talia Vina Apiana & fortiter inebriant.

Morolff/ Vinum eſt potens, rubrum, craſſum, dulce, fragrans. Fit ex optimo dulciſſimoque muſto ad dimidias tertiasve decocto & acinis uvarum rubrarum ſuperinfuſo: addito ſacculo longiori, cinamomo, zingibere, galanga, macropipere, granis paradiſi, caryophyllis, nuce mocſnata, zedoaria, cubebis, cardamomo & mace craſſiuſcule tritis farcto. Frigidis quidem tum Viris, tum mulieribus competit, præſertim tempore brumali. At ſanguineis, cholericis, pueris & juvenibus, maxime officit, & cumprimis æſtate.

Eadem fere ratio eſt vini, quod Zittwen-Wein vulgo dicitur. Nam & illud aromatites eſt, habetque eaſdem plane ſpecies infuſas in muſto ad tertias elixo. Confert ergo ventriculo, quem calefacit & ad concoquendum cibum facit aptiorem: Aëris quoque malignitati zedoariæ cauſa adverſatur.

Medicata vina tot ſunt quot ſimplicia, quæ infunduntur, eaque tum alterantia tum purgantia, ſimpliciora aut magis compoſita. Ex Alterantibus vinis de virtutibus ſimplicium participantia in Alſatia noſtra frequentoria & bene quotidiana ſunt ſequentia.

Vinum Abſinthites, Wermuth-Wein/ *Vin d'Abſinthe*. *Vinum Salviatum*, Salbey-Wein/ *Vin de Sauge*. *Vinum Enulatum*, ſive *Helenites*, Alant-Wein/ *Vin d'Aunée* *Vinum Roſmarinatum*, Roßmarin-Wein/ *Vin de Roſmarin* *Vinum Euphragiatum*, Augentroſt-Wein/ *Vin d'Eufraiſe*. *Vinum Juniperinum*, Wachholder-Wein/ *Vin de Genievre*. Vi-

num Cydonites alias *Melites*, Quitten-Wein/ *Vin de Coins.* *Vinum Cerasites*, Kirſchen- oder Weichſel-Wein/ *Vin de Ceriſes.* *Vinum Prunéolorum* ſylveſtrium, Schlehen-Wein/ *Vin de Prunelles ſauvages.*

Pertinent quoque huc VINA VERNALIA MAJALIA die Kräuterwein ex infuſione vegetabilium recentium præſertim parata. Hæc expetuntur partim ad depurandam maſſam ſanguineam, partim ex mente vulgi ad refrigerandum ſanguinem. Miras quandoque videre eſt & plane ridiculas talium vinorum formulas. Optima fiunt ex Radice Caryophyllatæ, Helenii, herba Pimpinellæ ſanguiſorbæ, herba Fragariæ, Hepaticæ nobilis, Matriſylvæ, Linguæ Cervinæ, floribus Borraginis & Bugloſſæ, ut & floribus Trinitatis. Farrago ingredientium non ſolum modo ſaporem ingratum conciliat, ſed & efficit ut ingredientia ſe invicem deſtruant.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Vinum Hippocraticum, Hypocras/ *Vin d'Hippocras.* Vinum eſſe ſtomachicum cordiale & roborans nemo ignorat.

Syrupus Vini præſertim *Malvatici*, Malvaſier-Syrop/ *Syrop de Malvoſie*; ſtomachicus atque cordialis habetur.

Species pro Vino Abſinthiaco, Species zum Wermuth-Wein/ *Poudre pour le Vin d'Abſinthe*, de his ſub Abſinthio.

SPIRITUS VINI.

Spiritus Vini eſt liquor volatilis Salino oleoſus, ſeu Sal volatile oleoſum, inflammabile ex vino ejusque fæcibus arte Chymica extractum, copioſo phlegmate dilutum, multi tum apud Medicos, tum apud Chymicos uſus, ne dicam de uſu Oeconomico Mechanicoque.

Naturam

SPIRITUS VINI, qui etiam AQUA ARDENS, non tantum quod flammam concipiat, ſed & quod deglutitus gulam quaſi adurat, item aqua vitæ, eo quod aſſumptus ſpiritus refocillet, Germ. Brandewein/

wein/ VINUM USTUM, VINUM ADUSTUM, VINUM IGNE ELIQUATUM appellatur, EAU DE VIE & quando rectificatur ESPRIT DE VIN audit. Definitio quatuor potiſſimum capita ſub examen vocanda nobis ſiſtit. I. Namque de materia ex qua paratur Spiritus Vini diſpiciendum. II. Methodus extrahendi perluſtranda, ubi ſimul etiam de rectificatione agendum. III. Natura indaganda, & denique IV. uſus atque virtutes recenſendæ erunt. Materiam quod attinet, ex qua elicitur Spiritus Vini, ex definitione patet eſſe vinum ejusque fæces, præſertim liquidas. Per fermentationem videlicet contingit quoque depuratio, partes namque craſſiores per hunc motum excluduntur, quæ ad fundum præcipitatæ, fæces vini die Truſen / Wein-Truſen/ LA LIE DU VIN dicuntur.

Perluſtrata materia modus Spiritum ex Vino extrahendi contemplandus venit, qui duplex potiſſimum eſt. Alter apud nos communiſſimus, fit deſtillando lege artis fæces vini liquidas per veſicam, liquoremque deſtillatum, ſi ita viſum fuerit, rectificando, ubi deinde nomine des doppelt Brands inſignitur. Alter fit vinum ipſum deſtillationi ſubjiciendo, quod in Gallia ſæpiſſime in uſu eſt. Replent nimirum veſicam cupream ſtanno probe obductam, aut cucurbitam vitream magnam debita vini quantitate, appoſitoque alembico atque recipiente, lutatisque probe juncturis leni igne deſtillationem peragunt, donec quarta vel tertia pars exierit, aut usque dum liquor extillans flammam non amplius concipiat; Hunc liquorem, cum copioſiſſimo adhuc ſcateat phlegmate, appellant Eau de Vie. Quam aquam vitæ reiterata deſtillatione, procedendo ſimili ac dictum modo, in ſpiritum exaltant. Præfertur hic Gallorum Spiritus Vini, ei, qui in noſtra paratur regione ad uſum præſertim Medicum, ob majorem gratiam atque ſuavitatem His modis aliam tanquam maxime notabilem ſpiritum è vino eliciendi methodum quidam addunt, quæ fit per deſtillationem, uti vocant, philoſophicam, dum vinum frigori ad congelaſcendum exponitur, ubi deinde in medio ſpiritus reperitur, cui Spiritus Vini philoſophici nomen imponunt. Utatur hac methodo qui vult, nos illam tanquam maximis laborantem incommodis rejimus.

Non ſufficit autem Chymicis Spiritus Vini ſimplex, ſed puriorem, à majori phlegmatis parte liberatum deſiderant, hinc reiterato ipſum deſtillant, rectificantque, Varie vero hæc rectificatio rurſus inſtitui-

tur. Hi citra ignem addito vel ſale tartari, vel cineribus clavellatis &c. ut nempe a ſale phlegma imbibatur, eum rectificare conantur. Illi mediante igne per cucurbitam, ita ut vel injiciant quoque aliquid aluminis, ſalis tartari, aut alius materiæ ſimilis, vel ſpongiam oleo olivarum per coctionem ab omni aqua prius liberato imbutam, rectificationem peragunt. Quidam loco ſpongiæ chartam bibulam duplicatam cum panno ſpiſſiori ſummæ cucurbitæ parti imponunt, alii panem ſimilagineum toſtum fundo vaſis injiciunt, alii ſupra ſarmentorum vitis cineres reiterato deſtillant. Egregia eſt machina ex ſtanno conflata, à variis circumvolutionibus ſerpentina dicta, & à laudato DN. LEMERY aliisque depicta. Nos absque ulla additione per vas vitreum ventris rotundi, collique perquam longi, quod phiolam κατ' ἐξοχὴν Chymici vocant, Spiritus Vini rectificationem optimo quoq; cum ſucceſſu inſtitui deprehendimus. Replevimus nempe talem phiolam, ita ut media circiter pars vacua fuerit relicta, adaptavimusque alembicum cum vaſe recipiente, lutavimusque optime juncturas veſica ſuilla, hinc deſtillationem moderato igne arenæ perfecimus. Qui primo prodiit liquor maxime jam erat ſpirituoſus atque alkoholiſatus, ut Chymici loquuntur, notasque Spiritus Vini optime rectificati præ ſe ferens, ſubſecutus deinde Spiritus debilior ob phlegma una aſcenſum: ubi dimidia pars extillavit ab operatione ceſſavimus. Præſtat tamen ſupra dicta machina.

Quod ſi placuerit, hic SPIRITUS RECTIFICATUS, rectificirter Brandewein/ Doppeltbrand/ ESPRIT DE VIN RECTIFIE, præſertim qui ultimo prodiit, bis aut ter, adhuc eodem, ut dictum, modo poterit deſtillari, ſic ſumme exaltatus evadet ſpiritus. Qui autem à multitudine laborum abhorrent, contenti eſſe poſſunt illo liquore, qui in prima rectificatione primus deſtillavit, quippe qui non multum inferior eſt eo, qui bis aut ter deſtillationem ſubiit. Notas SPIRITUS VINI SUMME DEPHLEGMATI atque ALKOHOLISATI, hoch rectificirter Brandewein/ ESPRIT DE VIN ALCOHOLISE quod concernit, ſequentes authores tradunt, quando accenſus totus deflagrat, nec quicquam phlegmatis relinquit, quando deſuper effuſus, antequam humum attingat, diſſipatur, & quando pulveri pyrio aut alii corpori combuſtibili affuſus atque accenſus deflagrando ipſum quoque accendit. Quibus adde quod notat HOFFMANN. IN CLAV. AD SCHROEDERUM, quod Spiritus Vini dephlegmatus oleo amygdalarum innatet, communis autem ſubſideat.

Naturam atque eſſentiam Spiritus Vini in definitione conſtituimus in ſale volatili oleoſo, inflammabili, cum multo phlegmate conjuncto. Salinas particulas mordicans atque penetrantiſſimus manifeſtat ſapor, juxta communem Chymicorum ſententiam, ſaporem principium eſſe ſal. Particularum harum ſalinarum, quippe quæ facile per calorem elevantur, volatilitatem, ſicuti nemo ex verorum Chymicorum cohorte negat, ita de earumdem natura valde inter ſe diſcrepant, ſummaque animorum cum contentione invicem diſputant Authores. Sunt nempe qui Sal in Spiritu Vini exiſtens acidum eſſe acerrime defendere conantur, uti ſunt præſertim KUNCKELIUS atque Van der BECK, iis præcipue innitentes rationibus, quod Spiritus Vini totus ſit inflammabilis, (omnem autem flammam ab acido eſſe, ſed minus recte exiſtimant;) quodque cum ſpiritu ſalis Ammoniaci, aut alio ſpiritu, vel ſale volatili urinoſo mixtus coaguletur, quam coagulationem ab acido, ſed minus firme deducunt; quibus Chriſtianus JOHANNES LANGIUS, celeberrimus Lipſienſium Profeſſor in not. ad coll. Chym. ex BOYLEI experimentis de ſanguine & ſero addit, quod ſpiritus vini ſanguini affuſus illum in momento in grumos nigricantes cogat: perinde ac videmus accidere, ſi liquor aliquis acidus eidem affundatur. Verum hæc alios non movent, ut huic ſententiæ aſſenſum largiantur, quin potius cum videamus Spiritum Vini, licet ſexies a Sale tartari abſtractum, neque inflammabilitatem, ut ita loquar, ſuam, neque vim ſpiritus urinoſos coagulandi deperdere, ſed effectus edere alkalinis competentes, (adhibetur namque ad ſpiritus acidos dulcificandos, curationemque ambuſtorum, juxta ipſos acidi patronos, ab acido flammæ productorum,) ex parte eorum ſtant, qui ſpiritum Vini de acido parum aut nihil participare, multo minus ideo inflammabilem ſuſpicantur; ut

ſunt BARNERUS in tractatu DE SPIRITU VINI SINE ACIDO, illuſtris BOHNIUS in epiſtola AD LANGELOTTUM, de alkali & acidi inſufficientia & ſupra laudatus DN. LANGIUS l. c. Deducenda autem ſpiritus vini vis flammam concipiendi videtur à particulis potiſſimum oleoſis atque ſulphureis, quibus ſcatet. Principium enim ſulphureum juxta Chymicos mixtis vim ardendi largitur. Eo inflammabilius autem ſulphur, quo magis per Sal volatile eſt exaltatum, licet Sal per ſe non ſit inflammabile, uti prioris phænomeni exemplum ſuppeditat, ipſe de quo ſermo eſt S. V. poſterioris vero nitrum. Quicquid autem ſit, ego non video, quomodo Spiritui Vini acidum denegar poſſit. Alteram olim fovebam opinionem, verum dum partim conſidero ipſum Vinum, cui acidæ partes revera inſunt, partim modum extrahendi contemplor, non video qua ratione partes illæ acidæ fuerint immutatæ. Accedit præter alios effectus præſertim vis ejus adſtringens hæmorrhagiasque ſedans. Quod phlegma attinet in ſpiritu vini, præſertim nondum rectificato, contentum, de eo nemo unquam dubitavit: imo ſi verum eſt, quod HELMONTIUS in tractatu, qui complexionum atque miſtionum elementalium figmentum inſcribitur, docet, per additionem Salis tartari ſpiritus vini ſumme dephlegmatus, quoad quindecim partes mutatur in phlegma, ſedecima vero abit in Sal volatile.

Reſtat, ut de viribus quoque atque uſu ſpiritus vini verba faciamus. Triplicem autem ejus uſum deſcribit eruditus DN. PHILIPPUS JACOBUS SACHS in ἀμπελογραφίᾳ, Civilem nempe, Medicum atque Chymicum; nobis de duobus tantum poſterioribus hic agendi animus eſt. A Medicis ſpiritus vini adhibetur interne æque ac externe. Interne ad capitis dolorem ſedandum, ad apoplecticos Lethargicosque excitandos exhibetur, ob Sal enim volatile oleoſum, quo pol-

pollet, roborat ſpiritus animales, eorumque motum promovet, ſimulque poros cerebri atque nervorum occluſos dilatat. Hinc omnes fere eſſentias atque aquas cephalicas ingreditur inter quas aquas non ultimum locum mereri videtur illa, quam b. m. Parens noſter publici juris fecit. Optandum tamen eſſet, ut in ejusdem præparatione exactiſſima ſemper adhiberetur diligentia. Refertur porro ſpiritus vini, & quidem jure meritoque in remediorum cardiacorum numerum, rarefacit enim ſanguinem, *quando*, ut cum WEDELIO de FACULTATIBUS MEDICAMENTORUM loquar, *in* ἐκλαμψει *ſua deficere videtur & debilis eſt, particulæ ſulphureæ & volatiles mercuriales & ſpirituoſæ, vel obtuſæ, vel non ſufficiente quantitate vigoratæ.* Pulmonibus quoque ſuccurrit, humores pituitoſos incidendo, ſicque difficilem reſpirationem tollendo; Hinc tot aquæ aſthmaticæ atque eſſentiæ pectorales cum eodem paratæ proſtant. Stomacho medetur, flatulentosque affectus curat, roborat namque calorem, digeſtionem alimentorum promovet, cruditatemque acidam & pituitoſam tollit, ac ut rurſus ſupra laudati DN. WEDELII verbis ex AMOEM. MAT. MED. utar, *Humorem ſtagnantem & vitioſe rarefactum diſplodit atque invertit.* Et ex his quoque potiſſimum rationibus ſtranguria à cereviſia novella, vino nondum probe defæcato &c. orta laborantibus prodeſt. Prodeſt quoque egregie in hypercatharſi, præſertim ab antimonialibus excitata, ubi practici cochlear unum aut alterum aſſumere jubent, certumque exinde auxilium ſpondent. Siticuloſis denique, qui ex æſtu aut labore tales exiſtunt, hauſtus ſpiritus vini convenit, *qui parte ſua volatili oleoſa temperat & extollit acrimoniam Salium ex defectu ſeri atque ſpirituum in laboribus diſperſorum ortam*, uti loquitur ETTMULLERUS de ſiti nimia. Externe ſpiritus vini cum pane recenti auribus applicitus ſonitum earundem tollit ob vim, qua pollet,

 car-

carminativam. Medetur ambuſtis, ſi ſtatim adhibeatur, particularum ignearum vim infringendo atque demulcendo, in motum humores ciendo & tranſpirationem inſenſibilem promovendo, atque ſic ſanguinis ſtagnationem impediendo. Pro cura etiam eryſipelatis adhibetur, quia acidum abſorbet, & prouti modo dictum, ſanguinis motum promovet. Egregium quoque remedium nervinum eſt ipſe Spiritus Vini, hinc membra paralytica, ſi eo foveantur, roborat, & in ſpaſmo pedum, defluxionibus catarrhalibus & contuſionibus prodeſt, diſſipando humores ſtagnantes, ſaliaque pungentia corrigendo. Quos effectus magis edit, ſi cum camphora conjungatur ſpiritus vini, unde medicamentum facillimæ quidem compoſitionis, ſed egregii & nunquam ſatis laudati uſus ſpiritus vini camphoratus dictum, prodit. In uſum quoque vocatur in ulceribus ob vim mundantem atque abſterſivam, ut & in vulneribus præſertim recentibus. *Siſtit namque ſanguinem in momento quaſi, ſpleniis eo tinctis aut plumaceolis vulneri applicatis; & ipſa labia intra aliquot horarum ſpatium firmiter iterum jungit.* Verba ſunt CLOSII in DISSERT. INAUG. DE SPIR. VINI. His ultimo loco ſubnectendus ſudorem, mediante ſpiritu vini exterius applicato, provocandi modus, nempe includitur totum corpus, excepto capite, cellæ ligneæ, Germ. Schwitz-Kaſten dictæ, ſubtus accenditur ſpiritus vini, ſic ſubtiliſſimi halitus elevantur, qui poros aperiendo, humoreſque fundendo ſudorem cient. Et hæ ſunt fere præcipuæ, quibus præditus eſt Spiritus Vini, virtutes. Cæterum quod ſuperius de vini abuſu monitum fuit, & hic quoque locum invenit, nam ſi immodice bibatur, ex *aqua vitæ facile fieri poteſt aqua mortis & ſtygia, majora etenim damna, quam vinum immodice hauſtum infert iis, qui quotidie in ſe ductum invergunt flammeum hunc liquorem*, prouti loqui amat SACHS. CONFER. CLOS.

Quod

Quod uſum tandem Chymicum Spiritus Vini attinet, ille egregius admodum eſt atque celebris. Inſervit namque in ſolutionibus vegetabilium plerorumque, habeturque pro appropriato ātque genuino corporum ſulphureorum atque reſinoſorum menſtruo. Hinc vulgo à quamplurimis Chymicis, menſtruis meris ſulphureis, ſed male, accenſetur, quippe partibus quoque refertus eſt ſalinis, effectusque à menſtruis pure oleoſis minime expectandos edit. Solvit quoque ſpiritus vini Salia volatilia, fixa vero totaliter non aggreditur, quamvis accedente digeſtione particulas quasdam ſubtiliores in ſe recipiat, uti patet in ſpiritu vini tartariſato: Dum enim ſpiritus vini à ſale tartari lege artis abſtrahitur, non ſolum ſpirituoſior redditur, quatenus ſal partem aquoſiorem imbibit, ſaporemque alium, & odorem gratiorem contrahit, verum etiam ſal tartari à deſtillatione relictum atque exſiccatum inſigniter pondere imminuitur, ita ut annotante celeberrimo DN. LEMERY uncia una cum dimidia libræ ſalis tartari deceſſerit. Et tali modo paratum atque exaltatum cum ſale tartari ſpiritum vini majoribus pollere virtutibus, proque extrahendis vegetabilium viribus ſpiritui vini ſimplici quamvis rectificato præferendum quam plurimi cenſent. Parantur autem cum ſpiritu vini, ob vim corpora ſulphurea diſſolvendi, multa medicamentorum genera, Eſſentiæ videlicet, Elixiria, Tincturæ, Extracta, reſinæ magiſteriales &c. Non minimum quoque Chymicis uſum præſtat Spiritus Vini in dulcificandis ſpiritibus acidis, horum vim corroſivam particulis ſuis oleoſis obtundendo atque ligando; uti præprimis in ſpiritu Nitri dulci videre eſt; Spiritus enim Nitri, vi corroſiva ſumma eſt præditus, fumum atque odorem fortem moleſtumque de ſe ſpargit, poſt conjunctionem autem cum ſpiritu Vini mitis admodum evadit, odoremque gratum emittit.

POMACEUM.

In Officinis Proſtant.

Præter ſupra dictum *Spiritum Vini rectificatum* & *rectificatiſſimum*, *Spiritus Vini Tartariſatus*, mit Weinſtein-Saltz rectificirter Brandenwein/ *Eſprit de Vin Tartariſé.*

Doſis a ʒß. ad ʒij. in liquore conveniente.

Spiritus Vini Camphoratus, de quo ſub Camphora dictum.

POMACEUM.

Pomaceum eſt ſuccus pomorum expreſſus per fermentationem vinoſus redditus.

Poma-

Pomaceum, Pomacium, Vinum Pomorum, vel ante fermentationem Mustum Pomorum, Aepffelmoſt/Aepffelwein/ Aepffeltranck. Cidre.

Hoc potulenti genus ex omnibus quidem pomis & ubivis locorum poteſt præparari; Verum in Normannia optimum conficitur, & quidem ex pomis in campis & hortis excultis. Poma hæc elegantiſſimi ſunt coloris, ſed ſaporis ſunt auſteri, acerbi, adeo ut comedi nequeant. Majorem copiam ſalis eſſentialis continent, quam poma exquiſiti ſaporis, verum Pomaceum exinde paratum diutius conſervatur.

Colliguntur poma tempore autumali, contunduntur & ſuccus prelo exprimitur, reponiturque ad fermentandum ut muſtum. Quando ſuccus ex pomis contuſis, ſed nondum preſſis colligitur, pomaceum quidem excellens obtinetur, illud tamen quod per prelum exprimitur, magis vinoſum exiſtit.

Optimum Vinum Pomorum paratur uti dictum in Normannia. Debet eſſe clarum, coloris aurei, odoris Pomorum jucundi, ſaporis ex dulcedine acris.

In Normannia eſt potulentum ordinarium. Inebriat eo modo ut vinum, ſed crapula diutius durat. Unde referente LEMERY, ex quo hæc deſumpta ſunt, ruſtici excedentes in hoc potu, quandoque per três dies ebrii permanent.

Pomaceum quo magis & quo diutius fermentationem ſubiit, eo fortius

fortius & ſpirituoſius, ſed minus dulce evadit; Celerius autem inebriat, ita ut propterea Cassetete vocetur.

Magmati reſiduo poſt expreſſionem affunditur rurſus aqua & poſt aliquam fermentationem rurſus exprimitur pomaceum debilius & minus acre, Petit Cidre appellatum. Eſt potus muliercularum imo ipſorum ægrotorum, humectat, refrigerat, & non ita inebriat ut prius Pomaceum.

Pomaceum deſtillari poteſt ut vinum, & aqua ardens etiam exinde elici poteſt, earumdem qualitatum ac Spiritus Vini, niſi quod debilior ſit, & quoniam inſuper, ſaporis eſt deterioris, ideo negligitur.

Pyraceum

Pomaceum dulce nutrit multum & quoniam moderate calefacit, ut ANDRY dans ſon TRAITE DES ALIMENS DU CAREME loquitur, conducit hominibus temperamenti frigidi & ſicci. Pomaceum vinoſum & ad acidum quaſi vergens, ſive ex pomis acidis ſit factum ſive cum tempore ſaporem talem contraxerit, eſt aquoſum, refrigerat, & non obſtante ſua virtute adſtringente cito tranſit. Conducit bilioſis & ventriculis æſtuantibus. Quod auſterum eſt pomaceum illud quidem minus humectat, attamen magis refrigerat. Pomaceum ex dulcedine acre, eſt admodum jucundum, ſed neque nimis novellum neque nimis vetuſtum bibi debet, quoniam multas cauſatur obſtructiones.

Vinum pomorum mediocriter maturorum tempore debito lectorum & non nimis diu aſſervatorum, omnium optimum. Humectat, nutrit, neque tamen caput admodum ferit, conducit reconvaleſcentibus & Melancholicis.

Pomaceum ex pomis ſylveſtribus cum aqua dolio incluſis factum neque ita gratum, neque ita ſalubre exiſtit.

Ex Pomaceo quoque paratur Acetum, quod nautæ præferunt Aceto Vini, quoniam non tam facile in mari corrumpitur.

PYRACEUM.

Eſt liquor vinoſus ex pyris expreſſus clarus, colore vinum album æmulans.

PYRACEUM, VINUM PYRORUM, vel ante fermentationem MUSTUM PYRORUM, Birnmoſt/Birnwein/Birntranck. POIRE', CIDRE DE POIRES.

Eodem modo paratur ac Pomaceum ſed non tam diu durat, poſt ſex namque menſes vigorem ſuum amittit, cum pomaceum per integrum conſervetur annum, imo per duos annos. Hoc quidem verum, quod Pyraceum ex pyris ſylveſtribus paratum, diutius non ſolummodo duret ſed & fortius ſit; interim minus etiam eſt ſalubre.

MUSTUM

Pyraceum, verba ſunt D. ANDRY ſuperius citati, multum reſpondet vino albo ratione coloris & ſaporis magiſque vinoſum eſt quam pomaceum.

Ventriculum roborat leniter adſtringendo, & qui laborant labefactata ſtomachi Chylificatione, meliorem effectum à pyraceo, quam à pomaceo, percipiunt.

CONSTANTIA PARTICULIS SALINIS VOLATILIBUS OLEOSIS CUM VIRTUTE LAXANDI.

Muſtum.
Sapa.

MUSTUM.

Muſtum eſt liquor ex contuſis in labro vinario conculcatis, torcularique ſubditis uvis maturis autumnali tempore debito,

debito, expreſſus, turbidus, ſaporem ob partes ſalinas ab oleoſis adhuc nimis ligatas minusque exaltatas dulcem præ ſe ferens.

Quoniam

MUSTUM dictum putatur quaſi MISTUM, quoniam omnia in illo ſunt confuſa Græci γλεῦκος appellant. Germanis Moſt/un verjähret er Wein/ Gallis MOUST audit.

Muſtum duplicis rurſus eſt generis, aliud præſtantius genero ſiusque, quod in lacum fluit, priusquam uvæ ſint calcatæ aut preſſæ, muſtum lixivum, protropium, der Vorſchutz/ der Vorlauff der Tropffwein dictum, cum quo in quibusdam locis etiam commiſcetur, quod pedum vi aliquali exprimitur ex uvis, quo de TIBULLUS & PROPERTIUS canunt dicentes:

Aurea cum preſſos pedibus dat uva liquores.

vel

Cum nova preſſantes inquinat uva pedes.

SACHSIUS appellat den Mitteldruck. Aliud vero eſt muſtum ſecundarium, quod prelo exprimitur, hinc tortivum dictum, der Nachdruck/ de vinaceorum, follicorum, ſcaporum natura participans. Generoſiſſimum muſtum, in vinum quoque generoſiſſimum tranſiens, fit, ſi omnes baccæ à ſcapis decerpantur, wann man die Trauben abbeert/ illæque ſolæ in ſolio contundantur, ſicque ſimplici conquaſſatione ſuccus eliciatur. Ita experientia teſte ex uvis Marlenheimenſibus vinum rubrum hoc modo obtineri poteſt, tanta vi pollens, ut potatores etiam maximos proſternat, longe hinc poſt ſe relinquens ipſum etiam muſtum primarium Marlenheimenſe den Marlenheimer Vorlauff. Succus hic ex uvis recenter expreſſus, uti bene notat SACHSIUS, principiis activis adeo copioſe turget, ut vix non ipſo, quo exprimitur momento, motum particularum maximum concipiat, efferveſcatque atque fermentationem ſubeat, id quod ſolent appellare das jähren/ der Moſt/ der Wein jähret. Neceſſum hinc eſt, ut dolia, in quibus muſtum ebullit, neque debeant in totum repleri, neque

 claudi,

claudi, quoniam ſub hac fermentatione liquor mirum quantum ſeſe expandit, adeo ut facile ex doliis effluat, aut clauſa vaſa quoque cum inſigni fragore perrumpat, unde & porro muſtum vel nondum vel recens fermentatum in doliis clauſis, quoniam ſic motus fermentativus reſuſcitatur quaſi motu iſto externo, non debet vehi, ne iſtud tritum inveniat locum.

Die Pferde werden hinckend/
Die Fiſche werden ſtinckend/
Der Wein ſtößt dem Faß den Boden aus/
So laufft der Kauffmann zum Thor hinauß.

Imo hæc muſti effervescentia tanta eſt, ut quidam in cellis, ubi magna muſti ferventis copia aſſervabatur, ob halituoſa ſtupefacientia & ſuffocantia effluvia, quæ gas appellitat HELMONTIUS, mortem invenerint. Sic SACHSIUS refert ex MAJOLO, quod etiam, ſi muſtum in lacu remanſerit, aliquantulumque ferbuerit intuentium deſuper caput petat, ut percuſſo cerebro præcipites ruant, & niſi ipſis ſubveniatur, extinguantur; id quod confirmat ulterius per Borellum cent. 2, obſ. 4. in Gallia, in urbe Caſtrenſi, à vaporibus vini calcati 1652. quinque ſucceſſive ſuffocatos, ſextum ægre in vitam revocatum fuiſſe, narrantem. Neceſſaria autem quam maxime eſt hæc muſti fermentatio, quo liquor exaltetur parteſque utiles & ſubtiliores ab inutilioribus & craſſioribus ſegregentur, ſub motu enim particularum non inteſtino tantum ſed ſatis ſenſibili, ſalia in muſto latitantia à particulis, quibus involvebantur, ſulphureis ſe liberantia, has partes oleoſas penetrant, dividunt, ſubtiliſant, exaltant atque in ſpirituoſam convertunt ſubſtantiam, ſimul partes heterogeneas excludendo, quæ ad fundum præcipitatæ fæces die Truſen/ Wein-Truſen appellantur, lateribus autem doliorum adhæreſcentes tartari des Weinſteins nomine veniunt. Requiritur autem ad hanc muſti fermentationem quantitas inprimis ſufficiens phlegmatis, quo ſalia eo melius exaltari queant. Si enim talia non bene fuerint diſſoluta, nec partes ſulphureæ rite exaltantur, vinum minus ſpirituoſum & dulce adhuc magis evadit, fermentatione ſcilicet exiſtente imperfecta. Sic parantur hoc modo, teſte Lemery, vinum moſchatellinum in Gallia, & vinum Hiſpanicum;

nempe

nempe aut uvæ poſtquam maturerunt adhuc in vite exiſtentes, inciſa ad dimidium vel contorta ſuperna ſcapi parte, mediante calore Solis quoad partem exſiccantur, aut poſt expreſſionem ſucci ex uvis humiditatis quædam pars evaporatur, ſic enim quum non adſit ſufficiens vehiculum in motum debitum partes adigens, partes oleoſæ non ſatis exaltantur, ut impediant actionem ſalium, nec ſalia liberantur ſatis à ramoſis olei partibus, unde papillulas linguæ grate atque leniter tantum titillat liquor, ſaporemque dulcem adhuc imprimit. Paucam autem admodum ſpirituum quantitatem ejusmodi vinorum genera ſuppeditant, eo quod ſpiritus in oleo per ſalia exaltato præſertim conſtant. Fluit ex hoc fundamento iſta vinum dulce parandi, ſeu muſtum dulce conſervandi methodus, die gekochte und geſottene Wein und Beeren-Wein zu machen. Habemus propterea dum muſtum per abſumptionem humoris craſſeſcit, Rob Sapam & Defrutum, den geſottenen Wein/ das Traubenmuß. Requiritur deinde ad muſti fermentationem recte peragendam liberior aëris athmosphærici, quippe qui motoris officio egregie fungitur, acceſſus; quo impedito particulæ ſucci uvarum in motum debitum rapi nequeunt, unde oleoſis partibus præ ſalinis adhuc dominium obtinentibus non poteſt non dulcedo remanere. Hinc muſtum, ut ſemper dulce tanquam recens permaneat, in amphoram præſertim novam oblinitam & impicatam, ne quicquam vel aëris, vel aquæ introire poſſit, immittitur, & vel in piſcinam frigidam & dulcis aquæ ad fundum usque & ne ulla pars emineat, mergitur, vel defoditur muſtum in doliolis duplicatis & ſi placet etiam picatis ſub terra, ibidemque per aliquot tempus relinquitur, ſic enim vinum retinet dulcedinem, quem alii aliis modis conſervare ſtudent, injiciendo vel fruſta caſei vel farinam ſeminis ſinapi vel erucæ, vel gypſum, vel marcaſitam, vel etiam limaturam Martis ſeu ferri, dum enim partes ſalinæ acidæ muſti agunt in ferrum illudque rodunt, cum reliquis particulis ſibi contrariis non congrediuntur, unde fermentatione ceſſante nulla quoque poteſt ſaporis fieri immutatio. Tacemus nunc alia muſtum dulce retinendi vel per ſpiritum vini, vel mel aliasque res addendas, artificia.

SAPA.

Quoniam muſtum, antequam fermentationem ſubeat,

ſpiritus valde debiles obtinet , quia omnia in eo adhuc confuſa , unde ſcilicet etiam muſtum quaſi miſtum vocatur , ideoque non tam inebriat ac vinum, præterea ob particularum heterogenearum pugnam purgat , diarrhœas excitat, flatuumque copiam gignit,

Impedit Urinam, muſtum ſolvit cito ventrem
Hepatis ἐμφράξιν *ſplenis generat Lapidemque.*

ut inquit SCHOLA SALERNITANA, præſertim illud muſtum , quod fæces habet terreſtriores , reperitur quippe & muſti ſpecies , quæ fæces continet mordicantes & abſterſorias, cujusque ſubſtantia tenuior eſt, quale eſſe ſolet vinorum Rhenenſium muſtum,juxta eandem Scholam dicentem.

Provocat urinam muſtum cito ſolvit & inflat.

SAPA.

Eſt muſtum plurimum coctum & quidem eo usque donec tertia ſolummodo muſti pars ſuperſit.

Sapa

Sapa à ſapiditate dicta videtur, quod ſuavem gratumque ſaporem habeat. Græci eam ἕψημα, παρὰ τὸ ἕψειν, quod coquere & elixare ſignificat, appellant. Vocatur etiam vinum coctum, geſottener Wein/ Vin Cuit. Dicitur porro σιραῖον, Siræum,

Sapa, Defrutum & Carenum, diſcrepaut inter ſe decoctionis modo. Nam ſi muſtum ita coquatur, ut una illius pars maneat, & duæ conſumantur Sapa dicitur. Si pars illius ſuperſit dimidia, altera vero dimidia igne ſit abſorpta, Defrutum appellatur. Si denique una tantum muſti pars conſumatur & duæ reſtent Carenum nuncupari apud veteres conſuevit.

Sapa, docente SEBIZIO, vim habet calefaciendi non tamen æque ut vinum. Eſt vero vino craſſior, minus facile diſtribuitur, tardiusque per urinas exit, per ventrem vero ſubinde citius, hunc enim modice ſolvit. Nutrit autem valenter. Verum hepati atque Lieni non usque adeo commoda eſt. Commoda vero pectori atque pulmoni: quoniam crudorum humorum concoctionem & expurgationem promovet. Ita tuſſientibus anhelantibusque idonea. Ex boni ac generoſi Vini muſto præſtantior eſt Sapa, ex tenuis vero & oligophori imbecillior & minus efficax.

Sunt qui ex Sapa & Vino utrisque Hiſpanienſibus certa proportione permixtis vinum faciunt miſcellaneum, quod pro Cretico, vulgo Malvatico nuncupato, ſubſtituunt venumque exponunt.

SUCCI SALE ACIDO CONSTANTES.

Omphacium.
Acetum.

OMPHACIUM.

Eſt ſuccus liquidus, conſiſtentia vino ſimilis, ex uvis immaturis expreſſus, coloris viridicantis, ſaporis acidi & adſtringentis.

Refri-

Vocatur à Græcis ὀμφάκιον, quia ſuccus eſt uvæ acerbæ, nondum matureſcentis, quæ iisdem ὄμφαξ dicitur. Alias vocatur AGRESTA. Agreſt / unzeitiger Trauben-Safft / VERDJUS, ou JUS VERD.

Olim

Olim inſolabatur ſuccus ex uvis acerbis atque immaturis expreſſus, usque dum fuerit denſatus & reſiccatus, qui tamen hodie exolevit.

Qui in magna quantitate Omphacium parant, ſuccum prelo expreſſum in vaſe reconditum inſolant, vel tepenti reponunt loco, usque dum ſordes à ſe abjecerit & fœculenta reſederint. Tum parum illi Salis additur inque uſum aſſervatur.

Refrigerat, ſiccat, & adſtringit, ventriculum roborat, vomitionem arcet, nauſeam cibique faſtidium abigit, appetitum ad comedendum invitat, alvi fluxus cohibet, viſcerum ardores contemperat, ſed obſtructis, ut SEBIZIUS loquitur, hepati & lieni minime prodeſt, quoniam ſtringit.

Adhibetur, ut condimentum, carnibus ac piſcibus, gratum & ſat frequens.

In Officinis Proſtat.

Syrupus Agreſtæ, aut *de Agreſta*, unzeitiger Traubenſafft-Syrup/ *Syrop de Verjus*. Adſtringit, refrigerat, ſiccatque potenter. Ideoque à putredine vindicat, & peſti quam maxime reſiſtit. Ventriculum firmat, prægnantium picam dejicit, intemperiem calidam ſtomachi, hepatis ac renum alterat, ſitim inexpletam delet, venenis adverſatur. Febribus bilioſis bene facit: Choleræ morbo ac diarrhœæ, corpore prius purgato, medetur. Sumptus poſt cibum vomitiones enormes ab æſtuante bile profectas ſiſtit.

ACETUM.

Acetum eſt liquor acidus ex Vino, mediante exhalatione imprimis autem depreſſione particularum oleoſarum atque ſpirituoſarum ab acido Vini terreſtriori potiſſimum atque fixiori facta, productus, Medicis æque ac Chymicis inſerviens, ſeu ut alii illud definire malunt, Acetum eſt tartarus in fluorem redactus, à phlegmate ſuo ſolutus.

ACETUM dicitur quia acutum, vel quia aqua mixtum. Rectius, docente SEBIZIO, dicitur, quia acidum. Græce ὄξος, Germanice Eſſig/ Gallice VINAIGRE audit. A quibusdam vocatur VINUM CORRUPTUM, VINUM MORTUUM, VINUM NEQUAM, VINUM CULPATUM, VINI CADAVER. Facile vero vinum corrumpitur, cum Cella Vinaria Solis radiis eſt expoſita, aut cum dolia non ſunt plena.

In definitione Aceti quatuor capita conſideranda veniunt, materia nempe, generatio, natura, atque virtutes aceti ſive uſus.

Acetum ortum eundem cum Spiritu Vini, a Vino nempe nanciſcitur. Proſtant quidem & alia acetorum genera, quæ originem ſuam vino non debent, ſed quæ ex cereviſia præprimis, pomis item, Pyris &c. parantur, qua de re conſulendus Claudius Deodatus Panth Hygiaſt. Verum hic agitur tantum de Aceto Vini, quippe quod apud nos commodius haberi poteſt, & reliquis Acetorum generibus palmam præripere videtur. Varium autem eſt acetum Vini, differt namque pro ratione vinorum, è quibus progignitur; quo generoſius vero vinum, eo fortius inde provenit acetum. Celebre præ aliis eſt acetum noſtras, ob maximum quem & abſque præcedente rectificatione præ ſe fert acorem. Generationem aceti conſiderantes minime facere poſſumus cum GALENO ejusque aſſeclis, qui per putrefactionem acetum fieri, ideoque nihil aliud eſſe quam Vinum putrefactum contendunt, neque iis in totum aſſentimur, qui particulas ſpirituoſas ſive ſulphureo ſalinas volatiles omnes exhalare, ſicque demum acidas dominium nanciſci ſtatuunt, præſertim cum videamus vina in acetum pene degenerata quandoque reſuſcitari, & in bonum vinum rurſus tranſire; in locis aceti confectioni deſtinatis ſpirituum ſulphureorum exhalationes non percipi; vina generoſiora fortiora quoque aceta ſuppeditare; aceti præparationem in vaſe ſive dolio, in quo olim Spiritus Vini fuit aſſervatus, felicius ſuccedere, acetumque acrius evadere; & ſpiritum inflammabilem ex aceto rurſus extrahi poſſe, uti videre eſt in præparatione Spiritus ardentis Saturni, quem non à plumbo, ſed à Spiritu Vini in aceto latitante dependere demonſtrant Chymici. De cætero de modo allegatis rationibus conferri inter alios meretur BOHNIUS in DISSERT. CHYM. PHYS. nona, quæ agit de fermentatione. Interim tamen neque ex eorum, qui nullas plane particulas avolare credunt, parte ſtamus, licet enim probabilis admodum videa-

tur opinio BILLICHII, KERCHERI, WILLISII, BOHNII &c. *dum acetum*, verba ſunt BOHNII, *per particularum ſulphurearum depreſſionem & ſalinarum in fluorem redactionem produci aſſerunt*: *i. e. Salia mediante materia ſubtili & aquæ inſitæ rarefactæ, & in ſpicula ſumme exigua atque acuta attenuata oleoſam concreti ſubſtantiam diſſcivere, ſibique implicare, ut hæc illis involuta acrimoniam equidem harum intendant, haud tamen indolem naturalem odore, ſapore, & inflammabilitate oſtendant.* Licet inquam ſententia hæcce non careat fundamento, ſpiritum tamen quorundam ſulphureorum exhalatio addenda videtur, id quod methodus acetum parandi in noſtra hac urbe uſitata ſatis comprobat. Et hæc de generatione aceti ſufficiant.

Inſequitur modus acetum parandi, qui multiplex eſt. Alii nempe muſtum cum æquali aceti portione confundunt, id quod deinde quidam acetum dulcificatum vocant, alii vinum generoſum in dolium, in quo acetum vel Spiritus Vini etiam olim aſſervatus fuit, infundunt, deinceps radiis ſolaribus exponunt, aut ad focum ponunt, alii vinum prius bullitum deſpumatumque in vas vinarium conjiciunt, & in loco calido detinent. Calor enim quam maxime aceti promovet generationem, quippe qui non ſolum partes ſpirituoſas in auras abigit, ſed & motum inteſtinum egregie promovet, parteſque ſalinas exaltat. *Certe quicquid*, uti bene monet LANGIUS in NOTIS ad COLL. CHYM. *Oleoſarum & Sulphurearum partium depreſſionem & è contra tartarearum, id eſt ſalinarum evectionem adjuvat, id omne ſymbolum contribuit ſuum ad aceti confectionem & acredinem ejus adjuvandam.* Hinc ab aliis, quo citius vinum in acetum convertatur, acrioremque nanciſcatur ſaporem paucæ uvæ acerbæ, tartarus, fermentum, ſal, piper, zingiber, ſemen erucæ, amygdalæ amaræ, radix pyrethri, betæ &c. adduntur. Noſtrates absque additione acetum parant infundendo vinum in dolia, ad hoc negotium expreſſe fabrefacta, & in ſuperna parte foraminibus aliquot donata, quæ termino technologico die Tribb-Fäſſer appellant, ibidemque per certum tempus aſſervando. Modus procedendi ab ipſis doliariis optime poterit addiſci.

Acetum Chymici, quo purius & à phlegmate nimio quadantenus, ut & à partibus craſſioribus terreſtribusque liberatum nanciſcantur, mediante deſtillatione rectificare ſtudent: admodum autem circa methodum deſtillationem inſtituendi diſcrepant. Quidam enim per cucurbitam ſtanneam, machina ſerpentina ex eodem metallo conflata

ſtata munitam, quidam per veſicam cupream alembico vitreo munitam, ſed non optimo conſilio, quidam per cucurbitam vitream humilem, alembico vitreo tectam atque in Balneo Mariæ, vel cineribus, vel arena poſitam, deſtillationem peragere jubent. Nobis non incommodus acetum deſtillandi modus videtur is, qui fit per retortam, ſequentem in modum. Recipe aceti bonæ notæ quantum placet, imple eodem retortam, ita ut tertia circiter pars vacua remaneat, immitte deinde retortam in capellam arena repletam, adapta recipiens vitrum, & leni igne deſtillationem inchoa, ſic ab initio deſtillabit pars aquoſior; aliud namque hic accidit ac in deſtillatione Spiritus Vini, ubi ſpiritus primo aſcendunt, phlegma ſubſequitur: rationem reddunt Chymici, quia Spiritus Vini ſubtilior atque levior, ſpiritus autem aceti particulis aquoſis ponderoſior exiſtit. Quando phlegma jam prodiit, id quod quidam tanquam inutile rejiciunt, alii vero tanquam ſubtilioribus aceti partibus refertum, & quidem non absque ratione retinent, lutandæ vaſorum juncturæ, & ignis fortius urgendus, ſic ſpiritus aceti albiſſimi atque limpidiſſimi elevabuntur. Ubi circiter tres partes extillarunt, & in retorta apparet ſubſtantia melliformis, tunc ab operatione ceſſandum, alias namque, ſi ad ſiccitatem acetum abſtraheretur, vix aut nunquam delebile empyrevma contraheret liquor deſtillatus. Acetum tali modo rectificatum, ſub aceti ſtillatitii, ACETI DESTILLATI, SPIRITUS ACETI, & SPIRITUS ACETI IGNEI, deſtillirter Eſſig/ VINAIGRE DISTILLE' nomine venit. Id quod in fundo retortæ mellis inſtar ſub forma liquoris ſaturatius tincti, ex flavo rubeſcentis, remanſit, quodque à quibusdam nomine aceti radicati inſignitur, ſuppeditat non ſolum cryſtallos quasdam tartareas, ſed & igne aperto in ſpiritum penetrantiſſimum, at ob ſummum empyrevma non amplius uſurpari ſolitum, & oleum nigrum deſtillari poteſt. Ex capite mortuo per incinerationem, diſſolutionem, filtratitionem atque evaporationem Sal alkali fixum, Sali tartari non admodum diſſimile extrahitur. Sunt qui huic Sali acetum deſtillatum denuo affundunt, ſæpiusque deſuper cohobant, donec omne Sal fuerit ſolutum, & tunc vocant acetum radicatum atque alkaliſatum, majoribusque viribus imbutum eſſe, meliusque atque intimius metalla diſſolvere, quam acetum ſimpliciter deſtillatum clamitant. Aſt fruſtra, nam ut taceam, quod parum admodum ſalis fixi cum aceto elevetur, acetum hoc radicatum debilius evadit, ſalia enim alkalia

 acido-

acidorum vim infregerunt. Quod ſi autem acetum deſtillatum fortius quis expetat, is vel Sal Ammoniacum, vel Nitrum, Vitriolum, Sal gemmæ, viride æris, tartarum &c, in eo diſſolvat, aut cum iisdem deſtillet.

POSCA

Naturam aceti in aciditate potiſſimum conſiſtere nemo negare poterit. Senſus namque ipſe particulas ſalinas acidas, acie tenuiore præditas atque pungentes quamplurimas adeſſe probat. Equidem quamplurimi ſunt, qui, conſpectis per microſcopia in aceto vermibus, iisdem hunc ſaporem efficiendi roſtellis ſuis vim attribuerunt. Verum quod pace clariſſimorum Virorum dixerim, licet non negetur vermes in aceto, præſertim in vappam degenerante inveniri, ſapor tamen acidus iisdem minime adſcribi poteſt, quippe multa dantur aceta, in quibus nulli deprehenduntur vermes. Qua etiam ex ratione factum, ut multi viri eruditi vermium in aceto exiſtentiam plane negarent, & *partes aceti ſalinas inſtar exilium argenteorum filamentorum pugnantium ſubinde cum partibus aceti ſulphureis, ut ſub clientalem ſuam ſubigant, annitentes ſcilicet, ut in ſuam naturam convertant, multis impoſuiſſe crederent.* Conf. HOFFMANN. in CLAV. ad SCROED. Continet porro acetum partes ſulphureas, licet ſubjugatas, quarum exiſtentiam ſupra jam probatam dedimus, confirmatque ſpiritus ardens Saturni, de quo Chymici teſtantur.

Quod terreſtres attinet particulas, illas nobis demonſtrat deſtillatio, phlegma autem adeſſe experimentum, quo indito in acetum Sale tartari inſipida plane aqua relinquitur, inter alia probat. Paucis tandem quoque mentio facienda eſt ſedimenti iſtius viſcoſi atque candidi mucilaginis inſtar, quod in aceto ſubſidere ſolet, & vulgo mater aceti die Mutter des Eſſigs appellatur. Non autem inutile eſt recrementum, ſed præter partes terreſtres, plurimas quoque continet particulas

las ſalinas, quæ vinum ſuperaffuſum, introducendo motum fermentativum, cito in acetum transmutandi vim ipſi conciliant.

Vires acetum obtinet egregias, inſervit namque non parum tum mechanicis, tum coquis, ad paranda acetaria, variaque embammatum atque conditorum genera conficienda. Magni ſcilicet multique uſus eſt in re eſcaria. Non alius magis ſuccus cibos ſaporesque commendat. Propterea non acetaria ſolum cum aceto parantur, ſed etiam piſces, carnes, olera aliaque fercula quamplurima eo condiuntur, apponitur etiam per ſe ſolum vel cum Zingibere aut Pipere miſtum ad intinctus. Habent quoque culinæ aceti differentias varias, quæ ex florum roſarum, violarum, fructuum rubi Idæi &c. parantur: appetitum excitat, cibos reddit ſtomacho aptiores ventriculumque firmat. Qua de re conſulantur, qui de arte coquinaria ſcripſerunt, authores. Nobis impræſentiarium de uſu, quem Medicis atque Chymicis præſtat acetum ſermonem facere animus eſt. A Medicis adhibetur tum pro uſu externo tum interno. Interne tanquam optimum alexipharmacum laudatur, *ob vim*, uti loquitur WEDELIUS. AMOEN. M. M. *Sulphur obtundendi, & Sal volatile peregrinum rarefaciens in ſanguine figendi.* Hinc in peſte, morbisque aliis contagioſis & febribus malignis admodum celebratur; hinc tot ac tam varia, non contemnendi, ſi debito adhibeantur tempore, uſus, aceta bezoardica proſtant. SYLVIUS in duplici peſte Amſtelodamenſi ſe præſervavit ſolo aceti Vini uſu ad cochlear unum mane aſſumpti, ut nunquam illa fuerit afflictus, utut ſæpiſſime peſte correptos viſitarit. Tollit obeſitatem & homines reddit macros, imprimis quidem in tali caſu convenit acetum ſcilliticum, item acetum miſtum cum aqua chalybeata. Multum quoque valet, egregiumque ſe præſtat adverſus plurima venenorum genera: Cicutam v. gr. Solanum majus,

jus, Belladonna dictum, varias fungorum venenatorum ſpecies, lac coagulatum, aſpidis morſum, hirudines deglutitas &c. prout legere eſt in SACHSII ἀμπελογραφία. Si quis nimiam opii doſin aſſumpſerit ab hauſto aceto curatur, appetitus item à narcoticis dejectus reſtauratur ab eodem, *quia nempe ſulphur vaporoſum domat mucilaginemque peregrinam annihilat*; verba ſunt WEDELII AMOEN. MAT. MED. Sitim ſedat, humores acres, ſalſos deprimendo, ſanguinem coagulatum reſolvit ob Sal incidendi, attenuandique vi præditum. Hinc mirum in modum ab ETTMULLERO præſertim cum oculis cancrorum propinatum celebratur. Singultum quoque coercet, vomitus nimios ſiſtit, nauſeam minuit, appetitum excitat & ventriculum roborat: unde quidam poëta dicit

Et potu & fotu ſtomacho conducit acetum.

Obeſitatem nimiam tollit, lactis copiam minuit, ebrietatem præcavet, crapulam diſcutit &c. Evolvantur MELCHIOR SEBIZIUS in TRACTATU DE ALIMENTIS atque SACHS. Quæſtionem illam, an acetum ſit calidum an vero frigidum, optime decidere videtur HOFFMAN. dum in CLAV. AD SCHROED. *Unde error*, inquit, *Veterum ſuam traxit originem ſtatuentium acetum eſſe calidum & frigidum, quem effectum non per ſe & formaliter, ſed effective, aut affective præſtat pro ſubjecti* diverſitate & diſpoſitione in quod agit ex ſui adaptatione.

SALERNITANI ita canunt

Sed plus deſiccat acetum,
Frigidat, emaciatque, melancholiam dat, ſperma minorat,
Siccos infeſtat nervos & pinguia ſiccat.

Externe

Externe acetum olfactum, ſternutationes nimias coercet, adhibetur adverſus plurima venena, mandragoram v. gr. Viperæ atque canis rabidi morſus &c. Hæmorrhagias ſiſtit, adſtringendo oſcula pororum hiantia, humorumque nimiam fluidatem coercendo, tumores diſcutit, inflammationibus confert, ægrotos Lypothymia affectos refocillat, ſomnolentis prodeſt, affectus cutaneos curat, maculasque tollit, aliosque quamplurimos effectus edit, quos omnes vel enarrare, vel exactius examinare longius foret. Monemus ſolummodo adhuc hypochondriacos, melancholicos, hyſtericaque paſſione laborantes, caveant ſibi ab uſu aceti, metus enim eſt, ne irritent crabrones, acidumque coacervando majora ſibi accerſant mala.

Supereſt adhuc uſus, quem in Chymiâ acetum præſtat, perluſtratio, quem pauciſſimis abſolvere lubet verbis. Nobile autem atque egregium è genere Salinorum & quidem acidorum eſt menſtruum; utuntur eo Chymici, tum ad variorum corporum ſolutiones inſtituendas, quæ corpora nunc corrodendo, nunc cum efferveſcentia calida, uti appellant, nunc frigida diſſolvit, tum & ad præcipitanda ea, quæ per menſtrua alkalina fuere diſſoluta, id quod præſtare videtur aggrediendo menſtruum alkalinum, cumque eo pugnam quaſi ineundo; ſic namque fit, ut particulæ menſtrui alkalini debiliores factæ, non amplius corporis diſſoluti moleculas ſuſpenſas tenere queant, quæ moleculæ, ſic à compedibus ſuis liberatæ propria gravitate deſcendunt, fundumque petunt. Adhibetur etiam acetum ad mixtorum quorundam v. gr. opii &c. vim, ut ajunt, virulentam corrigendam. Chymicorum denique quidam eo utuntur in Salium volatilium fixatione, ubi egregium ſe exhibere acetum perhibent.

Ex aceto paratur quoque ſic dicta POSCA, quæ eſt potio ex aquæ & aceti mixtura facta.

Vim

POSCA a poto ſicut eſca ab edo, dicitur etiam φοῦσκα, ὀξύκρατον, ἀπὸ τοῦ ὄξεος ab aceto & verbo κράω, κεράω & κεράννυμι tempero ſeu miſceo. OXYCRAT. Poteſt autem hoc potulenti genus duplex fieri, unum meracius, quod acidius & acrius, quod multum habet aceti: alterum aquoſius, quod multum aquæ continet.

DUPLEX

Vim habet refrigerantem, humectantem diſſolventem & penetrantem, Pota æſtivo tempore refrigerat, ſitimque ſedat, & quidem magis quam ſola aqua, quoniam acetum aquæ inſtar vehiculi eſt, eamque in corpus diſtribuit, ob ſubſtantiæ ſuæ tenuitatem. Adhibetur poſca quoque ad Hæmorrhagias ſiſtendas; blande enim coagulat & ſiſtit ſanguinem. Hinc in ſiſtenda Hæmorrhagia narium linteum poſca (vel etiam aceto puro) madidum fronti, temporibus vel nuchæ circumponitur, cum vel ſine bolo. Oxycratum etiam applicatur ſcroto, qua ratione etiam ebrietatem arcet. In nimio menſium fluxu aliaque hæmorrhagia uteri vel ſolum vel cum ſpermate ranarum, cum ſpongia imponitur pudendo.

℞. Sacchari libr. v. diſſolv. in s. q. Aquæ; coque, poſtmodum adde clarificato Saccharo aceti vini libr. iij. rurſusque coque ſecundum artem in Syrupum.

℞. Acet. deſtill. fortiſſimi ℔ijß. Sacchar. alb. ℔iijß. coquantur parum in vaſe terreo vel lapideo, ad conſiſtentiam juſtam Syrupi.

Hi Syrupi ſalubres ſunt in affectibus calidis dictis, & bilioſis, bilis impetum mitigant, æſtum furentem frangunt, refrigerant, peſtilentiæ putredinique reſiſtunt.

℞. Acet. deſtill. ℔ij. Immergantur. Cortic. Limon, recent. & extim. ℥ij. Cort. Aurant. rec. & extim. ℥j. facta maceratione unius diei coletur additisque Sacchar. Canarii ℔iij. coquantur paucis ebullitionibus ad conſiſtentiam Syrupi.

Syrupus

Syrupus hic ZWELFFERIANUS ſaluberrimus quoque eſt in affectibus calidis bilioſis & æſtuantibus, imo in peſte ipſa & febribus malignis. Ex eo Julapia parari poſſunt cum aquis ſive coctis ex Cornu Cervino, Hordeo & ſimilibus, ſive deſtillatis ex appropriatis, ægrisque ſic commode propinari.

℞. Micæ panis q. v. miſce cum pulv. Cinam. Caryoph. macis, amygdal. include nodulo, qui immergatur Aceto vel ſimplici, vel roſaceo vel alii &, ægrotis olfaciendum præbe nodulum.

Plurimis hoc odoramentum gratius exiſtit quam ipſa aqua Reginæ Hungariæ, aut alii ſpirituoſi liquores. Nares quoque non tantopere exinde ſiccantur.

℞. Herb. rut. rec. exſicc. gran. Chamæactes ana ℥j. Gumm. Galbani, ana ℥ß. Rad. Peucedani, Caſtorei veri, ana ʒij. Callor. Equar. Aſæ fœtid. ana ʒj. Infundantur in aceti Vini acerrimi s. q. & fiat digeſtio in B. M. per 5. aut 6. dies, quousque acetum perfectam acquirat tincturam; poſtea filtra & ād uſum reſerva. Hoc Acetum Hyſtericum Mynſicthianum mulieres ſuffocatas olfactu & odoris ſuffitu ſuſcitat, nec non Vertiginoſos, Lethargicos & utcunque Veterno obdormiſcentes excitat. Interne quoque ſumptum idem facit. Doſis à cochl. ſemis ad integrum.

℞. Bol. commun. aut Armen. q. s. ſubigatur cum aceto & fiat Cataplasma applicandum fronti, interpoſito linteo, ſic ſiſtit hæmorrhagias etiam pertinaces.

℞. Laminas ignitas, aſperge acetum & ſuffitum excipe naribus in lethargo, ſomnolentiis nimiis ex opio, fumo carbonum, aliisque inductis, præmiſſis interdum vomitorio, & ſubito excitat ægros.

℞. Spermat. ranar. ℥iv. Aceti ſimplicis vel roſacei ℥iß. Sperniol. Croll. ℈j. Hæc mixtura cum linteis duplicatis vel

multiplicatis applicetur regioni pubis vel vulvæ vel lumbari, ſiſtit hæmorrhagias nimias & menſes atque lochia nimium fluentia.

Micam panis q. s. ſalis man. ß. conſperge aceto, & inter duplicata linteamina fronti applica, ad dolorem capitis præſertim in febribus ſedandum & ad æſtum mitigandum.

℞. Pullor. Hirund. vivor. qui nunquam volarunt No. LX. deplumatos contunde totos in mortario lapideo in pultem, adde. Gumm. Galban. granor. parad. ana ℥j. aſſ. fœtid. ʒß. caſtor. ℥iß. ſuperfunde aceti acerrimi menſ. ij. ſtent. in infus: per tres dies & noctes quotidie bis agitando. Deſtilla lento igne ne materia tranſcendat alembicum. Eſt acetum Apoplecticum, Epilepticum, Hyſtericum a Lentilio deſcriptum. In affectibus hyſtericis præcipue, item inſultibus epilepticis infantibus juxta atque adultis pro ratione ætatis & virium aliarumque circumſtantiarum propinatum multum præſtare dicitur.

℞ Acetum q. v. deſtilla ex cucurbita cuprea per Alembicum cupreum, ſic obtinebis Acetum vomitorium, quod quidam ſub aquæ Aſclepiadeæ nomine occultarunt. Datur ad ʒß. ℥j. Ego ejus uſum minime ſuaderem.

℞ Aceti Vini ℔ß. ſucc. Berber. ſucc. Granat. ana ℥ß. aqu. Roſar ʒvj. Vini Rhenani, vel alterius acidiuſculi ℥ß. ebulliant leni igne. poſtea inſperge Sacchari ℥vj. vel. q. s. ad exhauriendum totum liquorem, dein in pulverem ſiccandum. Hic aquæ fontanæ injici poteſt in expeditione caſtrenſi & peregrinatione, ardente præprimis Syrio, pro Julapio perutilis.

℞ Autumnali tempore uvas immaturas contunde & exſicca ſuccum, exſicca quoque flores. Bina hæc corpora vel in ſole vel leni fornacum calore exſiccata componunt tibi matricem ſive fermentum aceti acerrimum. Nunc ſi habes matricem, recipe illam & immitte in dolium. Si habes p. j. fer-

fermenti, adde partes 20. Vini, hanc mixturam in loco calido ita tracta, ut digeſtione & fermentatione præparetur acetum. Brevi enim tempore quatuor vel ſex dierum ſpatio impetrabis acetum acerrimum, non turbidum, ſed ſatis clarum atque pellucidum. Hoc ſi tibi placet deſtillabis vel uſibus oeconomicis ſervabis.

℞. Gigart. Uvar. q. v. pulveriſa & infunde in acet. acerrimo per aliquot horas, poſtea exſicca, rurſus exſiccatum pulverem infunde, laboremque tertia vice repete, pulveremque aſſerva, quocum ex tempore poteris acetum parare.

℞. 🜿r. q. v. infunde in aceto fortiſſimo per 14. dies, exſicca & denuo infunde ut bene imprægnetur, rurſus ſicca & tartarum in pulverem redige. De hoc aliquot cuſpides injice in vinum, ſic ſtatim habebis acetum.

℞. Panem immerge in acetum, exſicca & laborem aliquoties repete, ſic quoque ex tempore acetum comparare tibi poteris, injiciendo aliquot fruſtula in Vinum, aquam aut cereviſiam.

℞. Ferment. pan. acid ℔ij. fecum Vini rec. ℔iij. aceti acerrimi ℔j. Piperis Indici ℥j. Longi, Zingiberis, Pyrethri ana ʒvj. Miſceantur exacte, ſtent per tempus, ſic fermentum hoc fit validius, & ſi huic maſſæ adhuc addideris ſacchari ℔jv. producet excellentiſſimum acidum. De hoc fermento acido le Mortiano admiſcetur debita doſis liquori ad aceſcendum deſtinato, tum vero per tres dies ſingulis ſex horis materia optime commoveatur & inde emerget acetum fortiſſimum brevi temporis ſpatio.

Liceat hic experimenti cujusdam ludicri mentionem injicere, quod multos in admirationem ſed forſan absque cauſa rapuit. KIRCHERUS in Arte Magnetica ſequentibus illud verbis exprimit. Sane ſunt certi lapides, qui ſpontaneam motus ſui rationem habere videntur. Ita lapis Trochites

ſive Aſtroites affuſo aceto, motu locali promovetur: Unde ſi ex eo Teſtudinem, aut aliud animal formaveris, automatum videbis admiratione digniſſimum. Aſt, qui ad naturam alcalinam talium lapidum & partes Salinas aceti, quod tanquam liquor in motu perpetuo exiſtit, reſpicit, ille & motum lapidibus ſpontaneum denegabit, & admirationem deponet. Tum demum enim hi lapides terreſtres moventur, quando ſpicula in aceto phlegmate ſuo ſoluta, & per conſequens in motum acta, in poros ſeſe corporum terreſtrium inſinuantia, illis motum imprimunt, & de loco in locum movent. Autopſia illud non tantummodo ſatis declarat, ſed & ſubſequens talium corporum diſſolutio rei veritatem ſatis confirmat. Experimentum optime quoque procedit, ſi alia corpora terreſtria & alcalina adhibeantur, præſertim, ſi duo oculi, ſic dicti, Cancrorum in duabus extremitatibus patinæ aut orbis ſtannei &c. collocentur. Hi enim ab affuſo aceto in motum acti, invicem congredientur, ob continuam acidi & alkali efferveſcentiam.

RESINA.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Præter *Acetum deſtillatum, Acetum Calendulæ, Acetum Papaveris erratici, Acetum Roſarum, Acetum Rutæ, Acetum Rubi Idæi, Acetum Sambuci, Acetum Squilliticum, Acetum florum Tunicæ,* de quibus ſuo loco actum.

Acetum Lavendulæ, Lavendel-Eſſig/ *Vinaigre de Lavende,*

&

Acetum Menthæ, Kraußbalſam-Eſſig/ *Vinaigre de Menthe,* quæ Aceta de virtute ſuorum ſimplicium participant.

Acetum Bezoardicum, Bezoar- oder Gifft-Eſſig/ *Vinaigre Bezoardique.* Ab Authore MYNSICHTO tanta virtute pollere dicitur, ut unciæ ſemis vel unius pondere vel per ſe vel pari cujusque aquæ cordialis quantitate potum Peſti mirifice opituletur, & infectos, vel a quocunque animali ictos vel demorſos, cum adſtantium admiratione a

longo

longo veluti ſomno excitet & integræ ſanitati reſtituat. Valet etiam contra omnia venena (ſed non contra acida & corroſiva) hauſta ſive per os ſumpta, nec non cor majorem in modum roborat, & omnes ſpiritus recreat. Præſervandi gratia cochlear dimidium ſumitur, curandi vero datur ab uncia dimidia ad unciam unam ex aqua Cardui Benedicti, Hirundinariæ, Scordii vel ſimili &c. ſpongia quoque hoc Aceto inebriari, in pyxide geſtari, & naribus offerri poteſt.

Acetum Theriacale Auguſtanorum, Theriacaliſcher Eßig / *Vinaigre Theriacal.* Morbis venenatis auxiliatur, putredinem humorum arcet, ſudores prolicit, peſtilentis luis contagia diſſipat, præſumptum ab infectione corpus tuetur, ac peſte correptos tam interne exhibitum, quam forinſecus arteriarum & cordis regioni ſuperimpoſitum plurimum reficit.

Oxyſaccharum ſimplex, Saur-Zucker / *Oxyſaccharum ſimple*, ſedat ſanguinis ebullitionem, refrigerat & ſiti reſiſtit. Datur cochleatim.

Oxymel ſimplex & *Squilliticum*, de quibus ſub melle actum.

RESINA SPISSIOR SOLIDIOR ET ARIDIOR SALE OLEOSO CONSTANTES.

COPAL.

Eſt Gummi reſinoſum, durius, flaveſcens vel ex flavo albicans, lucidum & transparens, friabile, igni impoſitum facile liqueſcens & odorem olibani ſpargens.

Com

DUPLEX juxta LEMERY habetur COPAL, ORIENTALE & OCCIDENTALE, illud rarius eſt & deſtillat ex arbore læſa mediocris magnitudinis, cujus folia ſunt longa & acuminata, fructus vero cucumeribus ſimiles, coloris fuſci, in quibus continetur ſubſtantia farinacea grati ſaporis. Hoc nempe Occidentale exſtillat ex arbore

Populo nigræ haud diſſimili, quæ in inſulis Antillinis copioſe reperitur.

Duplex

Commendatur ad affectus capitis & nervorum, emollit & reſolvit, ſed uſus eſt rariſſimi. Frequentiſſime uſurpatur ad Vernicem. In ejus diſſolubilitate multum plures deſudarunt. Cum terebinthina optime diſſolvitur, ſi exactiſſime fuerit pulveriſatum. Sequentes Vernices magni facit KOENIG.

℞. Gumm. Copal. ℥jv. Maſtich. ſel. ℥ij. pulver. affund. Spir. Vin. rectificatiſſ. ℔ß. in vitro bene obturato leni calore ſolvantur, dein in B. V. digerantur & habebitur vernix elegantiſſima.

℞. Gummi Copal, Sandarach. ana ℥iv. Maſtich ℥iij. Succin. elect. ℥vj. gumm. Lacc. ℥vj. Reſin. ſplendent. ℥j. pulveriſatis affunde Spir. Vin. rectificatiſſ. ad eminentiam 6. digitorum: & in calore ſolvantur & digerantur.

RESINÆ SALE VOLATILI OLEOSO CONSTANTES.

Reſina Abietis.
Laricis.
Pinea alba.

RESINA ABIETIS.

Eſt ſubſtantia liquida reſinoſa ex Abiete fœmina, I. B. proveniens, paululum ſpiſſa, ex flavo candida, ſaporis ſubacris, oleoſi, odoris fragrantis & gravis.

Uſus

Duplex, ut CHRISTIANUS JOHANNES LANGIUS diſſerit, eſt hæc reſina, una liquida, quæ & OLEUM ABIETIS, LACHRYMA ABIEGNA dicitur, ex tuberculis inter corticem novellarum arborum, den Thannblattern collecta: altera ſicca, ex arbore concreſcens. Liquidam juxta DALECHAMPIUM in HIST. LUGDUN. colligendi modus ita deſcribitur. Tuberculis Paſtores armentarii bubuli cornu acutum faſtigium ſic adigunt, ut inde liquidam illam reſinam excipiant, quod cum per totum diem in plurimis tuberculis moliti ſunt, operæ pretium ſe feciſſe putant, ſi cornu unum quatuor unciarum capax, liquore illo plenum domum retulerint, quia unumquodque tuberculum unam vel alteram guttam duntaxat contineat, quo fit, ut rarior ſit is liquor majorisque pretii. Sed hæc ſpecies ſelectiſſima eſt Reſina, & non tam reſinæ, quam Terebinthinæ nomine venit. Qua de re vide quæ dicta ſunt de Terebinthina. Magis vulgaris eſt, ut pergit prædictus Author, quæ ex corticibus abietis sauciatis ſtillat, altero poſt vulnus inflictum anno, quæ ſi fluida fuerit, veſicis includitur, ſicque transfertur. Germani hinc vocant Blaſen-Hartz.

Uſus Reſinæ externus eſt in Emplaſtris, pro ſcopo calefaciendi, humectandi, diſcutiendi, roborat hinc articulos; diſcutit tumores, ſedat dolores podagricos & iſchiadicos. Interne præſertim liquidior diureſin movet, calculos pellit. Convenit in capitis vulneribus; externe, clavis pedum ſi imponatur, lenit dolores & eradicat illos ſubinde. Viribus non multum diſcrepat à Terebinthina ipſa.

℞. Reſin.

Ex Abiete, Picea, & Pinaſtro (verba ſunt SIMONIS PAULI) extillat lachryma aut Reſina ſponte ſua & ſæpe magna ſatis copia; cujus valde cupidæ ac appetentes formicæ ſunt, & in cubilia ſua in hyemem abducunt, aut avehunt, ex quibus eam eruere noſtrates Norwagi edocti ſunt, ac in cottidianos ſuffitus ſibi ſervare. Quæ illis ad corrigendam aëris graveolentiam loco Thuris aut Myrrhæ inſervit. Sane ea irrorata ſive ſudore ſive madore formicarum, certare poſſe videtur de præſtantia cum Myrrha aut Thure. Hinc non vereor omnibus ad

mare

mare Balthicum ſitis populis ac accolis eam commendare, ut præſertim peſtis tempore, aut alias ſuas ædes, ea fument, cum notum, axungiam aut picem, in quam igniti tormentorum bellicorum prægrandes globi conjiciuntur, paſſim à Medicis Practicis commendari, ut illius fumo aër malignus colligatur. Quin nec dubito, cum facile claſſes infeſtentur epidemiis & contagioſis morbis, expedire, ut hoc Norwagico ſaluberrimo Thure aut Myrrha ſuffiantur militum aut nautarum cubilia.

℞. Reſin. Abiet. alb. ℥ij. Myrrh. Croc. Caſtor. ana ʒß. Camphor. ☿r. ⊕l. Ocul. ♋. Corall. rubr. ana ℈ijß. Mſc. f. pil. ex ℈j. No. IX. Conducunt ad fluxum album inveteratum.

RESINA LARICIS.

Eſt reſina Laricis Dod. liquida, Terebinthinæ propemodum ſimilis, mellei coloris, lenta, contumax.

RESINA LARICEA, LARIGNA, LACHRYMA LARICIS, Larchenhartz/ Lorhartz/ Lerget.

Reſina hæc non ſponte fluit, ſed caudex terebra usque ad cor eſt perforandus.

Hæc

Hæc Laricea in Officinis & quidem non adeo male pro Terebinthina venditur, haudque pauci in ea ſunt opinione non absque ratione, quod Terebinthina Veneta nihil aliud ſit quam Reſina Laricea. Confer ea quæ dicta ſunt de Terebinthina, ubi etiam virtutes facile deprehendes.

RESINA ALBA PINEA.

Eſt ſubſtantia reſinoſa conveniens cum reſina abiegna quoad omnia, ſolum ſi excipias colorem, qui magis albus in

hac

hac deprehenditur, ſi recens fuerit temporis tamen tractu fuſcum contrahit & flaveſcentem.

Hæc Reſina, ut LANGIUS ſcribit, albedinem obtinet, ſi ex junioribus colligatur, aut ſi ea tantum aſſumatur, quæ circa ſtrobilos hæret, & ſtrobilina alias dicitur. Et hæ ſpecies molles ſunt, & liquida vocantur reſina, parumque imo nihil differunt à Terebinthina vulgari. Sed albeſcit etiam reſina prius per colum trajecta & ab impuritatibus peregrinis repurgata, ſi in aqua decoquatur, ſed conſiſtentiam etiam mutat liquidam cum ſoliditate & hæc ſpecies ſub titulo RESINÆ PINEÆ OFFICINARUM eſt. Vocatur etiam RESINA ALBA, Weiß Hartz / RESINE BLANCHE OU POIX BLANCHE. Modum colligendi vide ſub pice.

MELIANTHUS

RESINA GUMMOSA ET SUCCUS PURGANS.

Gummi Hederæ.
Succus Melianthi.

GUMMI HEDERÆ.

Eſt lacryma ſeu ſubſtantia reſinoſa arida, dura, compacta, ex ſaturo virore pene nigreſcens (juxta BAUHINUM ex flavo rubens) ſplendoris vitrei ſed opaci, ſaporis acris & quodammodo adſtringentes odoris nullius, vel juxta Tabernæmontanum ſuavis.

Hoc gummi Hederæ a quibusdam tanquam pſilothrum habetur inſigne, lendes & pediculos interimit. Laudatur in cardialgia mulierum, ad ℈j. in potione datum. Commendatur quoque in aliis mulierum affectibus. Ingrediens eſſe dicitur decantatarum pilularum Beccherianarum.

SUCCUS MELIANTHI.

Eſt liquor melleus contentus receptaculo cartilagineo ca riniformi ; quod includitur inferiori petalo floris Melianthi Africani H. L. Bat. Herm. dilute puniceus, ſaporis vinoſi ju cundiſſimi.

MELIANTHUS dicitur quaſi FLOS MELLIS, aut FLOS MELLEUS. MELIANTE.

Eſt planta flore polypetalo, anomalo, quatuor nempe petalis nunc flabelli nunc coni ad inſtar poſitis, conſtante. Ex calyce autem inæqualiter multiſciſſo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum veſicæ æmulum, tetragonum, in quatuor loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum ſubrotundis.

Melianthus Africanus. Horti Lugd. Bat. Herm. Pimpinella ſpicata maxima Africana Barth. Act. Haffn. tom. 2. 58.

Sponte ſua luxuriat locis udoſis & paludoſis ad promontorium bonæ ſpei. Tranſpoſita hæc planta in hortos mirum in modum multiplicatur, brumam rigidiuſculam quamvis patienter ferat, tamen cuſtodienda eſt in commodo hybernaculo.

FULIGO

Mellea hæc ſubſtantia neutiquam videtur, uti HOFFMANNUS diſſerit, productum roris ſeu aëris in flore collecti, ſed eo ipſo, quo flos perficitur, incipit ex porulis & villulis internæ floris baſeos inſtar ſubtiliſſimi vaporis emanare, & in hiantem hanc Carinulam deponi, ſive enim plantam mox flores parituram aëri liberiori expoſueris, ſive in conclavi diligenter cuſtodieris, æquam mellis proportionem obſervabis, tanta præſertim in loco natali ubertate, ut in ſubjecta folia ſtillatim defluat.

Floris hujus Nectar, ſunt rurſus verba HERMANNIANA, uti vinoſo & ſuavi ſuo ſapore melli vulgari cedit, ita virtutibus, ni illud ſuperet, ſaltem adæquat. Eo adeo de-

de-

delectantur Hottentotti, & nunc quoque Belgæ Promontorii bonæ ſpei incolæ, ut Melianthum nunquam prætereant, quin melleam ejus dulcedinem avide reſorbeant.

CONCRETUM SALE TAM VOLATILI QUAM FIXO CUM INTENSISSIMA AMARITIE CONSTANS.

FULIGO.

Fuligo, eſt pars rerum combuſtibilium, imprimis lignorum, levior, à partibus craſſioribus ſub ſpecie fumi elevata, inque ſubſtantiam nunc pulverulentam, nunc craſſam & ſolidam, condenſata, parietibus caminorum adhærens, nigricans, quandoque ſplendens, ſaporis admodum amari & acris, odoris ingrati.

FULIGO derivatur à fumo, unde FUMILIGO ex quo per Syncopen FULIGO, Ruß. SUYE. FULIGO CAMINORUM SPLENDENS, Germanis dicitur Spiegelruß/ Tarburckel/ FUMEE.

Fuligo omnis, docente cum aliis HOFFMANNO in SCHROEDERUM, conſtat ex phlegmate oleo ſubtili & craſſo fœtido, ſale volatili & fixo, ac terra effoeta.

Differentia eſt in fuligine ratione lignorum aut aliorum corporum, ex quibus colligitur, certum enim eſt aliam naturam eſſe fuliginis ex abiete, aliam è quercubus. Quidam præferunt fuliginem è quercubus. Eligatur autem fuligo ſplendens inſtar ſuccini nigri.

Modum

Ratione ſalis volatilis & olei penetrantiſſimi in ſubſtantia vim habet, uti ETTMULLERUS loquitur, concentrandi omnia acida, unde pulvis fuliginis cum aceto ſumptus ſudorem movet potentiſſime, & in caſu ab alto, pro reſol-

vendo ſanguine grumoſo confert, hinc & in curanda pleuritide, a ʒß. ad ʒj. hauſtu vini vel aceto vel aqua cardui benedicti aſſumpta, egregie prodeſt, per ſudorem ſublevando, TESTE RIVERIO. A quibusdam exhibetur cum vitello ovi. Eodem modo colicam nec non paſſionem hyſtericam curat, hæcque omnia ratione ſalis volatilis corrigendo acidum partibus nervoſis infeſtum, & mediante ſudore paroxyſmos finiendo. Imo in partu difficili quoque non contemnendum eſt remedium, quando deficiunt dolores, & partus videtur protrahi cum periculo foetus & matris. Vis antifebrilis etiam in ea latet, tum ſi propinetur ante paroxysmum intermittentium addito tamen prius vomitorio, tum ſi cum theriaca ſubigatur, item cum terebinthina ſub forma linamenti applicetur. In nimio vero febrium tam intermittentium quam ardentium ardore eadem cum albumine ovi aut aceto ſubacta, & plantis pedum vel carpis & palmis manuum applicata excellit: ſimili ratione fronti & temporibus adhibita narium hæmorrhagias compeſcit. In ulceribus imprimis malignis & cacoëtheis crebrius adhibetur. Conducit quoque in bubonibus & anthracibus peſtilentialibus. Ob virtutem deterſivam uſurpatur in ſcabie. Prodeſt porro in gangræna. Non deſunt, qui fuliginem ſolvunt in aceto deſtillato, ſeparant per reſidentiam, ſolutionem tandem repetunt, donec in ſalem candidiſſimum convertatur, qui in humido ſolvitur, & omnia ulcera cacoëthea inſanabilia foetida fiſtulam, cancrum, lupum & ſimilia phagædenica parvo tempore ſanat. Superius dictum fuit, quod differentia intercedat inter fuliginem, idque imprimis comparet in ATRAMENTO ex FULIGINE TÆDÆ, quæ etiam quandoque FULIGO ſimpliciter dicitur: Germanice Khienrauch/ Kienruß/ NOIR DE FUMÉE, NOIR à NOIRCIR, NOIR DE PEINTRE Gallice vocatur. Diſcrepat ab alia Fuligine quod in

in pulvere tantummodo colligatur, quod odorem non ingratum ſpargat, omnia quæ tangit, colore nigro tingat, nec aliquid detrimenti afferat oculis aut ex illis eliciat lachrymas.

Modum colligendi fuliginem TÆDÆ ſequentibus verbis tradit AXTIUS.

Ædificant in caſa fuliginis, in der Kienrauchs-Hütten/ cameram quadratam undique clauſam, ita ut ne rima quidem in illa relinquatur, per quam fumus evolare poteſt. Cameram illam lubet vocare Cameram obſcuram, quia revera eſt obſcura, non tantum, quod nullum lumen intrare poſſit, ſed etiam quod illam fumus & fuligo undiquaque nigram & obſcuram reddant. Hæc undique eſt clauſa, præterquam in ſuperiore parte, illa tamen minime eſt aperta, ſed ſacco lineo pyramidato undiq; expanſo clauditur. Ad latus hujus cameræ faciunt furnum oblongum humilem in extrema parte foramen habentem, in quo reſiduum ſive caput mortuum picis accenditur. Furnus interius eſt cavus & undique præter foramen illud clauſus, cavitas furni pertingit usque in cameram obſcuram. His ita fabrefactis puer quidam ante foramen furni ſedens partem aliquam capitis mortui in foramine accendit, ſique fere conflagrata eſt, plus addit, & ita continuat, donec omne ſit conflagratum. Fumus interim Piceus per cavitatem furni intrat in cameram, ubi ſacco illi pyramidato adhæreſcit & condenſatur. Si itaque tantum fuliginis in ſacco collegerunt, quantum ſatis eſt, puer ſaccum baculo pulſat, & ita fuliginem in pavimentum Cameræ decutit; Hac deinde doliola & vaſcula latiuſcula & longa (Kienrauchs-fäſſer & Kienrauchbütten vocant,) replent & ita divendunt.

In

Uſus Fuliginis eſt ædificiis nigrum inducere colorem. Pictores etiam utuntur ſæpiſſime in coloribus nigris & aliis, ut & arcularii in coloranda lignea ſupellectile, optimum enim præbet colorem nigrum. PLINIUS ut & alii ſcribunt, ex fuligine fieri atramentum ſcriptorium, ſed quo pacto id fiat non dicunt. Ægerrime aqueis liquoribus ſubigitur, facile autem

autem oleo. Typographi ex fuligine & oleo lini expreſſo coquunt ſuum atramentum.

℞. Fulig. fumi ſplendent: Terebinth. Telar. aranear. ana ʒij. Camphor. ℈ij. olei Aran. ʒij. Mſc. f. emplaſtrum carpis applicandum in febribus intermittentibus. Authorem agnoſcit Dr. MICHAELIS.

℞. Fulig. ſplend. ℈jv. Semin. zedoar. ʒij Cinabar. vulg. ℈ij Camphor. ʒj. Tereb. Venet. ℥iß. Hoc emplaſtrum commendatur ut præcedens in febribus a le MORT.

℞. Fulig. Camin. ʒx. Fermenti, Terebinth. Butyri ana ℥j. Sapon. Venet. ℥iß. Mellis roſat. ʒvj. Sal commun ℥ß. Vitell. ovor. No. ij. Theriac. Mithrid. ana ʒij. Mſc. f. emplaſtrum, quod a Sennerto ad carbunculos & bubones peſtilentiales celebratur.

EMPLASTRUM FEBRIFUGUM LENTILII.

℞. Fuligin. ſplend. ℥j. Sacchar. cand. alb. ℥jv. Rad Jreos florent. ℥ß. Rad. Ari pp. Diaphor. ♂lis, ♃lis ana ʒij. Ocul. ♋. pp. ʒjß. Mſc. f. pulv. Eſt pulvis Antatrophus Gmelini, cuſpidatim aliquoties per diem ſumendus.

℞. Fulig. Camin. ſplend. & pur. Sacch. Cant. alb. vel Sacchar. perl. ana ℥j. Rad. Jreos flor. ʒj. fol. Lun. No. jv. Mſc. f. pulvis. Eſt pulvis Lunaris polychreſtus KüFFERI, conſtituitque remedium inſigne ad atrophiam infantum, prodeſtque etiam in aliis ſymptomatibus ab infarctu pendentibus. Doſis quantum capit apex cultri, in pulte, Syrupo, aqua deſtillata, idque pluries in die. Addi eidem etiam poſſunt pulveres pretioſi, Marchion. v. g. pro lubitu & rei exigentia. Si purgandum, hujus pulveris ʒj. miſceri poteſt Reſinæ Gialappæ granum j.

℞. Fulig. ben. trit. q. v. lava ſæpius cum aqua florum Sam-

Sambuci, hinc exſicca & pulveriſa. Eſt Horſtii ſpecificum antipleuriticum, cujus doſis eſt ad ℨß, ad ℨj.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Ordinario pauca ex fuligine reperiuntur præparata, ſequentia tamen, quorum confectionem etiam addere lubet, optimo jure poſſent ineſſe.

Spiritus fuliginis, Ruß Spiritus/ *Eſprit de Suye*, *Sal volatile fuliginis*, flüchtiges Ruß Saltz *Sel volatile de Suye*. *Oleum fuliginis deſtillatum*, deſtillirtes Ruß Oehl/ *Huile de Suye diſtillé*. Obtinentur, juxta JOH. MAURIT HOFFMANNI ACTA LABORATORII CHEMICI ALTORFFINI, ſequenti modo.

℞. Fuliginis inſtar Succini nigri reſplendeſcentis & caminorum veſtibulo adhærentis q. v. imple eadem retortam vitream loricatam aut terream, ad dimidium ferme, hacque furno deſtillatorio commiſſa & admoto recipiente capaciſſimo, deſtillationem igne aperto, primo quidem leni, ſenſim vero per gradus augendo, inſtitue, ſic phlegma mox extillare deprehendes cum ſpiritu albicante, quod oleum flavum tandemq; rubeum cum ſale volatili aliquando in prima ſtatim deſtillatione conſpicuo ſubſequetur. Finita hac prima deſtillatione oleum à ſpiritu ſegrega, huncque per phiolam oblongam rectifica, & moderato igne elevabitur ſal volatile, poſt aſſurget ſpiritus ſubtilior in vitro probe cuſtodiendus, Paucum etiam ſal fixum ex capite mortuo, ulteriori calcinationi, ſi opus fuerit, ſubjecto, modo notiſſimo extrahitur Spiritus, Sal volatile ac oleum, quia ſanguinis modum vitalem excitant, inter corroborantia remedia primas ferme merentur, ſiquidem, ut pergit HOFFMANNUS ex obſervatione HARTMANNI, conſtat Spiritus vel Olei Fuliginis guttas tres agonizanti in aceto exhibitas eum mirabiliter refocillando excitare, quin imo hanc δοκιμασίαν imminentis mortis animadverti poſſe, ſcilicet, ſi ſudor poſt oleum copioſius emanarit, ſignum indubitatum ſanitatis & convaleſcentiæ eſſe, ſin ſecus mortis. FRID. HOFFMANNUS in clav. ad SCHROEDERUM pro oleo ſubſtituit Sal volatile à ſcoriis liberatum ſulphureis, eundemque effectum, cujus meminit HARTMANNUS, veriſſimum ſeſe deprehendiſſe affirmat. Præterea Spiritus Fuliginis egregiam exſerit virtutem in partu difficili, ſanguine grumoſo reſolvendo,

pleu-

pleuritide mitiganda, gangræna & cancro tollendo, ad quod poſtremum malum jamdum exulceratum laudatur ab HARTMANNO Sal fixum ex capite mortuo cum aceto extractum. Commendatur quoque hoc Sal abſque aceto extractum, ſed per deliquium ſolutum in omnibus ulceribus malignis inveteratis, Cacoëtheis & inſanabilibus fiſtulis, lupis & ſimilibus phagædenicis & difficulter ſanabilibus ulceribus.

ESSENTIA ALEXIPHARMACA CLAUDERI.

℞. Ciner. clavell. ℔j. Solv. in Aqu. font. ℔.vj. addendo Sal. Armon. ℔ß. Mſc. & agita probe, poſt filtra & filtratum effunde, (ſi ſpirituoſum & magis ſubtiliorem requiris liquorem deſtilletur) eique affunde Fuliginis ſplendentis q. s. & emerget inde eſſentia colore rubini, in vaſe optime clauſo ad uſum aſſervanda. Conſtat hæc eſſentia, ut bene docet MAURITIUS HOFFMANNUS, ex fuligine Sale volatili oleoſo cum menſtruo ſalino alcalico extracto atque exaltato, habeturque laudatiſſima pro ſcopo cordiali, bezoardico, antifebrili, catarrhali, nervino, pleuritico, beneficio ſalium volatilium alias obtineri ſolito. Doſis ad gtt. xij. xx. xxv. & xxx. poteſtque commodiſſime adhiberi cum jure carnium vel cum aqu. Sambuc. Meliſſ. Cinam. Flor. Cord. vel alia aqua ſpirituoſa.

Forſan Lectori non omnino ingratum erit, ſi duas adhuc allegare ſuſtineamus compoſitiones, quarum altera virtute medica inſigni gaudet, altera vero Solutionem Auri poſſibilem demonſtrare videtur. Sunt autem hæ compoſitiones deſumptæ ex FRID. HOFFMANN. ad SCHROED.

℞. Fulig. ſplendentis, Succin. alb. ana partes æquales, deſtilla lento ignis gradu ex arena per retortam, primo phlegma, deinde Spiritum album & ultimo oleum album, & rubrum cum Sale volatili prodire recens, poſtea oleis ſeparatis liquorem per MB. rectifica, & acquires Sal volatile, oleis demum affunde Spiritum Vini, digere aliquantiſper, poſtea deſtilla & nanciſceris oleum Camphoræ odorem æmulans. Hujus doſis gutt. iij. ſunt in omnibus fere affectibus inprimis in pleuritide. Imo agonizantibus exhibitum edit miracula, & ſi ſudor poſt ejus uſum ſubſequatur, erit ſignum infallibile reconvaleſcentiæ.

℞. Salis

℞. Salis volat: Fuliginis part. vij. calcis ☉ris. part. j. vel ij. miſce exactiſſime, donec ☉ evaneſcat nec amplius conſpiciatur; pone in digeſtionem per 10. ☌ ☍, denique ſublima, tunc ☉ ſublimabitur, & calx alba remanet in fundo, in ſuperficie apparet ☉ 🜔 rubicundum, quod Spiritu Vini extrahi poteſt. Hoc ultimum curioſitatis tantum gratia adduxi. Si quam habet virtutem cordialem &c. illa non tam dependet a corpore Solari, quam potius a ſale Fuliginis modificato per menſtruum, in quo ☉ facta fuit ſolutio.

PARS SECVNDA

CONTINENS REGNUM ANIMALE

PARTES ANIMALES SALE VOLATILI OLEOSO CUM MULTIS TERREIS CONSTANTES.

Lapis Carpionis.
Lapis Percarum.
Dens Hippopotami.
Dens Lupi.
Talus Leporis.
Scorpio.
Album Græcum.

LAPIS CARPIONIS.

Eſt ſubſtantia dura tenax & flexilis figuræ triangularis, coloris

coloris cinerei externe, intus fuſci, magnitudine piſcis pròportioni reſpondens, in acetabulo, quo ſpina dorſi capiti in Carpione connectitur, poſita.

Et

CARPIO vocatur CYPRINUS Κυπρῖνος, Κυπρίανος, forſan a Cypride, hoc eſt Venere, quia piſcis eſt fœcundiſſimus, CYPRIANUS, CYPERIUS, CARPO, CARPUS, CARPA, CARPENA. Appellatur quoque λεπιδωτὸς, procul dubio ἀπὸ τῶν λεπίδων, à ſquamis, quibus & multis & magnis & latis & duris admodum abundat, adeo, ut innoxie etiam ictus lapidum ſuſtinere queat; Karp/Karpff CARPE.

Piſcis eſt pinguis, dulcis, humidus, mollis, aliquantulum glutinoſus & excrementitia carne præditus: ac propterea non admodum ſalubris; non tamen plane noxiis annumerandus. Piſcis eſt gregalis latiuſculus, craſſus ſquamis latiuſculis refertus, pinnis variis duabus ad branchias, una in dorſo & in ventre duabus donatus. Branchias habet utrinque quaternas easque duplices. Roſtrum, cui bini cirri ſeu apophyſes adſunt, porrigit & retrahit. Palatum carnoſum admodum & molle, ut niſi diligenter inſpexeris lingua id eſſe videatur. Alii tamen revera linguam adeſſe ſtatuunt. Colore ventris albicat, ad latera ſubflavus, dorſum ſubfuſcum. Cauda lata ex nigro rubeſcens. Inteſtinum replicatum ſurſum recurrit, cui annexum Hepar cum felle ſubcæruleo amariſſimo. Numeroſa prole brevi tempore piſcinas replet. Veſcitur herbis, tritico & aliis frumentis, imprimis vero muco & Limo.

CYPRINI alii ſunt LACUSTRES, qui in lacubus oriuntur & creſcunt, maximi ſunt & pingues, Seekarpen. FLUVIATILES, qui in fluminibus magnis vitam agunt, uti ſunt apud nos Carpiones in Rheno, die Rhein-Karpen/ quos reliquis præferunt. Carpiones in Ello, die Ill-Karpen. CYPRINI PISCINARUM, Weiher-Karpen / Teich-Karpen/ qui in lacubus ſeu piſcinis aluntur propaganturque cum victus tum quæſtus gratia; quales ſunt qui ex Lotharingia ad nos ſingulis ſeptimanis advehuntur copioſe. Curioſum eſt quod, quando frumenta inprimis ſecale in culmos abire incipit, carpiones non amplius poſſint advehi, quoniam ſi ejusmodi frumentum prætereunt, moriun-

tur

tur carpiones. CYPRINUS MAS, ein gemiſchter Karp. CYPRINUS FOEMINA, ein gerogereter Karpen. CYPRINUS MAXIMUS, ein Hauptkarpe. CYPRINUS ADMISSARIUS, ein Sahm = Karpe. CYPRINUS MACULATUS, ein Spiegel-Karpe.

Pro ætate quoque diſcrepant & diverſimode appellantur. Foetus annuus Striech einſommiger Sahme/ Setzling/ jähriger Sahme primo anno dicitur. Secundo anno foetus bimus zweyjähriger Striech/ tertio foetus trimus, dreyjähriger Striech/ quarto Carpæ Karpen.

Piſcis itaque eſt amnicus, fluviatilis, paluſtris & lacuſtris, nequaquam marinus. In inſignem longitudinem, latitudinem & craſſitiem excreſcit, pabulum nactus liberale.

Quovis anni tempore partum facit & quidem quinquies aut ſexies ex veterum ſententia, Verno autem imprimis tempore pariunt. Edita ova à mare cuſtodiuntur, ne ab occurrentibus abſumantur piſcibus. Ovum ejus magnitudinem Milii æquat: Vadis ſe intrudit cum parturit, ac ſæpe ſingulas fœminas mares 13. aut 14. perſequuntur, Mares ſectantes ſemen ſuum ovis reſpergant. Plurima autem pereunt. Nam cum fœmina ſit inſtabilis & mutans continue pariat, uva diſſipari neceſſe eſt: ea nimirum, quæ non inciderint in materiem aliquam, ſed excepta ab unda alio transportantur. Tunc ova ſua cuſtodit Cyprinus cum congeſta reperit: Hinc Piſcinarum præfecti opinantur fœtum Cyprinorum interire, ſi Cyprini admiſſarii è piſcinis exempti fuerint.

Cyprinus vitam protrahit in annos bene multos, ut teſtatum faciunt, dicente SEBIZIO, magni illi flavoque colore tincti Cyprini, qui in foſſis aluntur.

PERCA

Et mas & fœmina in uſum trahitur. Præferuntur Cyprini Amnici & fluviatiles, dein, qui in piſcinis, quæ rivulos montium, ſeu aquas limpidas recipiunt, enutriuntur. Probantur menſe Martio & Septembri. Cum genituram emiſerunt recenter, aut actu emittunt exiguam habent gratiam. Flaveſcentes jam ſenuerunt; ideoque laudem non merentur, quemadmodum nec illi, qui in vivariis coenoſis atque tur-

 bidis

bidis ſervantur. Mali enim ſucci ſunt lutumque olent. Magni tamen fiunt a Ganeonibus & cupediarum amatoribus, ob magnitudinem & obeſitatem corporis. Expetitur ab Apiciis præcipue caput, potiſſimum linguæ gratia, quæ prædulcis.

CARO CYPRINA mollis, pinguis non inſuavis, ſi nimis frequenter comedatur ventriculo frigidiori nocet, nec non calculoſis, & colicis doloribus divexatis.

Apparantur Carpiones variis modis, elixantur, aſſantur &c. Gelatina quoque egregia ex iisdem paratur. Inteſtina a multis in delitiis habentur.

PINGUEDO CARPIONIS illita nervos ex calida cauſa dolentes lenit. FEL illitu oculorum nubeculas diſcutit.

LAPIS CARPIONUM, Karpenſtein/ PIERRE ou OS DE CARPE, ſi vivo Cyprino extrahatur æſtum & ſitim febrilem interne aſſumptus compeſcere, itidemque ſanguinis eruptiones enormes refrænare dicitur, ſi ore detineatur, colicis doloribus & calculoſis conferre aſſeritur. In Apoplexia cum contractione muſculorum oculi, item in Epilepſia a quibusdam commendatur.

Supra oculos exiſtunt alia duo oſſicula ſemicircularia altera parte quaſi denticulata, quæ a fœminis adverſus Lunaticum morbum reſervari ſolent.

LAPIDES PERCARUM.

Sunt oſſicula ovalis figuræ, uno in latere quodammodo crenata, conſiſtentiæ omnino lapideæ, coloris albicantis cum ſplendore, juxta ſpinæ dorſi exortum bina in capite Percæ occurcentia, odoris ac ſaporis expertia.

CARO

PERCA, Græcis πέρκη, a parcendo dicta putatur κατ' ἀντίφρασιν, quia minime parcit. Devorat enim piſcesalios,& ira percita pinnis ſuis, quas in dorſo gerit ſpinoſas, eos ſauciat. Dicitur etiam PERCA quaſi PORCA, a ſpinis, quibus in dorſo inſtar ſetarum ſuillarum munitur. Ein Perſich/ Beerſing/ Beerfiſch/ Perſke/ Parſz/ PERCHE.

Piſcis eſt & amni & lacui communis, toto corpore ſquamoſus & argenteus, virgulis lineisque ſubrubentibus varius. Branchias habet utrinque quaternas, easque duplices, noviſſima excepta. Ventriculus amplior longiuſculus ſub cujus medio enaſcitur Inteſtinum, tribus apophyſibus donatum, inter quas hæret veſicula fellis inſtar appendici, longiuſcula. In dorſo impares eminent aculei, tenui inter ſe membrana conjuncti. Pinnæ rubent.

Ichthyophagus eſt, omnis generis piſciculis nutritur, nec ſoboli ſui generis parcit & aſtacos aggreditur. Aliquando in ejus ventre integer repertus fuit. Vere & Autumno parit in profundis gurgitibus. In partu continentem emittit fœtum ſuum, eo quo Ranæ modo. Adeo enim foetus ipſe continuo filo ſibi cohæret, ut eum piſcatores interdum ex arundinetis colligant. Percæ natant velociſſime. Pinnulis acutis atque aſperrimis, quibus armantur, ſe contra piſces grandiores tuentur. Perſpicientes Lucium ſibi imminere ſpinis horrent, hacque ratione immunes ab ejus deprædatione evadunt: Hæc autem dicuntur de Percis fluviatilibus majoribus & minoribus ſupra dictos lapillos ſuggerentibus.

IN

CARO PERCARUM alba eſt, tenera, ſuavis duriuſcula & firma; non omnino tamen friabilis, qui alicujus lentoris & glutinoſitatis particeps. Alioqui concoctu facilis & ſalubris: nitidiori enim alimento vivunt, & quia in rapidioribus degunt fluminibus, magis exercentur, quam aliæ, quæ in lacubus, ſtagnis & paludibus degunt. Jus ex percis alvum emollire dicitur.

LAPILLORUM, Perſigſtein/ uſus famoſus eſt, ut loquitur LANGIUS, adverſus calculum & obſtructionem lotii, item contra pleuritidem, caſum ab alto, ſanguinem congrumatum re-

reſolvendum. Doſis ad ℈j. ʒß. Externe pulvis in dentifriciis vulnerum & ulcerum manantium exſiccatione celebris eſt.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Lapis Percarum præparatus, präparirter Perſichſtein / *Pierre de Perche preparée.*

DENS HIPPOPOTAMI.

Eſt oſſea ſubſtantia incurva, verſus pectus, longitudine mediam ulnam, craſſitie vero tres vel quatuor uncias adæquans, ex maxilla ſuperiore belluæ cujusdam marinæ, Hippopotami nomine inſignitæ, excreſcens, odore & ſapore carens.

Ex

HIPPOPOTAMUS ab ἵππος & ποταμός, EQUUS MARINUS, Anglis & Ruſſis WALRUS, aliis MORS, Danis & Islandis ROSMARUS vocatur, Wallroß / HIPPOPOTAME, CHEVAL MARIN.

Diverſa equidem animalia ab authoribus hoc nomine deſcribuntur, primo nimirum ſubintelligitur bellua, quæ jubam & vocem equinam, ungulam bubulam, caudam apri, magnitutidinem Aſini, aures Urſinas habere fertur, &c. ſed hæc bellua non eſt hujus loci.

Animal enim, de quo hic agitur, monſtroſum eſt & amphibium, bobus noſtratibus, ubi adolevit, interdum majus, cute Cani marino quoad hiſpiditatem ſimile, bucca Vaccæ (unde & Vaccæ marinæ nomen à quibusdam obtinuit) niſi quod duos dentes prominentes & ante recurvos habeat, cubiti nonnunquam longitudine, quorum uſus ac pretium ebori comparatur. Fœtum ſupra unum aut alterum vix enititur: robuſtum & ferox animal, idcirco difficulter capitur, ſæpius in terram exit. Hujus catulum vidit & accurate deſcripſit ÆLIUS EVERHARDUS VORSTIUS hunc in modum. Bellua hæc erat magnitudine vituli aut Canis Britannici majoris, Phocæ non diſſimilis,

lis, capite rotundo, oculis bovinis naribus depreſſis ac patulis; quos modo contrahebat, modo diducebat, aurium loco utrimque foramina, rictu oris rotundo, nec ita vaſto, ſuperiore parte aut labro, myſtaca gerebat ſetis cartilagineis craſſis & rigidis conſtantem. Inferior maxilla trigona erat, lingua craſſa brevisque, atque os interius dentibus planis utrinque munitum, pedibus anterioribus poſterioribusque latis atque extrema corporis parte Phocam plane referebat. Pedes anteriores retrorſum ſpectabant cum progrederetur, digiti quinque membrana interſepiente diſtincti eaque craſſa. Poſterioribus digitis ungues impoſiti, non prioribus. Cauda plane carebat. Poſtica parte repebat magis quam incedebat. Cute craſſa coriacea, pilisque brevibus ac tenuibus obſita veſtiebatur, colore cinericeo. Grunnitum apri inſtar edebat, ſeu crocitabat voce gravi & valida, repebat per aream absque aqua. Quotidie per ſemihoram aut amplius dolio aqua pleno immittebatur, ut ſe ibi oblectaret. Catulus erat, ut ferebant, qui attulerant ex nova Zembla, decem hebdomatum, dentes ſeu cornua exerta, ut adultiores nondum habens, tubercula tamen in ſuperiori labro percipiebantur unde brevi proditura facile apparebat. Ferum & validum animal calebat ad tactum, valideque per nares ſpirabat. Pulmentarium ex avena milioque comedebat lente, & ſuctu magis quam deglutiendo, herumque geſtantem cibum & offerentem, magno niſu ac grunnitu accedebat, ſequebaturque nidore ejus allectus. Lardum ejus guſtantibus haud inſuave. Seniorum coria cccc. aut D. pondo pependiſſe ferunt. Dentes habent validos, quibus rupes ſcandunt & ſe ſuſtinent; Gregatim in terram prodire dicuntur, ut ibi ſomnum capiant. Pabulum illis folia oblonga & magna herbæ cujusdam è fundo maris naſcentis. Nec piſcibus vivere nec carnivorum eſſe volunt. Penem oſſeum mas habet, cujus pulvere Ruſſi utuntur contra calculum. Hæc Wormius in ſuo Museo.

Lupus

Ex DENTIBUS, Wallrußzähn / DENT d'HIPPOTAME, varia conficiunt, annulos contra ſpasmum, manubria gladiorum, framearum & cultrorum, quoniam pondere ſuo ictus fortiores ut fiant, juvant. Jslandi icunculas ex iis conficiunt, quibus in ludo Scacchico utuntur, Commen-

mendantur porro hi dentes in Medicina, ut antepilepticum & antiſpasmodicum ſingulare. HOECHSTETTERUS raſuram ejus laudat in ſiſtendo ſanguine, ſeu fluxu nimio uterino. Sunt qui ubivis ſanguinem ſiſtere hos dentes applicatos aut appenſos volunt. In terrore etiam & contra alterationes corporis inductas propinari ſolent. Dantur ad ℈ß. ℈j. ʒß. Adhibentur a dentifrangibulis, ſi loco deficientium dentium inciſorum alii inſerantur, nam qui exin fiunt, non flaveſcunt facile, quod accidit iis, qui ex ebore fiunt.

PENIS hujus animalis oſſeus totus ſpithamas circiter tres æquat, craſſus pollices duos, utroque extremo tuberoſus & ſpongioſus. Singulare calculoſis dicitur eſſe remedium. Pulvis quoque ex eodem partum promovet & ſecundinam prompte expellit. Quod ſi ex extrema penis ſpongioſi parte tuberoſa & ſpongioſa ſugatur cereviſia, ſtranguriam ſtaſtim ſedare aſſerit BARTHOLINUS in Hiſt. ANAT.

DENS LUPI.

Sunt oſſa duriſſima, teretia ac acuta, in maxilla Lupi ſerratim & inæqualiter, ad alimentorum comminutionem & tutelam adverſus invaſionem hoſtium, poſita.

Lupi

LUPUS græce dicitur λύκος, ἀπὸ τῆς λύκης a luce, quod prima luce eat ad prædam. Germanice audit, ein Wolff/ Gallice vero un Loup. Fœmella vocatur LUPA, eine Wölffin.

Lupus animal brutum, quadrupes, viſu & olfactu præſtans, ululans, forte ac crudele, rapax atque vorax, noxium & aſtutum, multis variisque beſtiis ovibus præſertim infeſtum.

LUPUS figura Cani magno paſtorali non abſimilis. Color varius, frequentior canus, aliquando candidus, raro nigricans, pilis undique riget. Dentes habet acutiſſimos ad morſum validiſſimum. Oculi

ſunt

ſunt ſplendentes noctu lucem ejaculantes. Armos habet validos, quibus ovem gerere & paſtorem fugere poteſt. Crura ſunt longa & genitalia oſſea. Inteſtina minus ſpiris involuta, unde citius exeunt, quæ devoravit. Curioſum eſt, quod cervix ſit ſolida. Cauda eſt villoſa & prope corporis longitudini æqualis. Minus libidinoſum eſt animal. Coit toto anno non niſi dies duodecim. Averſo modo inſtar Canis cohæret. Coitus tempore gregatim incedunt. Lupas certa anni dimenſione omnes intra dierum 12. ſpatium parere, ſunt, qui dicunt, forſan ut tot pariendi, quot coeundi dies iis conſtitutos intelligamus. Parturiunt diebus ac noctibus duodenis continuis, donec partu ſolvantur. Parit uno partu ſeptem aut novem. Nonum canem & non Lupum eſſe ajunt, ſed fabulam ſapit. Lupam primo partu unum niti dicunt catulum, ſecundo geminos & ſic deinceps usque ad nonum, indeque ſterileſcere; aſt reclamante experientia merito & hæc ſententia rejicitur. Amans prolis eſt, & tum maxime ſævit, cum catulos alit. Coit quoque cum canibus. Lupus ut dictum ululat, unde proverbium,

Ulula cum Lupis, cum quibus eſſe cupis.

Non parum valet motu, ut loquitur SPERLINGIUS. Curſu celerrimo inſequitur anſeres, quos, cum fatigavit, apprehendit: Lepores etiam aggreditur, & nunc curſu, nunc aſtutia vincit. Tempus, quo Lupus ad rapiendum & prædandum it, plerumque eſt illud, poſt mediam noctem, ac pene matutinum ſummumque diluculum. Voraciſſimum & pene inſatiabile animal, carnes, pilos, oſſa, aliaque ſolida devorat potius, quam comedit, atque integra rurſus alvo reddit. Famen per aliquot dies ſufferre poteſt, unaque vice tantum devorat, ut ad triduum aut ultra etiam ſufficiat. Cæterum cibus illius Talpæ, mures, & reliqua animantia, imprimis oves. Adoritur quoque homines, & in fame terram vorat. Aſtutum quoque animal eſt Lupus. Animalia cornuta invadit à tergo ne poſſint ſeſe defendere. Ventriculum quoque ſolet replere terra, ut fiat gravior, nec facile ab animalibus majoribus, quibus adhæreſcit, excutiatur. In periculis mature ſibi conſulit fuga. Noctu inceſſurus ad ovile & ad caulas incedit contra ventum, ne ſi ſecundo vento decurreret, canes ipſius odorem ſentirent, latratuque ſuo proderent. Si inter inſidias pes ejus aliquis alli-

ſus fuerit, & fecerit ſtrepitum, morſu quodã ipſum vehementer punit. Ut capras poſſit capere, ſub frondibus ſolet deliteſcere, & quidem prædæ inhians rictum latiſſime ſolet diducere, ſicque accurere, adeo, ut, ſi ſpe ſua fruſtretur, nihilominus obambulet ore hiante. Partem prædæ ſepelire ſolet, & cum eſurit, repetere. Timida tamen ſimul eſt beſtia, mature ſibi conſulit ut jam dictum fuga. Lapidem, ignem & gladium metuit, niſi fame nimis inſtinctus, ubi furit & in qualibet ſæ‑it. Nam & Lupus haud raro in furorem agitur, hominesque exinde demorſi in Lycanthropiam incidunt. Si captus eſt miteſcit, nec infert amplius damna. Cicurantur quandoque Lupi, ſed bene obſervandum, proverbium. *Lupus pilum mutat non animum.*

Magnam Lupi antipathiam cum cæteris animantibus fovere ſunt, qui aſſerunt. Narrant quod homines eo viſo, præſertim autem cum Lupus eos prius conſpexit, obmuteſcant, aut raucedine corripiantur; und illud profluit proverbium er hat einen Wolff geſehen: PLINIUS ait Luporum viſum in Italia eſſe noxium, vocemque hominis, quem prius contemplatur, adimere creditur, cui conſentit VIRGILIUS inquiens,

Vox quoque Moerim,
Jam fugit ipſa, Lupi Moerim videre priores.

Eſt Vir celebris, qui illud THEOCRITI

Ου φθέγξη, λύκον εἶδες;

Edere vocem non poteris,
Lupus eſt tibi viſus.

huic opinioni patrocinari videtur. Erat autem Lycus rivalis, cujusdam hominis, qui ad adventum Lyci apud amaſiam obmutuit plane. Quoniam autem λύκος Lupum quoque ſignificat, errorem quoque exinde confirmatum eſſe exiſtimat. Iſtud quoque proverbium *Lupus in fabula,* wann man den Wolff nennt/ ſo kommt er gerennt/ ex eodem licet deducatur fonte, quod ſcilicet ad illius, de quo loquimur,

mur, præſertim ſi non adeo benignos de eo miſceamus ſermones, ſubitaneum & inſperatum interventum loquendi facultas quaſi amputetur, nihil hic facit; nec cum illis, qui ex certis effluviis ex Lupi corpore, imprimis oculis exhalantibus, ſed potius cum iis, qui ex metu ab inopino Lupi conſpectu exorto, obmuteſcentiam hanc derivant, ſtatuendum. Recte propterea SCALIGER dicit: cur viſis Lupis homines obmuteſcant? quia in illorum oculis vis: Quid ſi oculos Lupi non vidi? num ejus oculi &c. dorſum penetrant & occiput ad linguam. Utinam tot ferulis caſtigarentur, mendaciorum aſſertores iſti, quot vicibus à Lupis viſi ſumus nos aliique ſine vocis jactura. Similis fabula eſt quod Lupus, ſi peregrinantibus occurrat viam tranſiens, boni ominis eſſe cenſeatur. Optimum eo tempore eſt ſi nullam infert noxam. Quod de cætero antipathiam cum reliquis animalibus concernit, imprimis quæ ipſi cum ovibus intercedere dicitur, recte SALTZMANNUS in DISSERTATIONE de LUPO pronunciat; Inter Lupum & Ovem non eſſe antipathiam, quia Lupus ovem non odit, ſed amat potius carnem, & Lupus oves appetit, quod ſibi ſuæque naturæ maxime judicet eſſe conſentaneas, uti & accipiter columbam, & cattus piſcem juxta KIRCHERUM de MAGNETE. Ovis metuit Lupum, ne devoretur. Sunt qui dicunt, quod confectæ fides ex Luporum viſceribus, ſi permiſceantur aliis fidibus ex ovium viſceribus, percuſſæ impediant ſonum fidium ovillarum. Item quod tympanum ex ovis pelle nil reſonet, inſonante tympano ex Lupi pelle confecto juxta verſus ALCIATI

Cætera muteſcunt, coriumque ſilebit ovillum
Si confecta Lupi tympana pelle ſonent.
Hanc membrana ovium ſic exhorreſcit, ut hoſtem
Exanimis quamvis non ferat exanimem.

GESNERUS non inepte reſpondit, quod mirum non ſit pellem Lupinam natura duriorem & ſolidiorem poſſe edere ſonum in fidibus & tympanis clariorem & diutius durare quam teneriorem ovillam. Si verum eſt quod Oves ſtercore Lupi ovili illato trepident, illud prove-

nit ab effluviis. Urgente fame in tantam ſævitiam & rabiem ſæpiſſime Lupi incidunt, ut humanas habitationes intrantes rapta jumenta in ſylvas deportent. Ovem cum rapuit Lupus paſtoremque inſequentem conſpicit, nec dimittit, nec interficit eam dorſo injectam & rictu detentam, ſed fugit ocyſſime.

Fera hæc in ſylvis & montibus, & frigore urente in campis, viisque &c. occurrit in Germania Gallia aliisque regionibus. Anglia iis caret, quoniam cum Angli multum ex pannorum artificio victitent, tandem tota Luporum natio fuerit exterminata.

In

Lupi caro, dicente SCHWENCKFELDT, frigida exiſtit, fœtida, ſicca, craſſa, cibo inutilis, utpote ſpiritus & humores corrumpens. Hepar præparatum violarum odorem ſpirare dicitur: omnibus hepatis vitiis tota ſubſtantia convenit: ſiccatum cum vino utiliter exhibetur Hydropicis, tuſſientibus & emaciatis. Jecinoris dolores ex mulſo reficit. Axungia calefacientis & digerentis eſt naturæ. Unguentis articulariis admiſcetur. Si ea fricentur oculi, contra lippitudinem prodeſt. Vulvas emollit. Si ejus Corio aut colo inteſtino ſtringatur venter colica laborantis, ægerque corio ſæpius inſideat prodeſſe multum ſcribunt. Idem præſtare dicunt, ſi per Colum potus hauriatur. Ex pellibus fiunt veſtimenta contra frigoris vim, nec ullas ſordes admittunt. Catulorum Luporum adhuc cœcutientium pellis præparatur Ventriculo & Colicæ uſui. Contra incubum commendatur pellis Lupina pro tegumento capitis. Cingulum ex Corio Lupi geſtatum prodeſſe fertur contra abortum. Tale cingulum celebratur etiam in epilepſia ventri & lumbis circumcinctum, pilis exterius poſitis. Cor Lupi arefactum commendatur contra epilepſiam. Inteſtina Lupi referuntur inter medicamenta contra inteſtinorum morbos. Oſſa Lupina commendantur contra pleurititidem; agunt ut alia oſſa.

Per

Per aſperam arteriam pulmonum Lupi potus hauſtus opitulatur, ut volunt, pueris poſt variolas in faucibus læſis. Bibitur quoque per hoc guttur in angina. Stercus, ut habet ETTMULLERUS cum aliis, eſt decantatum & expertum remedium contra dolores colicos quosvis: datur ad ʒj. in quovis vehiculo. Sæpius fit, ut in ſtercore Lupino reperiantur oſſicula, quæ propter duritiem ſubterfugiunt ventriculi digeſtionem; hujusmodi oſſicula pulveriſata cum ſucceſſu in colica propinantur.

Imprimis autem DENS LUPI, der Wolffszahn/la DENT de LOUP in uſum venit. Dentes ſcilicet argento incluſi infantulis familiares ſunt, quibus gingivas ſcilicet fricant, dentibusque erupturis pateſcere faciunt. ETTMULLERUS hoc auxilium nil valere putat, alii ſecus ſentiunt, & diſtinguunt inter uſum & abuſum. Adalligatus dens Lupi pavores infantium prohibere fertur & epilepſiæ mederi. Uſurpantur Dentes Lupi, canini dicti, & præprimis dexter.

℞. Jecoris Lupini triti ʒj cum vino exhibe non febrientibus, febri vero correptis ex aqua calida aut ſucco Cichorii pro hepate imbecilli roborando.

℞. Inteſtinor: Lupi pulver. ʒj. Vin. ℥iij. adhibe contra dolores colicos.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Dentes Luporum præparati, präparirte Wolffszähn/ *Dents de Loup preparées*. Agunt abſcorbendo, ut alii dentes, conveniunt in inflammationibus. Dantur ad ℈j. ʒß. ʒj.

LEPUS

TALUS LEPORIS.

Eſt primum os inter oſſa Tarſi Leporis, in ſuffragine po-

 ſteriore,

ſteriore, longitudine pene unciam adæquans, ſuperius per ginglymum tibiæ conjungitur, ex altera vero parte capitulo rotundo donatur, compagis ſatis ſolidæ, odoris ac ſaporis nullius evidentis.

Lepus

LEPUS quaſi LEVIPES, quia molliſſime incedit propter villoſitatem pedum, qui prona ſupinaque parte ſunt hirſuti. Græcis Lepus nominatur λαγὼς, λαγωὰς, λαγος a particula epitatica λα & ὦς, quoniam Lepus prælongas ſortitus eſt aures. Alii autem a λάειν derivant, quod eſt βλέπειν, quoniam viſus acumen Lepori tribuitur. Dicitur & πτὼξ a timiditate, item δασύπους a villoſitate pedum, & ταχίνας a velocitate. Germanice nuncupatur Haaß/Haſe/Gallice LIEVRE.

Lepus eſt animal cuivis notum, curſus velociſſimi, timidiſſimum. Caput ei agile, breve, rotundum, & in acutum deſinens, in labio ſuperiore inſignem habet fiſſuram. Collum anguſtum, rotundum, molle oblongum. Aures die Löffel / ſunt longæ & ſublimes. Villi breves, molles, leves; Crura poſteriora longiora prioribus, itaque facilius aſcendunt quam deſcendunt. Dorſum pullum ſeu cinereum. Venter albus. Oculi glauci. Cauda brevis. Cor magnum. Jecur ſæpe adeo fiſſum, ut duplex ſeu binum crederetur, cui inhæret bilis veſicula longiuſcula.

Differunt Lepores inter ſe colore, magnitudine, pinguedine, loco natali. Dantur Lepores albi. Ordinario autem Leporibus eſt color terræ h.e. pullus in pilo dorſi. Hinc humi jacentes minus oculis patent. In ventre vel candicant ut juniores, vel rutili quodammodo ſunt ut ſeniores. In locis, in quibus pabuli ſuppetit abundantia, corpulentiores quoque viſuntur; macriores autem ibi, ubi victus eſt inopia. Ratione loci Lepores montani alii ſunt, alii campeſtres, paluſtres alii. Montani cæteros magnitudine pilorumque denſitate ſuperant. Eſt lepus animal ὀπισθουρητικὸν retro urinam reddens, ſeu ex adverſo mingens. Solus pilos habet in bucca intus & ſub pedibus, cum cætera animalia nec intra os habeant pilos, nec parte pedum ſupina ſed prona. Coagulum habet in ventriculo, quoniam herba lactei ſucci paſcitur, habetque hoc peculiare præ cæteris, quæ πολυδάκτυλα. Nam

coagulum

coagulum illa ſolum gignunt, quæ πολυκοίλια. Id obtinent ruminantia omnia, & inter utrinque dentata Lepus. Ruminat more biſulcorum, neque tamen ordinario cornua geſtat, neque pluribus ventriculis eſt inſtructus. Pedes illius in plures digitos fiſſi ſunt. Sanguis Leporis ſpiſſatur non coitu firmiore ut cæterorum animantium, ſed fluidiore. Animal eſt libidinoſum. MAS vocatur ein Ramler/ FOEMINA vero eine Häßin/ ein Mutterhaß. Coit averſe, quia membra eorum genitalia in parte poſteriore corporis ſita ſunt. Coeunt & pariunt, vulgo ſetzen/ quoquo tempore, dumque utero ferunt ſuperfoetant, uti volunt, generantque ſingulis menſibus, ſed fœtus edunt non univerſos, verum diebus interpoſitis, nempe quot dies interpoſuerunt inter partum & alterum coitum, tot interponunt inter edendum ſerius conceptum fœtum & editum maturiorem. Fœmina Lac habet priusquam pariat, & continuo a partu coitum repetit, lactansque adhuc fœtum concipit. Unde etiam verſus de Lepore fœmella,

Prolis amans gignit fœtus, lactatque tenellos,
Dumque ſuperfœtat, dum parit, usque coit.

Lac illius ſimile ſuillo quantum ad craſſitiem. Partum non cæcum edit. Fœcunditas inde conſpicitur, quia ſi 4. tantum lepores immittantur in λαγωτροφεῖον h. e. leporarium, brevi tempore impletur. Pariunt fœminæ in nemoribus ſecretioribus nunc 2. interdum 3. aliquando 4. catulos. Editos lactant 20. dierum ſpatio. Poſtea a parentibus ducuntur ad paſtum. Vana eſt perſuaſio, eis utrumque ſexum & utramque gignendi vim ineſſe & omnes Lepores æque gignere, ac ſi eſſent Hermaphroditi, ſeu utriusque ſexus. Eſt animal timidum, imbecillum, imbelle. Fœtus ſuos in plura loca diſtribuit, ut uno pereunte, reliqui ſalventur. Vento ſe accomodat. Nam ſi adverſo vento canis aut homo accedat, illico hoſtem aut inſidias adeſſe animadvertit, pedumque velocitate fretus ſe ſalvat. Cubilia ſibi fabricat hyeme in locis apricis, æſtate ad Aquilonem ſitis. Vox Lepori acuta & ſonora. Catuli cum premuntur manibus acutiſſimum edunt clamorem. Vita 7. aut 10. annorum. Fœminæ ſunt longioris vitæ.

Lepus delectatur ſtirpibus, ſoncho, lactuca, intybo, oleribus etiam, braſſica, & in horum defectu avena & leguminibus. Tempore Brumæ,

quando

quando terra nivibus eſt obducta corticibus arborum & fruticum veſcitur.

Natalis ſoli amantiſſimus eſt. Vagatur in planis & montanis. Nulla pene regio eſt, quæ non alat lepores. Sunt qui ſtatuunt Lepores dormire patentibus oculis, forſan, dicente SEBIZIO, quia palpebra ſuperior brevior eſt, quam ut prominentes eorum oculos tegere poſſit. Alii dicunt oculos in ſomno feriantes tantummodo translucere per palpebram tertiam ſuperinductam. Capiuntur Lepores Canibus ſagacibus, occiduntur ſclopetis tum quovis tempore, tum imprimis poſt meſſem & rigente bruma, usque ad Martium ubi utero geſtiunt & parere incipiunt.

SCORPIO

Lepus multum inſervit Medicinæ, & inprimis etiam Gulæ.

CARO LEPORINA, uti diſſerit SEBIZIUS, apud Ethnicos olim in menſarum deliciis reponebatur. Neque neglectam fuiſſe a Romanis argumento eſt, quod Leporaria nomen a Leporibus traxerint. Recenſetur quoque adhuc hodie inter lautas delicatasque epulas. Apparatur autem à Coquinariæ artis magiſtris modis variis. Nam pars poſterior una cum lumbis aſſatur, & tum lardo, tum aromatibus tum aceto conditur. Pars anterior una cum capite & viſceribus elixatur in jure illo Laconum nigro, quod PULTEM PIPERATAM, den Haſen-Pfeffer & per jocum Carnem in tenebris appellant. Aliquando & panificio incruſtatur. Verum Lumbi, clunes & coxæ laudatiſſimum præbent pulmentum, marium præcipue, qui fœminis in cibatu præferuntur, præſertim ſi habitaverint in montanis planisve locis. Nam qui in paluſtribus vagantur, deterioris ſunt carnis & ſucci. CATULI LEPORUM, qui λαγώδια, μικρὰ λάγια LEPUSCULI Häßlin/ junge Haſen / LEPRAUX nuncupantur, bimeſtres, trimeſtres, quadrimeſtres, ſemeſtres, ad

ſummum

ſummum octimeſtres inter autitias eduliorum referuntur. Sunt enim teneri, delicati, hocque nomine, εὔπεπτοι, καὶ εὔχυμοι; facilis digeſtionis & boni ſucci. Unde locum quoque hic habet illud MARTIALIS

Inter aves Turdus, ſi quis me judice certet,
Inter quadrupedes, gloria prima Lepus.

Contra ſe habet caro annoſorum, quæ ſicca, craſſa, dura, ſanguinisque melancholici, ut loquuntur, parens. Galli dicunt,

Les vieux Lievres & oiſons,
Sont une viande des demons.

Sunt qui dicunt carnem leporinam ſomnum & tumultuoſa conciliare inſomnia. Vulgo perſuaſum eſt, eſu carnis Leporinæ gratiam h. e. pulchritudinem corpori in ſeptem dies conciliari, ſed placitum iſtud frivolum jocum appellat PLINIUS. Id quod etiam MARTIALIS pro fabula habuiſſe videtur, hiſce diſtichis:

Si quando Leporem mittis mihi, Gellia, dicis
Formoſus ſeptem, Marce, diebus eris.
Si non derides, ſi verum lux mea narras,
Ediſti nunquam Gellia, Tu Leporem.

Caro Leporina, iis, qui corpus exiccare volunt, ut docet SCHWENCKFELDT, utilis. Prodeſt Phegmaticis & obeſis corporibus, urinam proritat, & alvum cohibet. Nimius ac frequens ejus uſus obſtructiones Hepatis ac Splenis

 efficit;

efficit; Pulmonique nocet. Melancholicis & emaciatis minus ſalubris. Confert Dyſentericis aſſata ſumpta.

SANGUIS LEPORINUS, Haſenſchweiß / SANG DE LIEVRE, diſſerente ETTMULLERO, eſt egregium experimentum in curanda dyſenteria, ex Lepore probe in venatione agitato, adeoque in ſummo pavore mortis conſtituto deſumptus: tunc per juguli inciſionem colligatur ſanguis & ita linteis mundis excipiatur & exſiccetur. Sic ſanguis exſiccatus & pulveriſatus ac doſi ʒj. in aqua appropriata aſſumptus, contra epilepſiam internam, dyſenteriam & eryſipelata ſingulare eſt remedium. Capiatur etiam Lepus tempore verno aut menſe Martio. Pro uſu ſumatur linteum cruore Leporis tinctum, infundatur in hauſtu vini vel aqua appropriata, donec omnis color extractus: poſtmodum vinum infuſionis hauriatur, & remedium erit plane ſingulare in dictis affectibus, imprimis dyſenteria, uti MICHAELIS hoc ipſum propria experientia edoctus confirmavit. Externe linteum ſanguine leporino impraegnatum imponitur eryſipelati, locisque podagricis & noctu dolentibus, qui brevi poſt ſublevantur: ſiſtendo enim dolorem evaneſcere ſolet tumor. Sunt etiam qui ad praecavendum Eryſipelas ſuadent, ut linteum tali ſanguine tinctum continuo geſtetur.

CEREBRUM LEPORINUM ad difficilem dentium proventum in infantibus gingivis illinitur. Aſſatum manditur juvandis tremoribus, qui ex mala affectione corporis contracti ſunt.

COR LEPORIS tanquam certum experimentum ad quartanam commendatur. Sumatur ſcilicet Cor Leporis in fuga capti probe diſcindatur, & exſiccetur lente, pulveriſetur, & dividatur in tres vel quatuor partes; quarum una ſem-

per

per ſumatur in quartana ante paroxyſmum. Adhibetur in vino albo, ſeu aqua Cardui Benedicti, Cichorii &c.

OCULUS recens ſomnum conciliare fertur appenſus vulgi perſuaſione, uti bene monet SCHWENCKFELDT.

PULMO ſale conditus epilepticis medetur ſpacio 30. dierum ingeſtus. HEPAR cœliacis & hepaticis confert. LIEN Lienoſis opitulatur.

UTERUS LEPORINUS commendatur valde in hydrope uteri, & ad impediendam ſterilitatem mulierum, ſi exſiccetur & propinetur, aut aſſetur & comedatur; imprimis ſi fiat eſſentia ex matrice leporis & ſecundinæ mulieris fœcundæ, & propinetur interne, mulieres ſteriles conceptioni idoneas reddit.

RENES ſiccati ad ʒj. in vehiculo conveniente calculoſis propinantur. FEL viſum clarificat & pterygia maculasque oculorum delet. FIMUS Leporis rupta inteſtina ſanare valet, ambuſtis medetur, impetigines ſanat cum aceto. Laudatur quoque ad epilepſiam & calculum. CAPUT Leporis totum uſtum cum melle anthoſato dentes abſtergit. PELLIS LEPORINA, ein Haſenbalg / PEAU DE LIEVRE, mollis eſt, calefacit & roborat, ad indumenta aptatur. Manicæ & caligæ parantur utiles articulariis membris.

PILI LEPORINI ſanguinem ſiſtere dicuntur, & linimentis ſanguinem ſiſtentibus miſcentur. Hinc adeo fuit famoſum, ut loquitur ETTMULLERUS, GALENI unguentum ex Aloë, Myrrha, Thure, & Pilis Leporinis combuſtis, in quantitate æquali aſſumptis, quod in ſpecie commendatur ad Hæmorrhagiam in Arteriotomia, quæ aliter difficulter poteſt ſiſti propter ſanguinis impetuoſum nimis affluxum.

ADEPS ſive PINGUEDO LEPORINA, Haſen-Schmaltz / GRAISSE DE LIEVRE, corpori infixa extrahit, rumpit abſceſſus. Dicunt autem quod in infixis expellendis è regione debeat inungi. In hernioſis applicatur axungia Leporina, illita corio, ſpinæ dorſi vel ſola vel miſta cum axungia Vrſina, & ſic adjuvat retentionem & repoſitionem inteſtinorum prolapſorum. Dolori dentium medetur poſt aures ſi ponatur. Dicitur autem auditui noxium eſſe remedium.

PEDES Scoparum uſus præbent ad pulverem detergendum & quiſquilias verrendas.

Imprimis autem TALVS LEPORIS, der Haſenſprung/ TALON DE LIEVRE, tanquam abſorbens laudatur. Ex aceto ſumptus calculoſis, ex vino cum mace Colicis prodeſſe fertur. Prægnantibus pauperculis ad facilitandum partum ex vino, aqua Pulegii vel Artemiſiæ datur. In colica etiam laudatur, ſi funiculo è filis Leporinis facto ſuſpendatur de collo. Conducit etiam in Dyſuria. Epilepſiam, ut volunt, tollit cum viſco quercino, coralliis, margaritis & granis Poeoniæ ſumptus.

COAGVLVM LEPORIS, Haſenlipp / Haſenlapp/ Gerinſel. Acris & digerentis eſt facultatis ac exſiccantis, ſanguinem concretum diſſolvit, venenis reſiſtit, venenatorumque morſibus. Coeliacis, dyſenteriis & fœminis vulvæ fluxioni laborantibus ac rejectionibus è pectore in vino auxiliatur. Comitialem ex aceto ſingulari experimento curat.

SCORPIO.

Scorpio eſt inſectum terreſtre, parvum, forma cancros æmulans coloris albicantis flaveſcentis aut nigricantis.

Scorpio

SCORPIO vocatur etiam SCORPIUS, Scorpion/SCORPION. Sub ore Scorpii utrinque adſunt chelæ tribus geniculis anguloſis & hiſpidis aculeatæ, osque ipſum emittit geniculis impoſitos duos forcipes minimos denticulatos, intra quos reſidet oris papilla; Maxilla inferior biſulca & dentata eſt: pectoris ſcutum utrinque 4. pedes promit, quorum primi breviores, ultimi longiores exiſtunt: quivis pes in hamulos gemellos deſinit & ſex articulis flectitur. Dorſum ſtriatum eſt & tubercula habet nigricantia. Venter ſquammis tribus ſeſe exceptantibus pollet: quarum quamlibet ſuperne linea condecorat. Lingua pennata. Dorſo præponitur ſcutum ſplendidum; infra ultimos pedes ſitæ ſunt pennulæ duæ, octo ſtriis præditæ. Cauda Scorpii 6. verticillos angulares, mobiles ac punctis notatos habet, quorum extremo aculeus recurvus & cavus, veneno pollens tanquam apophyſis adhæret. Reperiuntur Scorpiones in regionibus calidioribus, Hiſpania, Italia, Gallo Provincia, Languedocia ut & in Aſia & Africa: Muros & terram inhabitant; nutriuntur Scorpiones vermibus & herbis. Sunt qui Scorpiones ex Ocymo ſive Baſilico aut ♋is contuſis provenire volunt, ſed falſo. Scorpiones enim Scorpiunculos edunt. Punctura ſive morſus Scorpionum eſt venenatus & quidem notandum 1. quod Scorpiones non pungant niſi partes corporis pilis obſita. 2. Aculeum ſemper oblique infligunt. 3. Æſtate & meridie quando colore & ſiti torquentur, ferociores ſunt. 4 Obſervatur quod quam maxime ſint venenati, quando inter ſe prius pugnant & 5. quod vix pungant niſi irritentur. Sunt qui dicunt, quod homo a Scorpionibus læſus curari non poſſit, ſi eo die Baſilicum comederit. A morſu autem horum animalium varia ſymptomata variis hominibus pro varietate potiſſimum Scorpionum oriuntur; mox adeſt febris acuta, mox mictus cruentus, mox ſummo calore, mox ſummo frigore corripiuntur; mox a morſu pars inflammatur & mox frigore horret.

Curatur morſus Scorpionum à frictu Scorpii, item Theriaca, Mithridatio, ⊖e Volatili viperarum, variis aromatibus &c.

IN

Scorpiones abundant ſale volatili & propterea obtinent

nent vim diureticam & in Electuario O-vietano tanquam alexipharmacum remedium uſurpantur. Scorpiones pulveriſati à gr. j. ad iij. cum aliis commendantur ad urinam ciendam, abſtergendum ſabulum in renibus & veſica, nec non calculum promovendum.

ALBUM

IN OFFICINIS PROSTANT.

Oleum Scorpionum ſimplex, Scorpionöehl/ *Huile de Scorpions ſimple*. Per infuſionem & inſolationem cum oleo amygdal. amar. Interne hoc oleum a quibusdam tanquam diureticum commendatur ad Urinam pellendam & calculum promovendum. Externe regioni pubis, renum aut veſicæ vel ſolum vel cum unguento dialtheæ, petroleo, 🝆 juniperi, 🝆eo therebinthinæ, 🝆 ceræ aut cum cataplasmatibus è cepa ſive è parietaria impoſitum, renum ac veſicæ calculum diſſolvere à quibusdam dicitur. Confert ad obſtructiones viarum urinariarum, dicitur etiam reſiſtere venenis & peſti: In dolore aurium gutta una aut altera calide inſtillatur aut cum bombace inditur. Pro uſu Alexipharmaco & Antipeſtilentiali, nec non ad præſervationem contra morbos Epidemicos regioni cordis, pulſibus & aliis membris illinitur. Medetur etiam ictibus animalium venenatorum. Notandum tantum hic, quod uſus hujus 🝆ei, ſicut & aliorum 🝆eoſorum quandoque noxius evadat, dum poris cutis hoc modo inviſcatis, tranſpiratio inſenſibilis impeditur & ſic exitu cauſæ morbificæ & veneni intercluſo, plus noxæ quam commodi infertur.

Oleum Scorpionum magnum Matthioli, das beſte Scorpion-Oehl/ *Huile de Scorpions double ou compoſe de Matthiole*. Pro uſu externo potiſſimum inſervit: illinitur pulſibus & cordi ac arteriis temporum in peſte & aliis affectibus malignis, bubonibus peſtilentialibus &c. Inſervit quoque pro remedio cordiali externo. Adhibetur ad malaxanda Emplaſtra, item in unguentis ad morſus venenatos cum oleo citri & camphora mixtum.

ALBUM GRÆCUM.

Sunt excrementa alvina Canis, coloris albicantis, pura minimeque fœtentia.

EX

Κύων à κύειν id eſt amare, σκύλαξ, CANIS a canendo dici videtur, quod noctu in cuſtodia & venando ſignum det. Ein Hund / un CHIEN.

Canis eſt animal brutum, quadrupes, latrabile, vigilans, ſagax ac hero ſuo mire blandiens & fideliſſimum.

Quis hominum inquit COLUMELLA clarius, aut tanta vociferatione beſtiam vel feram prædicat, quam ille latratu? Quis famulus amantior domini? quis cuſtos incorruptior? quis excubitor inveniri poteſt vigilantior? quis fidelior comes? quis denique ultor aut vindex conſtantior. Nullum animal tam tenax eſſe beneficii poteſt ut canis & memor gratiæ, quandoquidem pro domino ſuo & latrones inſilire & extraneis nocturnos acceſſus noverit prohibere, mori pro dominis & commori dominis ſunt parati; ſæpe etiam illatæ necis evidentia Canes ad redarguendum reos indicia prodiderunt. Mira ei docilitas, utpote qui nutus domini ſui novit nemine alio id advertente. Voraciſſimum animal eſt, & recipit, quæ evomuit. Nutritur oſſibus, carnibus, pane & aliis. Humana etiam cadavera devorat, quin hominem vivum allatrare, lacerare ac devorare geſtit. Nec in peregrinos tantum & hoſpites hanc ſuam exerit ferociam, ſed in ipſos domeſticos & è quorum manu ſæpe ſumſit cibum. Carnem autem caninam non tangit, quibuscunque etiam odoribus ac ſaporibus transformetur. Sagaciſſimus (verba SPERLINGII in ZOOLOGIA) eſt Canis, & non tantum veſtigia heri a peregrini, ſed & Luporum, aprorum aliorumque brutorum a ſe inviciem diſtinguit. Quidam etiam coturnices ac perdices ſentiunt eminus, nec diſcedunt prius, quam aut globo petita aut retibus capta fuerit præda. Cauſæ tantæ ſagacitatis eſt nervus odoratus, major in cane quam in bove, equo aut alio animali. Vigilantiſſimus etiam eſt, & nocturno diurnoque

que tempore agit excubias. Cum furem aut beſtiam adeſſe ſentit, indeſinenter vociferatur. Cum dormit ſomnia habet, ſæpeque nemine præſente latrat & ululat falſa deceptus imagine. Valet etiam memoria, nam per egregia temporum & locorum ſpatia domum repetit, domeſticos à cæteris diſcernit, benefactores amat, hoſtes metuit. Iracundum eſt animal. Vix cohabitare poſſunt in vaſtis etiam ædibus. Motus hujus animalis celerrimus eſt, leporesque lupos & reliquas feras curſu ſuperat. In gratiam domini autem, dato ſigno, oppido ſubſiſtit. Tam reverenter herum ſuam habet, ut dimittat prædam ad ipſius nutum; ſunt etiam rebus ludicris dediti, ligna, lapides abjectos reportantes. Et cum incaluiſſe ſe dicunt domini, pileum è capite tollunt. Quidam macellum petunt carnes emunt & domum reportant. Alii cum aſſatur caro vertunt veru & ancillis potius, quam ventri ac gulæ, obediunt, adhibentur quoque in ſpectaculis, & ſaltationibus variisque geſticulationibus delectant ſpectatores. Latrare & allatrare Canum eſt. Libidinoſum animal eſt Canis, palam in omnium conſpectu coit etiam cum matre, cum ſororibus ac liberis congreditur, nec ſua ſpecie contentus eſt, ſed cum Lupis, Vulpibus &c. miſcetur. Mares de fœminis maxime pugnant ad ſanguinem usque. Poſt coitum tenaciſſime cohærent ob oſſiculum in penis medio poſitum, circa quod ex mente Sperlingii ſpiritus & humores aggregantur. Coeunt averſa parte, & uno coitu ſæpius impletur Canis fœmina, die Zatz/ die Zupp/ die Hündin/ la Chienne. Uterum gerunt novem hebdomadis aut diebus 61. 62. 63. Parit quinque ſex ſeptem & plures catulos & quidem cæcos; ante ſeptimum & nonum diem non cernunt.

Inter canes maxima occurrit varietas, ſequentes ſpecies deſcribit SCHWENKFELDT.

CANIS VILLATICUS, ADCLAMATOR, CANIS DOMESTICUS, κύων ὄικουρος, ὀικόδουρος. Ein Hauß-Hund/ Wacht-Hund/ Dorffriede/ Wacker/ Forbergs Hund. adverſus hominum inſidias eligitur & villam, quæque villæ juncta ſunt, cuſtodit.

CANIS PECUARIUS, κύων ποιμενικὸς, CANIS PASTORALIS ein Schäffer-Hund/ ein Schaff-Riede/ Riede/ Vieh-Hund/ incurſus Luporum & Abigeorum cavet. Domi obſervat ſtabulum, foris pecora paſcentia.

CANIS ANGLICUS, μολεττός, CANIS BRITANNICUS

MOLOSSUS,

MOLOSSUS, ein Engliſcher Hund / ein Engliſcher Dogue. Non ſpecie tantum & decore quantum viribus pollet & taciturna ſolertia. Robuſtus eſt magnanimis & fortis.

CANIS AQUATICUS, λάσιος λαγνώδης, CANIS VILLOSUS AQUATICUS, ein Waſſer-Hund / Schieß-Hund / zottechter Hund / ein Budel. Aves bombarda percuſſas ex aquis reportat.

CANIS VENATICUS, κύων θηρευτικός, CANIS VELOX, GALLICUS, CURSOR, ein Wind/ Windſpiel / Jagdhund / Flieger Latebra ejectas & fugatas feras perſequitur & vel mordicus comprehenſas retinet.

CANIS VESTIGIATOR, κύων ἰχνευτικός, CANIS SAGAX, ODORIS, ODORIRSEQUUS, ein Spür-Hund. Mediocris eſt magnitudinis cujus in venatu ſolertia & ſagacitas plurima. Naris enim ſagacitate & odore ſcrutatur & explorat, & vel prodit indicio vel de latebris perveſtigatas exturbat feras.

VERTAGUS, ein Steuber/ paulo minor cane ſagaci, qui explorat feras.

CANICULA CAVERNARUM, ein Lochhündlin/ Küchhündlin/ Schliefferlin/ Dachshund. Subit Vulpium ac Melium cavernas & morſibus ad exitum cogit.

CANICULA SANGUINEA, ein Bluthund/ der dem Blut nach ſpüret/ Leithund die man an ſtarcken Kopplen allezeit leiten muß. Qui Feram ſauciatam ac vulneratam ſcrutando prodit.

CANICULA AVICULARIS, ein Federſpiel/ Ablaghund/ Verlegenhund/ ein Hünerhund/ ein vorſtehender Hund.

CANIS MELITÆVS, κύων μελιταῖος, ein Luſthündlein / Spielhündlein/ Jungfrauhündlein. Catellus eſt, qui animi cauſa nutritur & ad luſum muliercularum duntaxat.

CATULUS, CATELLUS, CATELLA, κυνάριον σκύμνος, κυνίδιον, ein Hündlin/ ein jung Hündlein. His tandem à modo dicto authore additur.

CANIS RABIDUS, κύων λυσσώδης, ein raſender Hund/ wütender tauber Hund/ wütiger Hund/ UN CHIEN ENRAGE'. Canis autem magis æſtate Caniculæ ardoribus & hyeme frigoribus vehementiſſimis in rabiem agitur, quam reliquis temporibus, peruſto nimirum eorum ſanguine æſtate, hyeme vero frigoribus concreto. Indicia

dicia ſunt. Corpus gracile ſiccum: Oculi rubent, cauda demiſſa, ſpuma ex ore fluit: Lingua foris porrigitur tanquam bile colorata; obvium quemque inſilit, citraque rationem occurrit, gradu incedit lento: Aures demiſſæ, vox abſciſſa, caput ſtupidum &c.

FORMICÆ

Ex canibus plura in uſum Medicum veniunt. CATULUS LACTENS ventri appoſitus malum colicorum ad ſe trahit, doloresque colicos levat. Ventriculo frigido & languenti calorem & robur fotu afflat. Ingraveſcente dolore podagrico ad pedem affectum poſitus, non tantum calore ſuo difflat materiam & digerit, ſed mali vim ad ſe pertrahit, ita ut interdum quoque mori ſit animadverſum. Ex catellis quinque vel ſex dies natis adhuc vivis deſtillando elicitur aqua inſipida, nec odore vel ſapore ingrato imbuta, ad inſtar aquæ fontanæ, quæ quantis viribus ſit prædita inde liquet, quod, ſi membris dolore podagrico vehementiſſimo obſeſſis penna illinatur vel linteolo in ea madido applicetur, in inſtanti levamen percipiatur, doloribus ſedatis. Hæc habet HOFFMANNUS in CLAVE AD SCHROEDERUM.

PELLIS CANIS bene macerata & præparata cum materia adſtringente, galla, alumine &c. plurimum facere fertur ad præcautionem podagræ. Chirothecæ ex hac paratæ, manuum leniunt pruritum. Pellis quoque talis ſubditur ægrotis ad præcavendas excoriationes.

LINGUAM CANIS VIVI lambendo in ulceribus conducere perhibent. Salivam etiam pro eodem ſcopo facere contendunt.

CEREBRUM CANIS, præſertim ex cane unius coloris deſumptum, decoctum & comeſtum in mania multum præſtare fertur. Alii commendant cerebrum catellorum deſtillatum

latum cum ſpiritu vitrioli in cura maniæ. Cerebrum quoque canum dicitur convenire in fracturis, inſtar cataplasmatis adhibitum.

DENTES CANINI longiſſimi laudantur in dolore dentium, ſi gingivæ iis cruententur. Dicuntur quoque eſſe amuletum contra quartanam, ſi de collo ſuſpendantur. Debent autem depromi de Cane nigro. Dentium cinis cum melle vel butyro illitus mandibulis infantum, facilem reddit dentitionem.

CALVARIÆ & aliorum OSSIUM CINIS ulcera deſiccat, Rhagades & teſticulorum tumores curat. Pulvis oſſis Canis miſtum cum pulvere pyrio in ejus præparatione impedit, quo minus audiatur ſonitus juxta STARICIUM.

Sanguis commendatur contra veneficia hauſtus & contra rabioſæ beſtiæ morſum.

URINA verrucas abigit, ulcera capitis manantia, furfuresque abſtergit, pruritus & lepras cum nitro expurgat.

LAC CANIS primiparæ perunctum facit glabeſcere: contra venena antidoti vim obtinet. Inſtillatum ſedat aurium dolores.

FEL CANIS NIGRI cum appropriatis ex pulvere ſumptum Epilepticis mire conducit. Laudatur autem præprimis fel catelli lactantis nigri ſtrangulati; aſſumitur cum aceto aut alio appropriato vehiculo. Datur pro ratione circumſtantiarum ad guttas v. vj. x. &c. Externe delet maculas faciei cum ſtercore vitulino inunctum, oculorum albugini medetur cum melle illitum.

PILI impoſiti morſibus canis rabidi medentur. Sicuti quoque hepar canis rabidi uſtum tanquam ſecretum commendant ad eundem morſum.

AXUNGIA CANINA, Hunds-Schmaltz / AXONGE ou GRAISSE DE CHIEN. Ob ſal volatile in ea deliteſcens

interdum levamen affert in Phthiſicis pulmonum exulceratione laborantibus. Conducit in fracturis oſſium & coſtarum, in caſu ab alto, ad ſanguinem diſſolvendum. Ex aceto vel cereviſia vino aut juſculo ſumitur. Aures exſurdatas reparat, earumque ut & podagræ dolorem tollit. Scabiem manuum ſanat & pruritum lenit inuncta. Contra atrophiam quoque valet. Carnifices hujus axungiæ uſum bene norunt.

STERCUS CANINUM vocatur, ALBUM GRÆCUM, quam ob rem vero, ut cum LANGIO loquar, neſciq, ſolte vielleicht album DRECKVM heiſſen juxta MATTHIOLVM & AMMANNVM. Dicitur album græcum ad differentiam Nigri græci, quo nomine ſalutatur Muſcerda. Germanice appellatur, weißer Entzian oder weißer Hundskoth / Gallice, ALBVM GRÆCVM, EXCREMENT ou CROTTE DE CHIEN. Colligitur ab iis canibus, qui ſolis oſſibus (quidam requirunt oſſa humana, ſed citra neceſſitatem) nutriti fuerunt, ob id durum album neque graviter olens. Sunt qui colligere jubent hoc ſtercus Julio menſe. Gaudet Album græcum, dicente ETTMVLLERO, ſale ammoniacali, uti reliqua ſtercora animalium, ſudorem movet, ſanguinis grumos diſſolvit, acidum primarum viarum deſtruit, & hinc in pleuritide mire convenit. Egregium experimentum eſt in nimio fluore menſium, & appropriatum exiſtit ad compeſcendam hæmorrhagiam uteri, item in dyſenteria, paſſione hyſterica & colica ex acido auſtero nata; adverſus febres quartanas & tertianas conducit. Ingreditur ob vim traumaticam potiones vulnerarias. Emollit tumores duros, ſi imponatur ſub forma emplaſtri, diſcutit aquas hydropicorum, ſi cataplasmatis forma applicetur. Abigit verrucas, ſi cinis ejus adhibeatur. Ad ſcrophulas hoc ſtercus dicitur expertiſſimum & infallible remedium, teſte LANGIO, in ſpe-

cie von einem Schaaff-Hund/ non tamen album ſed nigrum. Specifice laudatur in angina & aliis oris atque faucium affectibus. Fiſtula gutturi inſufflatum valentiſſimum eſt remedium in cruſtis oris & Angina, in Pariſthmiorum phlegmone & Tonſillarum magna inflammatione. Non autem inſufflatur pulvis, ſed miſcetur gargarismatibus, aut cum melle ſubactum affectis locis illinitur, aut cataplasmatibus & unguentis tam ad diſcuſſionem quam maturationem deſtinatis miſcetur: abſceſſum diſcutit, maturat & rumpit, & parat viam ad puris excretionem: ulcera faucium ſine nota curat. Nullum vere eſt cataplasma aut unguentum in angina, quod non ingrediatur nidus Hirundinis cum ſtercore canino; quod ipſum (verba ſunt ſuperius allegati ETTMULLERI) ratione ſalis nitroſi virtute inciſiva & penetrativa diſſolvit tumorem, acidum coagulans & inflammationes temperat & corrigit, & ſic inflammationi medetur abſceſſumque diſcutiendo præcavet.

℞. Herb. veron. pyrol. Sanic. conſolid. Saracen. Nicot. ana man. viij. albi græci ℥vj. coq. in aqu. Prodeſt in vulneribus interne, externe etiam inſtar lotionis, applicatur iisdem, & illa cito tuto & jucunde ſanat.

℞. Herb. Succis. man. jv. Scabios. Veron. ana man. j. albi græci ℥ß. coqu. in ſuff. qu. aqu. ſimpl. pro gargarismate diſcutiente in angina.

℞. Aqu. Succis. ℥vj Beton. Scabioſ. ana ℥iij. Rob. Nuc. Diamor. ana ℥iß. Alb. Græci ℥ß. Mſc. pro gargariſmate in angina.

℞. Mell. roſacei ℥ij. Rob. Diamoron ℥jß. albi græci ℥ß. Mſc. f. electuar. cujus ſæpius quantitas nucis moſchatæ lambatur in angina.

℞. Mell. ad ſpiſſit. coct. ℥jv. Mell. roſac. ℥ij. albi græci

 ſub-

ſubtiliſſime pulveriſati ad cataplasmatis conſiſtentiam. Applicetur externe.

℞. Rad. liquir. ℥ß. Ebuli, Ireos ana ℥ij. flor. Chamom. roſar. rubr. Hyper. ana p. ij. Dactyl. No. iij. fic. No. j. Sem. foen. græc. ʒij. Albi græci ʒiij. coqu. in decoct. rapar. colatur. ℔jß. adde Syrup. capill. Vener. Jujub. ana ℥j. Mſc. pro gargarismate temperato emolliente ad ſuppurationem diſponente.

℞. Rad. Alth. ℥ij. liquir. ℥j. Herb. Malv. man. j. Cham. Melil. ana mß. fic. ping. inciſ. No. ij. Alb. græci ℥ß. coq. in aqua commun. Decoct. Rapor. Ser. Lactis, vel ubi minor adeſt æſtus vel nimius dolor in ipſo lacte cum ▽ miſto vel lacte ebutyrato pro gargarismate.

℞. Herb. Melilol. fol. Hyoſcyam. ana man. j. flor. Chamom. melil. ana ℥ß. Rad. alth. malv. albi græci ana ℥j. Inciſa contuſa coqu in s. q. lactis ad conſiſtentiam pultis, cui trajectæ adde terebinth cum vitell. ov. ſolut. ℥ß. Mſc pro cataplasmate ſuppurante & diſcutiente contra anginam.

ANIMAL SALE VOLATILI OLEOSO CUM ODORE FRAGRANTISSIMO CONSTANS.

FORMICÆ.

Plures formicarum ſpecies reperiuntur, quarum aliæ ſunt gryſeæ, aliæ nigræ, aliæ rubicundæ, aliæ alterius coloris; aliæ majores, aliæ minores. Sunt autem animalia parva & fugacia, laborioſa, corpuſculo gracili & longiuſculo, quorum capitulo exploratoria filamenta prætenduntur, ocelli ad latera nigri tantæ ſunt ſubtilitatis; ut viſum noſtrum fere

effu;

effugiant, denticuli bini introrſum adunci forficulum veluti, quo cibum apprehendunt, conſtituunt, pedunculi è pectuſculo naſcuntur ſeni, venter jungitur craſſior.

Curioſum

FORMICA dicitur a ferendo vel a forandis micis, μύρμηξ, μύρμος, Ameiſe/ Ambeis/ vom abbeiſen / Omeiße/ FOURMI.

Formicæ ſibi domicilia paſſim hinc inde in hortis & imprimis in ſylvis extruunt & latibula ſua per varios & inexplicabiles labyrinthos excavant, quæ acervis, quos magno labore colligunt, cooperiunt & adverſus pluviam ac frigoris vim muniunt: omnis generis ſuccos appetunt, quos partim in plantis quærunt, partim è fructibus exſugunt: mel mire appetunt unde apibus inſidiantur, grana frugum tota æſtate convehunt & reponunt, quibus hyeme fruuntur, mira providentia grana, ut conſerventur, cædentes, negotia omnibus in promptu habentur atque eadem ſemita ſemper ambulant, cibaria recondunt & cellas promptuarias faciunt ordine diligenter ſervato, nec interdiu ſolum ſed & noctu luna plena laborem exercent, interlunio quieſcunt, gerunt onera morſu majora, averſa poſtremis pedibus moliuntur humeris obnixæ, ſemina arroſa condunt, ne rurſus in fruges exeant in terra, majora ad introitum domorum dividunt, madefacta imbre proferunt & ſiccant. Coeunt formicæ hyberno tempore, vermiculum pariunt, qui accreſcens è minutulo & rotundo longiusculus fit ceu ovum oblongum figuræ columnalis è quo in loco calido formica naſcitur: ortus earum verno tempore contingit, ova ſi fuerint à ſuo loco mota aut diſperſa formicæ recolligunt & ad ſuos nidos referunt. Hæc ova formicarum, avicularum luſciniæ, coturnicis, perdicum, picarum nec non urſæ minoris ſunt alimentum. Acervus formicarum ſeu nidus aſportatur à formicis magno multoque labore è feſtucis, corticibus, foliis, reſina, terra, luto, unde ſæpe gratum emittit odorem: formicæ nocent hortis, arbuſculis tenellis, apibus, fugantur pulvere 🜍is & origani iis ſuper ſperſo, fumo item ſtyracis, creta, Ψa, Cineribus, ▽a latere crudo diluta & imprimis ſtercore humano. Pro uſu Medico eliguntur Formicæ majores & illæ, quæ acidum ſpirant, præcipue quæ ſub arboribus reſiniferis reperiuntur.

In

Curioſum eſt, quod ſi cum melle miſceatur panis ſecalinus formicæ generentur, quæ alatæ avolant. Sunt autem formicæ animalia calida & humorem in ſe tenuiſſimum acidum, alcali etiam quod non debito modo temperatum & ▽eum fere, habentia, in affectibus ſic dictis frigidis, præſertim cum in profundo corporis vitium hæret, valde conveniunt, calefaciunt, reſtaurant calorem, nervos roborant & venerem excitant. Externe quoque ipſæ formicæ ſunt egregie nervinæ, nervorum dolores, paralyſin tremoremque curant, membrorum motum læſum reſtituunt, unde ipſæ, & ova & acervus, MYRMECIVM dictus, ingrediuntur balnea, ad hunc finem recipiuntur videl. ſylveſtres majores cum ipſo nido, includuntur ſacco & ſic coquuntur in ▽a ſimplici, unde emergit balneum, quod inſigne eſt diſcutiens & roborans ipſa nervorum principia, commendatur etiam à Cratone tale balneum in hydrope. De ovis nota, quod flatus generent potentiſſime ad ʒj. aſſumpta, inſtar nucis moſchatæ olere ſolent, unde cum pulvere nucis moſchatæ propinari poſſunt luſus gratia ad flatus generandos, vel etiam ſuccus propinari poteſt cum Vino. Formicæ ſi per ſe deſtillantur acidiſſimum -⌒-um præbent. Notandum etiam quod ſpiritus urinoſus è formicis putrefactis vel etiam cum ♆a mixtis elici poſſit.

PARTES

IN OFFICINIS PROSTANT.

Spiritus formicarum cum Spiritu Vini, Ameiſen-Spiritus / *Eſprit de fourmi avec l'Eſprit de Vin.* Hic Spiritus prolectus etiam ▽a magnanimitatis dicitur, quoniam uſu interno per cochlearia aſſumptus viros facit & dormientia genitalia excitat, valet ad cerebrum confortandum & memoriam, laudatur in apoplexia, vertigine & affectibus ſoporoſis. Ex-

terne

terue additur aquis articularibus, antiparalyticis, in malo iſchiadico, convenit etiam in tinnitu aurium & auditus difficultate vel inſtillatus vel cum bombace adhibitus.

Ab hoc ~u non differt *aqua Magnanimitatis SHROEDERI*, beſonderes Amenſen-Waſſer/ *Eau de Fourmis.* Cum formicæ tenuiſſimum penetrantem Spiritum acidum alcali tamen debito modo temperatum contineant, utique Spir. Vini eodem modo impragnatus calefaciet ex menthe Authoris & penetrabit intus & extus in affectibus catarrhalibus frigidis ſoporoſisque vires adaugendo reſtaurandoque, & commendatur hinc in arthritide vaga, ſpasmo, atrophia, dolore iſchiadico & paralyſi, ſi pars affecta eo inungatur; ſicut autem in atrophia inſignem uſum præſtat, ita è contra nondum extra controverſiam poſitum eſt, an memoriam adeo conſortet & ♀em ſtimulet, magnanimosque viros reddat, ut propterea tale nomen promereatur, cujus aſſerti fidem etiam ipſe Author pene ſuſpectam relinquit, datur pro uſu interno ad ʒij. ad ℥ß. &c.

Conſumptionem corporis deſperatam è pertinaciſſima glandularum meſaraicarum & venarum lactearum obſtructione ortam, nihil proficientibus aliis remediis, ſe curaſſe refert intus & extus exhibita hac Aqua HARTMANNUS in praxi Chymiatrica, item ovo in urina patientis cocto poſtea perforato & in acervo formicarum ſepulto, ut ab iis devoretur.

E formicis habemus adhuc *Oleum Formicarum MYNSICHTI*, Amenſen-Oehl/ *Huile de Fourmis.* Commendatur inprimis ad partes genitales roborandas veneremque excitandam & imprægnationem promovendam: ſi cum hoc oleo plantæ pedum & regio pubis & perinæi inungantur, mirabiliter torpentes excitat.

Quidam denique è formicis in clibano per digeſtionem parant liquorem, qui habetur pro ophthalmico ſummo in ſuffuſionibus oculorum, item pro coſmetico.

PARTES ANIMALIUM SALE VOLATILI CUM MULTA PINGUEDINE CONSTANTES.

Teſticuli Galli.
Pelliculæ Ventriculi Gallinacei.
Axungia Caponis.

TESTICULI GALLI.

Sunt teſticuli Galli Gallinacei binis intus lumbis hærentes.

CARNE

GALLI, GALLI GALLINACEI, GALLINACEI, Græcis ἀλέκτωρες, quia nos a lecto exſuſcitant, ἀλεκτρύονες, ὀρθροβόαι, quod cantu ſuo auroram nuncient, Germanis, Hän/ Haus Hän/ Gallis COCQS dicuntur.

Sunt aves inter domeſticas, quas cohortales vocant, pulcherrimæ. Palmam obtinent, qui elati erecta cervice, criſta ornati ſublimi rubente, oblonga, quam PLINIUS inſigne ſpectatiſſimum gallinaceorum nominat, corpore non ſerratum: quod nec caro eſt, nec cartilago, nec callus, ſed peculiare quid: oculi præditi nigris, roſtro brevi, eoque adunco non acuto, paleis a mento inſtar barbæ alicujus dependentibus rubris, aut ex rutilo albicantibus, auribus magnis & candidis, unguibus longis, calcaribus ſolidis, cauda erecta & falcata, collo colore pennarum variegato, pectore lato & lacertoſo, alis admodum proceris, cruribus robuſtis & breviuſculis.

Sunt aves animoſæ, audaces, pugnaces, vigiles, ſalaces & libidinoſæ, præſertim quibus criſta rubet & oculi ſplendent. Periculum ſentientes haut metuunt; ſed voce peculiari præmonent ſocias ſuas, ut fuga ſibi conſulant.

Dimicant

Dimicant cum corrivalibus, quos tolerare nequeunt, acerrime, quandoque etiam ad mortem usque, quaſi tela cruribus adnata h. e. calcaria intelligerent. Quod ſi palma contingit, ut loquitur PLINIUS, ſtatim in victoria canunt, ſeque ipſi Principes teſtantur. Victi occultantur ſilentes & ægre patiuntur ſervitium.

Vigiles ſunt nocturni, ſupplentes horologia, ubi deſiderantur. Eos enim, ut PLINIUS rurſus ait, excitandis in opera mortalibus rumpendoque ſomno Natura genuit. Norunt ſidera & ternas diſtinguunt horas interdiu cantu. Cum Sole eunt cubitum, quartaque caſtrenſi vigilia ad curas laboremque revocant. Nec Solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nuntiant cantu, ipſum vere cantum plauſu laterum. Hæc enim alis concutiunt. Canit autem ſeu cucurit

Cucurire ſolet Gallus, Gallina gracillat.

Cucurit autem nocte bis. Primum nocte media. Deinde ſummo mane poſt mediam noctem, cum lucem ſive Auroram præſentiunt. Vox vero gallorum hac parte edita ἀλλεκτρυοφωνία, Gallicinium, à quibusdam ἡμεραφωνία, quia diem canunt præſentientes, eam brevi adfuturam, appellatur. Primæ noctis parte quæ a Plauto conticinium nominatur, qua ſcil. homines quieſcunt & ſecure dormiunt, ſilent non canunt.

In Venerem valde ſunt proni Galli. Coeunt anno toto, & quavis illius parte. Coeunt quotidie & uno die pluries. Sunt qui dicunt, quod vel quinquageſies ſingulis diebus gallinas ineant. Et coeunt cum pluribus. Has ardenter amant, nec ab aliis violari patiuntur. Coeunt etiam cum perdicibus. Caſtrati neque canunt neque coeunt. Propterea ſine ejus congreſſu ova, quæ gallinæ pariunt, vana ſunt, irrita, ſubventanea. Circumducunt ſocias die toto. Invento pabulo ſingulari voce eas quaſi ad epulum invitant, partemque illis communicant. Scribit ARISTOTELES viſos eſſe nonnullos Gallos, qui cum forte fœmina interiiſſet, ipſi matris officio fungerentur, pullos ductando, fovendo, educando, ita ne de cætero vel cucurire vel coire appeterent. Quin etiam inde a primo ortu, naturæ ita nonnullos effœminatos provenire aſſerit, ut neque cucuriant, neque per coitum agere velint, & venerem eorum qui ſupervenire tentant, ſuſtinere velint.

Solæ volucrum cœlum crebro aſpiciunt, in ſublime caudam quoque falcatam erigentes. Viſus eſt illis acutus, & guſtus exquiſitus. Dicuntur habere ingenitam antipathiam cum avibus rapacibus, quibus roſtrum & ungues ſunt adunci, & ex præda victum ſibi parant. Exquiſito gaudent tactu. Aëris enim mutationes præſentiunt ac cantu prænunciant. Variis namque temporibus & variis de cauſis cantant Galli. Cantant cum provocant ad duellum hoſtem. Cantant poſt congreſſum cum Gallina. Cantant cum cantare audiunt alium. Cantant cum evaſerunt victores in pugna. Cantant cum Gallinas de ſomno excitare laborant. Cantant ante exortum Solis. Sed cantu horas & minuta obſervare bonique inſtar horologii eſſe fabula vulgi eſt. Sicuti quoque falſum eſt Gallos edere ova & Baſiliſcum producere. Cantarurus Gallus prius alas excutit, & ſe ipſum feriens vigilantiorem reddit.

Fruuntur Galli omnis generis cerealibus piſcibus item, gaudet ranis &c.

Ἀλεκτορὶς,

CARNE GALLI conſtant ſicciore durioreque, quam Gallinæ & earum pullaſtri. Quo vero ſunt juniores, eo meliores, quia teneriores. Optimi, qui Venerem nondum exercuerunt. Boni quoque qui caſtrati : Decrepiti duri ſunt & ſicci. Ideoque dyſpepti & ad concoquendum rebelles. Jus tamen illorum, ut docet SEBIZIUS, alvum dejicit, crudos craſſosque humores, atram bilem, & ſtrigmenta elicit, febribus longis, ſuſpiriis, articulariis morbis & inflationi ſtomachi prodeſt, inquiente DIOSCORIDE Meſue docet jus decrepitorum gallorum purgare propterea quia caro eorum ſalſa ſit & nitroſa, potiſſimum gallorum ruforum, qui ad motum ſunt alacres, ad coitum ardentes, ad dimicandum fortes, inter obeſos & macros medii. Et quo ſunt vetuſtiores, eo magis medicamentoſos eſſe teſtatur. Addit inſuper jus iſtud calidum eſſe, idque ob nitroſam ſalſamque ſubſtantiam; obſtructa aperire, abluere, tergere, tenuare, flatus diſſi-

diſſipare , cum ſemine anethi vel dauci polypodio & ſale gemmæ coctum , ſedare etiam dolorem ventriculi, coli, ilium , renum a flatibus ortum. Purgare pituitam hauſtam cum turbith & carthamo. Ob id articulorum conferre doloribus ex ea natis : melancholiam vero evacuare cum epithymo & polypodio ſumptum: commodare arthriticis cum iisdem , & cum thymo , hyſſopo anetho & ſale gemmeo hauſtum.

Galli anteriora & poſteriora in uſum trahuntur. Podex enim detracta cauda deplumatus & bubonibus peſtilentialibus appoſitus virus peſtilentiale in ſe ſuſcipit. Criſta vero pulveriſata in vino rubro aſſumpta urinæ incontinentiam ſanat; ejusque ſanguis gingivis illitus difficilem dentitionem promovet,ac etiam epilepſiæ inde ortæ proſpicit. Affricatur quoque CRISTA GALLI cum ſanguine adhuc calens. Ridiculum eſt, quod dicunt, aſſumi debere criſtam ex Gallo nigricante.

SANGUIS GALLI , diſſerente ETTMULLERO, valde prodeſt ad ſtimulandam Venerem , ſi ſcilicet ex hoc ſanguine deſtilletur ſpiritus Urinoſus & rectificetur. DN.MICHAELIS frequentiſſime eo uſus eſt in ægris ſuis affectu hoc laborantibus. Poteſt cum remediis ex formicis paratis miſceri, & virtus ejus magis exaltabitur; unde etiam ſpiritus, paratus ex ſanguine & teſticulis gallinaceis, valde commendatur in ſtimulanda Venere, item ſpiritus ex teſticulis & ſanguine pavonis, ſeu Gallo pavi : ſi in his ſpiritibus diſſolvatur unum vel alterum granum ambræ, mirum evadit medicamentnm aphrodiſiacum.

GUTTUR GALLI toſtum pulveriſatum & cum vino potum eſt SOLENANDRI experimentum contra mictionem involuntariam ; etiamſi ſit ex partu difficili , quæ alias eſt malum difficillimum curatu.

FEL GALLI aqua dilutum Luminum aciem confortat & Leucomata tollit.

FIMUS ex aceto vino aut oxymelle contra venena fungorum bibitur, ex aceto morſibus canis rabidi ſalutaris. Ad Felis morſum cum adipe gallinaceo ſubactum imponitur. Cinis ejus exulcerationes pedum ſanat. Colico & uterino dolori convenit: valet ad icterum, calculum & urinæ ſuppreſſionem. Præſtantius habetur id quod in ſtercore album eſt. Doſis ʒß. mane ac veſperi per 4. vel 5. dies continuos adhibitum. Extrinſecus exſiccat achores capitis aliamque ſcabiem manantem. Luteum ſtercoris conſolidat Veſicæ exulcerationem. Aſſatum in butyro recenti, vel oleo olivarum, atque conjectum in frigidam, ut ſordes ſecedant, & liquor olei ſupernatet in ductum penis injiciendus.

GALLORUM TESTICULI, Hahnen Gäylen / TESTICULES DE COCQ. imprimis cum Gallinis nondum coeuntium deperditas in morbis vires reſtituunt laudabilis & velocis digeſtionis. Eapropter, ut loquitur SCHWENCKFELDT, hecticis & maraſmo laborantibus, morborumque diuturnitate macrefactis utiliter exhibentur. Semen prolificum ſuppeditant & venereas roborant vires. Exhibentur hi teſticuli exſiccati & in pulverem redacti. Doſis ad ʒj. & ultra.

℞. Gallum veterem rufum, decrepitum vel 4. aut 5. annorum, curſu verberibusque fatigatum, deplumetur vivus, juguletur & exenteretur, hujus venter repleatur Sudoriferis fructibus, & ſeminibus dictis, conſuatur, coquatur deinde in olla verniſata, vel ſtannata, cum aquæ quantitate ſufficienti, donec carnes contabeſcant, & ſeparentur ab oſſibus, ubi autem juſculum deſpumatum fuerit, adde radices &c. ſub finem decocti folia flores &c. coquantur, usque ſuperſint juſculi ℔iij. exprimantur fortiter, colentur, ſervetur

decoctum

decoctum in ampulla vitrea in loco frigido omni pinguedine detracta, cape de eo juſculo ℥viij. vel ℔ß. mane, addendo ſi volueris, maxime in affectibus thoracis, Sacchari, vel Syrupi idonei ℥j. continuando per 15. dies vel ſpatium unius menſis. Laudatur ejusmodi decoctum in obſtructionibus contumacibus, præſcribitur in melancholia hypochondriaca, in qua uſitate præſcribuntur pro ejusmodi juſculo rad. petroſel. cichor. gram. aſparag. folia ceterach. meliſſ. bugloſſ. pimpin agrimon. uvæ corinth. aliquando etiam China & lignum Saſſafras, in quavis etiam pertinaci viſcerum obſtructione, item in affectibns pectoris, aſthmate præſertim; ad quæ uſitate China fere uſurpatur cum fructibus thoracicis in doloribus arthriticis cum ligno Saſſafras, pallidis coloribus &c. Si adduntur Senna, Polypodium, Carthamus, Agaricus, Epithymum &c. fit decoctum Galli purgans. Veteribus ejusmodi decocta magis erant in uſu quam modernis.

PELLICULÆ VENTRICULI GALLINACEI.

Sunt tunicæ in interioribus ventriculi Gallinarum poſitæ; quæ ſua natura compagem ſolidam & tantum non calloſam referunt, poſt exſiccationem vero perfecte corneam, tam quoad colorem, quam quoad conſiſtentiam, odoris & ſaporis expertem.

GALLINÆ

Ἀλεκτορὶς, ὄρνις ὀρταλὶς, GALLINA VILLARIS, GALLINA DOMESTICA, eine Henne/ein Hun/ une POULE.

Fœmina eſt in genere gallinaceo. Eſt avis altilis Gallo gallinaceo minor, criſtam minorem ac magis depreſſam obtinens, paleam quoque minorem habens, ut & caudam viliorem, & plumas colli minores,

res, calcaribus deſtituta, oculis ſplendentibus & roſtris parum incurvis & quaſi corneis prædita, gracillans, magni crebrique uſus in Oeconomia, non ſolum propter ova, quæ pariunt, ſed etiam propter carnes, quæ menſas cujuslibet fortunæ, ſanitatis ægritudinis & puerperii tempore ornant.

GALLINARUM magna eſt differentia, quædam ſunt JUVENES, JUVENCÆ, NOVELLÆ atque PULLASTRÆ, quædam VETERANÆ quæ diu domi nutritæ. Aliæ ſunt MAGNÆ, aliæ PARVÆ PUMILÆ & PUMILIONES. Aliæ ſunt UNICOLORES, NIGRÆ ſcilicet FUSCÆ, ALBÆ, FLAVÆ, aliæ VARIEGATÆ, ex quibus quæ nigricantes in plumis rhombos habent & guttulas illis aſperſas, GUTTATÆ dicuntur MARTIALI, Varroni vero Meleagrides. Nonnullæ ſunt URBANÆ, nonnullæ VILLATICÆ, ſive VILLARES, Bauren-Hennen. Quædam ſunt caudatæ, quædam CAUDIS CARENTES. Aliæ ſunt NUDÆ, aliæ PENNATÆ, CRISTATÆ, aliæ item CIRRATÆ, Kobel-Hühner/ aliæ CRISTIS CIRRISQUE DESTITUTÆ. Quædam ſunt PINGUES quædam MACRÆ. Ex his laudem merentur juvencæ, nigræ mediocriter obeſæ & quæ nondum pepererunt. Ratione officii quoque & actionis diſcrepant & ſunt vel GLOCIENTES, Kluckhennen/ vel MATRICES ſive INCUBANTES, Bruthennen. Tandem & ratione Regionum variæ quoque ſunt & multiplices. Gallinæ ſunt pulveratrices. Hinc illud Epheſii Heracliti cœno lætantur ſues, cohortales aves pulvere aut cinere, gaudent autem pulvere ut in eo ſe volutando quodammodo ſcabant, plumas emendent, deciduas excutiant & animalcula ſibi infeſta depellant, ut docet SEBIZIUS.

Coeunt & pariunt omni fere tempore. Toto quippe anno, præterquam duobus aut tribus menſibus brumalibus, pariunt. Magna etiam generoſarum nonnullis eſt fœcunditas. Nam ante incubatum vel ſexaginta edunt ova. Sunt tamen minus fœcundæ quam ignobiles. Dantur quæ parvæ quidem ſunt corpori ſed quotidie pariunt. Nonnullæ etiam ex cohortalibus bis in die pariunt. Incipiunt parere à bruma. Optima fœtura ante vernum æquinoctium. Poſt ſolſtitium nata, non implent magnitudinem juſtam, tantoque minus quanto ſerius provenere. Coeunt Gallinæ humi conſidentes, Gallis autem ſupervenientibus. Sunt in gallinarum genere quæ pariunt gemina omnia. Conſtant vero gemina ova binis vitellis, qui ne invicem

cem conſundantur, facit in nonnullis prætenue quoddam ſeptum albuminis medium. Alias vitelli contactu mutuo ſine ullo diſcrimine junguntur. Ova nonnullæ pariunt mollia vitio; viſum ſæpius, aliquas gallinarum juvencas, quæ coitum nondum paſſæ, hypenemia, ſive ſubventanea parere ova, quæ ſterilia, quoniam Galli ſemine carent.

Æſtate duodevigeſimo die fœtum excludunt, hyeme vero aliquando vigeſimo quinto. Si Gallinis incubantibus tonuit, ova pereunt. Juvencæ pariunt primæ ſtatim ineunte vere, & plura quam veteranæ ſed minora. Niſi pariant in morbum incidunt atque pereunt. Inhorreſcunt a coitu, ac ſe excutiunt. Sæpe etiam feſtuca aliqua ſeſe luſtrant, quod item & ovo edito interdum faciunt. Gallinis tempore æſtivo plura, hyberno pauciora ſupponenda ſunt. Supponuntur etiam Gallinis aliarum avium ova v. gr. anatum, Pavonum, Phaſianorum &c. Curandum ut Gallinæ incubantes cibentur, ne famelicæ diſcedant, & fovendi operam intermittant.

Ovis editis clamant, & accurrit Gallus, vel quod uxori condoleat, vel quod ipſi gratuletur de felici partu. Quærunt ſibi naturæ inſtinctu locum aliquem abditum, in eoque nidum conſtruunt, in quo ſuo tempore ovis incubant, pulloſque excludunt. Tanta illarum incubando ſedulitas eſt & aſſiduitas, ut fame propemodum pereant, niſi victu iis ſuccurratur. Excluſos pullos ſollicite educant, circumferunt, paſcunt, & ab externis injuriis acerrime vindicant.

Varias edunt voces Gallinæ, aliam cum parituræ, quam COLUMELLA videtur vocaſſe ſingultum, aliam cum quid terribile vident vel audiunt: aliam cum pullos circumducunt quod eſt glocire, aliam, cum victum hinc inde quærunt: aliam cum quid invenerunt, quod pullis conveniens. Aliam cum capiuntur & ducuntur ad ſupplicium: aliam denique cum accerſunt pullos, eoſque ſub alis ſuis congregrare ſtudent, quo immunes ſint a fervore aut frigore aëris, pluvia aut milvis & accipitribus circumvolitantibus. Alias κακκάσειν gracillare dicuntur; Germanice Gackſen vocatur

Gallinæ, quæ altivolæ non ſunt, veſcuntur ſeminibus Cerealibus & ſaginantur farina

Paſcitur & dulci facilis Gallina farina,
Paſcitur in tenebris, ingenioſa gula eſt.

Communiter nutriuntur furfure, hordeo variisque quisquilis.

Laborant certis quibusdam generibus morborum, nimirum PITUITA, quæ & GRANDO, κόρυζα, der Pfipfen/ der Pfiffzen/ der Pfiff/ der Zipp/ audit. Id vitium maxime provenit, cum cibi aqua calidiore commiſcentur, vel cum frigore & penuria cibi laborant. Linguam extremam reptat pellicula alba, quæ leviter unguibus vellitur & locus butyro illinitur, trajecta per nares penna aliquot vicibus, qua poſſint reſpirare. Huic malo medentur ſerpillum origanum, tormentilla in potu. Lac ebutyratum, Allium, Cepæ. Laborant porro Phthiriaſi, cum pediculis infeſtantur, præſertim quando in incubandi officio ſunt occupatæ. Affliguntur oculorum tumore, quem cæcitas tandem conſequitur. Corripiuntur depravata appetentia, tum enim propria & aliena ova devorant. Torquentur alvi profluvio. Viribus privantur & impotentes fiunt cum ſcilicet ſæpe pariunt & non incubant. Tandem patiuntur quoque abortum, cum ova reddunt imperfecta, nec debito tempore illa pariunt.

Gallinæ ſi ultra ſolitum ſe concutiant, magnum eſt futuræ pluviæ ſignum.

PULLI

GALLINÆ CARNES habent ſucci boni & multum nutrientis. Sanguinem gignunt probe notæ, & multam Spirituum copiam producunt, caloris incrementum faciunt, & ſeminis generant ubertatem. Variis autem modis præparantur. Magis autem coquuntur quam aſſantur. Imprimis etiam adhibentur ad juſcula. Juſculum autem gallinarum omnes ſuccos corporis temperat, conducit in colica, ſitim ſedat &c.

Rejiciuntur autem gallinæ annoſæ, utpote duræ & nervoſæ; macræ item glocientes & incubantes damnantur. Albæ etiam cæteris judicantur deteriores.

Gallinæ juvencæ ſolent quoque caſtrari & tunc facilius pingueſcunt & commodius aſſantur. Conſtituunt ferculum ſatis ſuave.

Gallina per ſpinam diſſecta (præferunt nigram) ſanguine adhuc

adhuc calente imponitur capiti in phrenitide , cephalalgia, melancholia &c. morſibus itidem venenatorum animalium mederi dicitur. Anthracibus impoſita venenum elicit , nec prætereundum, quod ſanguinis eruptionem in vulneribus recentibus ſiſtat.

Si Bubo ortus ſit in peſte, Gallina (ſeu etiam Gallus) deplumatur circa anum & apponitur loco per horam , & in alia hora apponitur alia & ſic proceditur aliquot vicibus. Ea ratione venenum retrahitur a corde, & gallina ſubito moritur.

CEREBRUM GALLINARUM gingivis puerorum affricatur, ut Dentes absque dolore enaſcantur. Cerebrum gallinæ nigræ commendatur ad memoriam confortandam & in deliriis profligandis. Prohibet fluxum ſanguinis , narium & cerebri ; laudatur contra tremores artuum & in alvi fluxu.

SANGUIS GALLINARUM NIGRARUM ad maculas & lentigines valet. Leucomata oculorum & cicatrices cum aqua inunctus ſanat.

FEL abſterſoriæ eſt facultatis, maculas in corpore illitum aufert; Miſcetur ocularibus liquidis.

PINGUEDO GALLINÆ, Hennenfett / GRAISSE DE POULE. Emollit, mitigat & lenit Hinc in ſciſſuris labiorum ab æſtu, ſuppurationibus membrorum & puſtulis mammarum facit officium. Valet contra puſtulas oculorum , linguæ aſperitatem & aurium dolores. Commendatur in epilepſia infantum a dentitione difficili orta. In ipſa quoque dentitione affricando gingivis magnifaciunt. Hac enim ratione gingivæ molleſcunt, quo dentibus exitum molientibus levior ſit penetrandi via.

VENTRICULUS GALLINARUM , Hünermagen / GISIERE , alimenti bonitate ſuavitateque reliquarum avium

omnium ventriculos ſuperat. Imprimis vero Tunica interior ventriculi ſiccatur & pulveriſatur. Vires obtinent hæ pelliculæ adſtringendi corroborandique ventriculum adeoque vomitum & fluxum alvi compeſcendi. Laudantur etiam in incontinentia urinæ. Conducunt etiam juxta quosdam in calculo & arenulis comminuendis, item ad menſes ciendos præſertim ſi propinentur cum aqua cinamomi. Datur harum pellicularum pulvis ad ʒß. ʒj. &c.

℞. Gallinam veterem, in fruſta conſcinde, additisque pedibus vituli, vervecis, aut carne bovina per ſe in diplomate horas aliquot ſex aut ſeptem coque, & poſtmodum exprime; ſic habebis, ut SCHROEDERUS loquitur, gelu ſeu decoctum Gelatinum Gallinæ, cui addi poſſunt aromata aliave. Inſigne eſt nutritivum & corroborativum.

℞. Gallinam percoquito, donec carnes bene molleſcant & in pila pulpam cum oſſibus contunde; tum cum jure omnia per vas colatorium exprime, modicum Vini generoſi & croci, aromatumque quantum ſatis, adjice, & coque aliquandiu. Eſt cibus admodum reſtaurans.

℞. Butyri Majalis non ſaliti ℥iij. pinguedinis Gallinarum, Anatis ana ʒij. flor. papav. errat. ʒj. Coquantur in ſucc. è cancris contus: & mucilag. rad. Althææ cum aqu. Cyan. extr. ana ℥ij. ad ſuccorum conſumptionem. Poſtea expreſſis adde Sacchari cand. alb. ℥iv. Gall. moſch. ver. ℈j Vitelli ovor. No. j. Mſc. f. Balſamum puerorum dentientium Mynſichti. Dolores ſiſtit. & facilius dentire facit, ſi eo frequentius gingivæ illinantur.

℞. Rad. & Semin. Poeoniæ excort. ana ʒj. flor. roſar. rubr. ʒß. Nuc. moſchat. par. toſ. ℈ij. Bacc. Lauri par toſtar. ʒß. Spicæ, Schoenanth. Croc. Orient ana ℈j. pellicul. Ventric. Gallin. pp. ʒij. Croci ♂ aperit. ʒiß. Cinam. acerr. ℈j. fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, Eſt pulvis cachecticus PLATERI,

TERI, qui imprimis in infantium cachexia, febre lenta comitata felices juxta authorem edit ſucceſſus.

Hac occaſione etiam ſermonem facere poſſumus de Pullis Gallinaceis.

PULLI GALLINACEI dicuntur etiam PULLASTRI, Ὀρνιθοπαῖδες, junge Hünlein/ Küchlein/ junge Hänlein/ junge Hennlein/ Gallis POULETS nominantur.

Gallinis, verba ſunt SEBIZII, viribus ſunt proximi; niſi quod carnes habeant, quam gallinæ humidiores tenerioresque. Proinde pullis aſſis, Gallinis elixis commodius veſcimur. Laudantur bimeſtres & trimeſtres, quia carnoſiores & magis nutriunt. Debent autem antequam aſſentur mortificari, id eſt poſtquam interfecti ſunt, ad minimum per diem reponi, ſic caro tenerior fit. Recenter enecti & aſſati tenaces adhuc ſunt; concoquuntur facile, bonum gignunt ſanguinem & liberaliter alunt. Itaque ægris convaleſcentibus, puerperis; ſenibus & hominibus vitam in umbra & otio tranſigentibus, conveniunt. Non firmum tamen ſatis alimentum præbent iis, qui duris laboribus ſunt aſſueti, aut alias ſaltando, currendo, luctando, palæſtram exercendo, vehementer & quotidie exercentur.

Pullus Gallinaceus per medium ſectus, cruentus & tepidus vertici capitis in Phrenitide utiliter imponitur.

℞. Pullo Gallinaceo recenter interfecto & adhuc calenti, detrahe cutim cum pluma, (id quod facile impetrabis immittendo ſtatim digitum vulneri inter carnem & cutim,) exenteratum farci ſeminibus frigidis & poſtmodum in quantitate aquæ ſufficienti coque, donec caro ab oſſibus ſecedat. Juſculum deinde colatum uſurpa. Conducit Hecticis & tabidis. Demulcet enim, humectat atque nutrit ſed leniter,

Prodeſt in febribus. Laudatur in Cholera a SYDENHAMIO tum per os ſumptum, quam per alvum ut enema injectum. Utile eſt in venenis corroſivis aſſumptis. Refrigerat atque ſitim ſedat. In Gallia uſus eſt frequentiſſimi hoc decoctum, quod EAU DE POULET appellant.

AXUNGIA CAPONIS.

Eſt Pinguedo Galli caſtrati ſive Caponis.

CARNES

CAPO, CAPUS, PETRONIO GALLUS SPADO, VARRONI SEMIMAS, aliis GALLUS EVIRATUS dicitur & quaſi hermaphroditus, quia inter Gallum & Gallinam medius, à Græcis ἀλεκτρυὼν ἐκτομίας, GALLUS CASTRATUS, GALLUS EVIRATUS, GALLUS TESTICULIS VIDUATUS, à Germanis, Kapaun/ a Gallis CHAPON vocatur.

Gallus eſt, cui teſtes ſunt avulſi. Fit enim Capus cum inflicto vulnere per poſteriora in lateribus teſticuli extrahuntur. Vulnus tantum fit, quantum digito immittendo & teſtibus ſingulis extrahendis ſufficit. Vulnus filo conſuunt & cinerem infricant, aut butyro, ſed non adeo bene illinunt. Muliercularum imprimis hoc opus eſt ob delicatiores digitos. Quod ſi unus quandoque teſticulorum eximi non poſſit, ad minimum relictus quam maxime conquaſſetur digitis, alias tota operatio nulla. Criſtam porro reſecant, ut virilitas omnis abſit & abolita libidine pingueſcant. Cæduntur quoque calcaria, & reciſa criſtæ exſectæ loco inſita coaleſcunt, nutriuntur & augentur.

Iis, qui Curioſi ſunt in indagandis Sympathiæ & Antipathiæ myſteriis ſequens obſervatio exhibetur conſideranda. Quando a mulieribus caſtrantur Galli, Maresque non longe ab inde diſtantes teſticulos fortiter comprimunt, Capones, etiamſi Caſtratio optime fuerit peracta mox peribunt; ita tamen ut eſui adhuc ſint apti. Res ſæpius experientia eſt comprobata & mulieres in hoc opere artifices bene hoc norunt, atque ad maſculorum manuum ſitum reſpiciunt.

Poſt

Poſt caſtrationem per unum aut alterum diem nihil iis exhibetur bibendum.

Saginantur Capones, illos in locum tenebricoſum reponendo, & quandoque paſtam forma pilularum ex rebus nutrientibus intrudendo.

Ταῦρος

CARNES, ut loquitur SEBIZIUS, Capo habet ſuaviores, teneriores, pinguioresque gallinaceis, præſertim ſi carceribus incluſus & ſaginatus. Ventriculum carnes ejus delectant, quia ſapidæ; facile digeruntur, laudabilem ſanguinem pariunt, potenter alunt, obeſant.

Laudes avium omnium una Caro Caponis, ut diſſerit SCHWENCKFELDT, in ſe comprehendit, nihilque reliquæ altiles popinis offerunt, quod unus Capus in ſe non habeat ſive elixum ſive aſſum velis.

Imprimis laudantur Capones ſaginati Genevenſes, ſed ſi cura accedit, aliis in locis æque per ſaginam boni evadunt. Quæ ex Capis deſtillata, contuſa, &, ut loquuntur, conſumpta conficiunt, hecticos, Phthiſicos, longoque morbo enervatos & extenuatos magnopere reficiunt. Sunt Capi tamen Gallinaceis humidiores; quia propter teſticulorum exſectionem facti molles & effoeminati. Totius namque corporis mutatio caſtrationem ſequitur, ut patet etiam in aliis animalibus, quibus virilitas adempta. Non coeunt, non canunt, palea & criſta, ſi quam adhuc habent, quæ tamen utplurimum reſecatur, pallent, animoſitas illis perit. Quod genera ſunt Gallorum, tot ſunt & Caponum. Omnes enim caſtrari queunt. Forma externa eadem cum Gallis, niſi quod juba Capis ſit major, pennæ caudæ longiores, & calcaria in molem majorem excreſcant, vox demiſſior & rauca, criſta amputata pleriſque omnibus. Si Gallinaceus, qui caſtratur, eſt perfectus Criſta illi palleſcit & Cucurire

curire deſinit, neque venereum repetit coitum. At ſi pullus adhuc eſt, ne inchoare quidem ullam harum actionum poteſt, cum accreſcit.

Capo podagra laborat ut & Gallus Gallinaceus. Sunt ex Podagricis, qui Caponem aut Gallum ita aſſueſcunt, ut ad pedes in lecto cubent, ſicque podagram in ſe derivent.

Pellicula interior ventriculi Capi & cuticula crurum flava addito muſco flavo ſaligneo a ruſtica gente adverſus Icterum bibitur.

AXUNGIA CAPONIS, Cappaunen-Schmaltz / AXONGE ou GRAISSE DE CHAPON, temperata dicitur, dolores laterum & colli mulcet pota & illita. Concordat alias cum Axungia Gallinæ.

℞. Capum veterem, vel quod melius eſt mediæ ætatis, exentera, purga; totum cum oſſibus comminue, dein in vaſe obturato cum momento Cinnamomi & Salis in lebetem cupreum, aqua fervente plenum, ut bulliat, imponito: tandem perfecta concoctione exprimatur & ægro offeratur. Eſt jus Caponis reſtaurans vires. Sunt qui addunt ad decoctionem Nummos aureos & imprimis Hungaricos.

ANIMALIA SALE VOLATILI BLANDO CONSTANTIA.

Priapus Tauri.
Stercus Vaccinum.
Medulla Vitulina.
Millepedes.
Spina Viperarum.
Bufo.

PRIAPUS TAURI.

Eſt genitale maris ex genere bovino tendineæ admodumque firmæ conſiſtentiæ, coloris poſt exſiccationem cinerei & ſubfuſci, odore & ſapore carens.

Varius

Ταῦρος, Βοῦς τέλειος καὶ ἐνόρχης, TAURUS NON CASTRATUS, ein Stier/ Farr/ Brummer/ Mummel/ Mume/ TAUREAU.

Eſt brutum quadrupes, biſulcum, primoribus dentibus in ſuperiore maxilla carens, cornutum, mugiens, ruminans, mas in genere bubulo, & vaccarum admiſſarius, naturæ robuſtæ & validæ, libidinoſum, in alimentum quandoque cedens, imprimis autem generi propagando deſtinatum.

Taurus equo haud cedit magnitudine, colore varians, frontem habet validam pugnæque idoneam. Cornua gerit bina, collum habet robuſtiſſimum. Ferocior eſt taurus minusque ad laborem idoneus. Caſtratus miteſcit. Libidinoſum animal eſt. Sed non æque omni anni tempore libidine flagrat. Optimum, ut SPERLINGIUS loquitur, congreſſus tempus eſt medium veris. Et licet primo ætatis anno generare incipiat, tamen ante tertium annum admittendi non ſunt: Sicut nec, qui duodecimum annum attigerunt, fœcundi admodum ſunt. Duo tauri vaccis ſeptuaginta ſufficiunt, quia gravidæ eos non tolerant. Ingens taurorum pro vaccis prælium. Armenta diverſa cum ſunt, tauri à grege ſecedunt, & alii in alios mugiunt. Propiores facti, infeſto vultu ſe intuentur, ignem naribus ſpirant, terram pedibus ſpargunt & effreni impetu pugnam ineunt. Ambigua clade tamdiu concurrunt, donec victoriam retulit alteruter. Victor cervicem jactat & magis jam robori ſuo confidit, ad gregem revertitur ac magna ferocitate exultat. Grex arrectis capitibus adſtat & hunc taurorum & vaccarum regem vehementer perhorret. Iram furoremque ſuum prodit aſpectu, qui torvus & terribilis, voce, quæ ſolito major & magis ſonora, denique opere, quoniam tum aſperrime cum ejusdem & diverſæ ſpeciei animantibus dimicare ſolet. Pugnat cum Urſo, ſed ab

eo vincitur. Lupo inimicus eſt. Terram fodit, pulveremque excitat. Coitûs tempore cum fœminis ſolum paſcitur, cæterosque mares oppugnat. Sunt illi cornua minora & tenuiora quam bubus Robur in quimatu. Domitura in trimatu, poſtea ſera, ante præmatura. Bibit ſorbendo ut equus. Vivunt tauri ut & boves magna ex parte annos 15. Nonnullis ætas etiam ad 20. annos, atque plures contingit, ſi corpore fuerint bene habito. Inceſſus tauris & bubus tardus ac lentus. Laſſi pedem figunt fortius. Corpus enim fit gravius. Ideoque pes fortius in terram propter pondus imprimitur. Cornubus ſe defendunt, aliisque vim inferunt. Robur illis præcipue in cervice. Veſcuntur & graminibus & foliis ſtirpium & frugibus & leguminibus & radicibus, & ut Plinius loquitur, in herbis fere ſunt omnivori. Amat loca rigua, quia ibi herba luxuriat. Sed claram bibere aquam geſtit. Taurus uno initu implet, agitque vehementer, ita ut fœmina vix tolerans ſuccumbat. Si forte conceptio perreraverit, viceſimo poſt die marem fœmina repetit. Seniores tauri ſæpius quidem fœminam eandem eodem die ſuperveniunt, ſed niſi ex intervallo. At juniores eandem ſæpius cogunt & pluries petunt, ac ſuperveniunt vigore ſuæ ætatis. Coit, qui vicerit; cumque is Venere jam debilitatus languuerit, aggreditur victus ille languentem & plerumque ſuperat. Coire tum mares tum fœminæ incipiunt anno ætatis primo peracto, quoad facultas ſit procreandi. Verum quod magna fit ex parte vel anniculi, vel nacti menſem octavum Venerem adeunt. Bimatu autem generant. Taurus mutat ſuam appellationem pro ratione ætatis. In prima enim ætate vocatur VITULUS, in ſecunda JUVENCUS, in tertia TAURUS, ſive bos novellus, in quarta VETULUS juxta VARRONEM.

Taurus vel ut ſaginetur, vel ut ad arandum reddatur aptior, caſtratur. Tempus caſtrandi anniculis eſt, alioquin minores deformioresque evadunt. Præſtantiores ſunt juniores, pinguiores. Vetulorum & macilentorum carnes inſuaves ſunt, ægre concoquuntur & ſuccum procreant craſſum turbidum & melancholicum. Vocatur proprie BOS; quamvis Vocabulum Bovis ſit vocabulum commune Taurum & Vaccam ſimul comprehendens. BOS Græcis dicitur βοῦς ἀπὸ τοῦ βόσκειν ἢ βόσκειν, quod homines laboribus & carnibus ſuis paſcat. Vocatur etiam βοῦς ἐκλομίας TRIO, quaſi TERIO, quod terram

terat; ein Rind / Rind-Vieh / Ochß / geſchnittener Ochß. BOEUF.

Cornua habet fortiora & majora quam Taurus.

Animal eſt μυρικάζον, ruminans, quod cibum à rumine ad os revocat. In ruminando autem non minorem delectationem percipit, quam in comedendo. Quia deſtitutum eſt hoc animal primoribus dentibus, ideo defectum maſticationis multitudine ventriculorum compenſat. Primum VENTRICULUM appellant κοιλίαν μεγάλην, in ſe namque MAGNUS eſt, tum plurium ei adhærentium reſpectu maximus. SEVERINUS vocat PERAM ſeu PERULAM. Priſco vocabulo latino dicitur RUMEN, der Wanſt Germanice, Gallice vero LA PENSE, LA DOUBLE appellatur; Figura ei rotunda non tamen exacto modo, anfractus quippe tanquam valles habet, alibi montis inſtar faſtigiatus dorſuoſis prominentiis, globique rotunditatem hoc propius aſſequitur, quo magis turget eſca, foris glaber, ubi omento jungitur, majoraque vaſa transmittit, adipoſus, intus glaber & inæqualis maxime: rotundus eſt, ut tanto majorem pabuli copiam recipere poſſit: rotunditatem porro requiſivit fibrarum ductus ſpiralis & tortuoſus, ad contractionis expulſionisve motum neceſſarius. Secundus ventriculus dicitur κεκρύφαλος, RETICULUS, die Hülle/die Haube/ RETICULUM, das Immen-Häußel / LE BONNET, eſt oblongus & quaſi tranſitus ſeu in primum ſeu in tertium ventriculum. Aſſumptus cibus tantillum in eo quieſcit, ſed ſi adhuc durus ſit & non ſatis comminutus, ſtatim delabitur in μεγάλην κοιλίαν, ſin vero tener & bene comminutus, in tertium ventriculum recta dirigitur. Quare reticulus duplici fungitur officio & quatenus transmittit cibum in μεγάλην κοιλίαν, dicitur primus, quatenus vero eundem commanſum tansfert in tertium, dicitur ſecundus ventriculus. Tria habet orificia, quorum ſuperiore cibum ab ore per gulam excipit, altero in magnam cavitatem amandat, tertio in omaſum. Taliter autem tertium conſtruitur, ut quicquid admittat, mediante quaſi foſſula tenera & valde ſenſibili in reticulo excavata eo deducendum ſit. Quare cum hæc foſſula averſetur, fit ut a tertio orificio, ſi forte eo tendant, reſpuente dicta foſſula, rejiciantur, & ad ſecundum orificium, quod in magnum ventriculum patet, redigantur. Finita ibi concoctione animal ad ruminandum ſe convertit; h. e. magnus venter gramen probe maceratum & ad teneritudinem

 tudinem

tudinem coctum in reticulum & reticulus in os refundit, iterumque in reticulum ſine delectu deſcendit. Verum cum magnus venter jam ſollicitus ſit, non de receptione, ſed de eructatione ciborum, fit ut commanſus eo redire nequeat, ob contrarium motum ibi ortum. Quare neceſſarium in tertium orificium, ad quod datur ductus mollis & tener, qui quanquam dura & aſpera ſpernit, ruminata tamen non ſine complacentia admittit, & per tertium ſuum orificium in Omaſum derivat. Hic autem motus licet reſpectu magni ventris ſit naturalis, reſpectu tamen phantaſiæ excitantis & ex parte regentis quodammodo ad animalem revocatur. Collecta enim bona cibi portione & aliquandiu in magni ventris penu coacervata, lætatur phantaſia, & de fruitione bonorum partorum cogitare incipit. Hinc paulo fortius tenſis muſculis abdominis, & una diaphragmate magno ventri dat anſam ſe quoque fortiter comprimendi, adeoque motus periſtalticus ab infra ſurſum excitatur, qui aſcendens in reticulum & inde in gulam cibum in os refundit. Sufficiente autem quantitate cibi pro vice hoc modo in os regeſta, phantaſia imperante remiſſionem iſtius motus, diaphragmatis, muſculorumque abdominis cauſatur, unde minus comprimitur magnus venter & conformiter ejus motus periſtalticus ſurſum ceſſat, donec nova compreſſione facta, idem denuo concitetur. Hunc autem motum in Rumine primo excitari ad nutum phantaſiæ, ex eo innoteſcit, quod animalia, quamdiu duris laboribus diſtringantur, a ruminatione abſtineant, ſimulac vero placidam quietem & ſpem ſecuritatis nanciſcantur, ad ruminandum ſe denuo convertant. Hoc confirmatur quoque, quod hic modus ſurſum nunquam immoderatus cernatur, quodque pro arbitrio animalis conſtanter regatur. Tertius Ventriculus Græcis ἐχῖνος, Latinis OMASUM, CENTIPELLIO, LIBER, der Mannigfalt / das Buch / des Teuffels Calender / Germanice, Gallice vero LE MYREPEUILLET, LE MILLET, LE LIVRE nuncupatur: cibum maceratum & probe commanſum è reticulo excipit: ne vero citius, quam par ſit, ejus fines perlabi ſinat, totus pellibus latis amplis transverſis figuræ lunatæ intus ſtipatur, quibus duriorem & aſperiorem cibi portionem tantiſper remoratur, dum ſatis elaboretur; interim partem ſucculentam & chyloſam ſtatim pertranſire permittit; adeoque quodammodo preli vinarii vicem ſupplet, dum ſuccum exprimat, & duriorem materiam

aſpe-

aſperitate ſuarum pellium in ſe ſiſtat. Quartus ventriculus eſt ABOMASUM, ἤνυστρον, der Magen / LA CUILETTE; à Ventriculo humano non differt, niſi quod interior ejus tunica pluribus & majoribus plicis, omnibus vero rectis donetur, cibum inteneratum & in Chylum fere porrectum excipit, exceptumque perficit. In Lac ſugentibus magnus venter valde contractus cernitur, omaſum prope vacuum & quartus hic ventriculus major eſt, feriantibus illis hic ſolus exercetur; ratio eſt, quia Lac non indiget præparatione ulla in prioribus ventriculis, cum per ſe ſatis mollis & lenis ſit ſubſtantia. Directo ergo deſcendit in quartum ventriculum elaboratis cibis excipiendis dicatum, ubi etiam ejus veſtigia in animalibus defunctis deprehenduntur: coagulum nempe & ſerum & nonnunquam lac non coagulatum, quæ non reperiuntur in tribus ſuperioribus ventriculis.

Tres priores præſertim Ventriculi cedunt etiam in alimentum conducibile, præſertim iis, qui validis exercentur laboribus robuſtumque ventriculum nacti ſunt. Diſſecantur in minutas portiones quas Germani, Fleck/ Bletzer/ Caldaunen/ Kuttelfleck/ Galli TRIPPES vocant. Juſculum harum partium multum habet in receſſu, & conducit in membris fovendis, quæ egregie inde roborantur.

Boves ut Tauri & Vaccæ veſcuntur fruge & herba. Pingueſcunt iis, quæ flatus cient. Saginantur rapis, fecibus cereviſiæ &c.

VACCÆ

Varius & multiplex Taurorum & Boum eſt uſus, ad agriculturam, vecturam & triturationem, ſive excuſſionem granorum frumentaceorum è ſuis glumis, & folliculis. Non dicam de eo, quod hæc animalia ad ſacrificia adhiberi ſolita fuerint. Carnem uterque Taurus & Bos præbet ad comedendum, corium ad conficiendos calceos, ocreas, ſoleas, tegumenta curruum & vehiculorum, folles, lora ſcuticas, vaginas, canales, & tubos quoſdam; Sevum ad candelas, cornua ad pectines, cucurbitulas, atramentaria, lucernas, buccinas &c. fimum ad agros ſtercorandos. In ſumma utilitas tanta, ut CICERO dixerit, ſcelus olim habitum fuiſſe carne illorum veſci.

CARO TAURI craſſa eſt & Melancholicæ naturæ, difficilis coctionis, & pravum gignit ſuccum præſertim ſi Taurus ſit annoſior. Juvencus Taurus tantummodo in uſum œconomicum trahitur. Caro vocatur das Stierlein-Fleiſch/ Fleiſch von einem jungen Stier / & ſi ſale condiatur appellatur, Böckelfleiſch.

Melior eſt CARO BOVINA ſive CARO BUBULA; βόειον κρέας: βοικόν, Rind-Fleiſch / CHAIR ou VIANDE DE BOEUF. Recens caro minus aliorum animalium carnibus humida eſt, naturæ gravis, calida & robuſta, concoctu difficilis & alvum ſiſtens, procreatrix ſanguinis craſſioris; genitrix alimenti firmi ac durabilis, quod ægre diſſipatur: cauſa affectuum melancholicorum, ſi ſcilicet natura melancholicus frequentius ea veſcatur, præſertim ſi a bove emaciato, aut qui per ætatem ac labores muſculorum ſiccitatem ac duritiem contraxit, proveniat.

Ludovicus RUZÆUS Anglus pronunciato Galeni aliorumque de vitio carnis Bubulæ contradicit, dum inquit. O quam gratus & ſuavis odor, imo ſuffitus ex pingui carne bubula bene adhuc calente & fumante ſuſtollitur eorum naribus, qui bonum habent appetitum. Adeo exhilaror, cum eam video, ut inde etiam fere Hæreticus in Medicina factus ſim. Vix enim adduci poſſum, ut credam carnem bubulam melancholicum ſanguinem gignere. Et certe ſi abuſus abſit, Caro Bubula ex illis ferculis eſt,quod bonum ſuccum præbet, modo non eadem abutamur, teſtantibus juſculis, quæ præſtantiora ex ea, quam ex aliis carnibus parantur.

EOBANUS HESSUS ita canit:

De bove ſemper edat, qui bilem deſpicit atram:
Quo ſenior Bos eſt, hoc caro pejor erit.

In-

Infumata Caro bovina, ſive fumo durata, recenti eſt ſiccior, durior, concoctuque difficilior. Alvum quoque magis, quam illa cohibet. Alimentum dat paucum, idque pravum, viſcera oppilationibus implicat, calculos gignit: craſſis halitibus caput implet; ſitim creat, convenientior ruricolis, foſſoribus, meſſoribus, nautis, bajulis & hujus farinæ operariis aliis, quam nitidioris vitæ & tenerioris naturæ hominibus.

Eadem, ut SEBIZIUS pergit, ratio eſt carnium ſale conditarum; quæ tamen, quia molliores & ſucculentiores fumo maceratis concoctioni minus ſunt rebelles.

SANGUIS BOUM atque TAURORUM, craſſior eſt Suillo & nigerrimus, celerrime omnium coit, dureſcitque. Diſcutit, mollitque tumores cum polenta illitus. Singulari ope dyſenteriis, menſtruis & internis hæmorrhagiis prodeſt. Sanguis hic in eo caſu, ubi poſt graviores vulnerationes artuum & articulorum atrophia ſequitur, debilitas item membri & articulorum dolores adſunt, multa præſtat. Membrum nempe in Bovis vel alterius animalis mactati recentem & calidum ſanguinem immittitur, aut pars affecta vulneri animalis intruditur, ut ſanguis calens deſuper effluat: Sic mire confortabuntur membra ante ad motum inepta. Laudatur quoque ſanguis hic calidus ad oſſa effracta ferruminanda. Ad hæmoptyſin cum aceto modico efficax habetur. Curioſum eſt, quod ex ſanguine hoc Bubulo, ut & aliorum animalium paretur Ultramarinum Berolinenſe, das Berliner Blau.

HEPAR BUBULUM exſiccatum & pulveriſatum laudatur in alvi fluxibus & in hæmorrhagiis. Conducit in affectibus Hepatis, præſertim ſi decoquatur cum plantis Hepaticis.

Fel

FEL BUBULUM, FEL BOVIS, Ochſen-Gall / FIEL DE BOEUF, diſſerente ETTMULLERO, præ reliquis eſt acrius, volatilius, penetrantius & hinc uſitatius in clyſmatibus, ubi ſtimulat & proritat alvum alias contumacem, & hæmorrhoides: Sicuti etiam cum Aloe emplaſtri vel unguenti forma umbilico applicatur contra lumbricos infantum & adultorum: quod ubi ſtricte adhæret, certo adſunt lumbrici. Addi etiam ſolet myrrha & oleum colocynthidos & ſic ſimul quoque laxat. Ulterius ſicuti fella animalium omnia in genere, ita etiam bubulum non minoris uſus eſt in affectibus oculorum, deterſione opus habentibus, ungula, nebula, albugine &c. item in aurium affectibus, in diſcutiendo tinnitu, in ſurditate & hebetudine auditus cum bombace auribus inditum. Aqua Fellis deſtillata ungues, maculas, nebulas & oculorum cicatrices delet, & acrimonia volatili clarificat viſum: nec minoris uſus eſt in aurium tinnitu, hebetudine auditus & ſurditate, aliisque affectibus aurium. Eſſentia autem fellis Bovis inſpiſſati cum Spiritu Vini extracta præter uſum coſmeticum, propter alcali volatile fellis, egregia eſt in affectibus oculorum & tinnitu aurium cum bombace indita. Fel Tauri inſpiſſatum magni eſt uſus pro ſtimulanda alvo, ſi ſcilicet ad ℥j. clyſteribus permiſceatur. Fel Bubulum cum ſucco ſtercoris Aſinini & oxymelle ſcillitico, aut etiam cum Vino & oleo mixtum addito pauco Nitro deprædicatur ad ulcuſcula capitis. Unguentum ex felle cum nitro laudatur ad furfures capitis. Cum ſucco porri & lacte muliebri injicitur fiſtulis. Commendatur cum aceto ad lentigines & nigredinem faciei ab ardore Solis contractam.. Virtute quoque coſmetica gaudet. In vulgus notum eſt, quod ſi hoc felle ex pannis præſertim nigris maculæ eluantur, pannus rurſus nitidior reddatur. Cimices etiam abigit vel per ſe illitum vel cum oleo coctum.

SPLEN BOVIS valde laudatur in affectibus Lienis contra ejus duritiem, inflammationem dolorem & tumorem, unde ſolet ingredi Eſſentias Spleneticas. Idem ſplen bovis eſt experimentum ſingulare Paracelſi contra menſium ſuppreſſionem, & inde ortam Cachexiam virginum. Lien bovis ſi deſtilletur cum Spiritu Vini commendari ſolet ad quasvis ſtomachi debilitates. Splen Taurinus adhuc tepidus Lienis regioni impoſitus per 12. horas levamen afferre ſpleneticis ab HOFFMANNO dicitur, & non ſine ſummo foetore deponi.

MEDULLA oſſium bovinorum emollit, reſolvit & nervos roborat.

Medulla uſurpari quoque poteſt tanquam peſſus ad emolliendam matricem. Laudatur contra tremorem artuum & paralyſin. Præſertim ſi vinum, Spiritus Vini aut alii liquores confortantes immiſceantur. A quibusdam laudatur ad colicam ſi cum vino hauriatur.

SEVUM BUBULUM liquefactum in ſtranguria umbilico illitum, propter conſenſum veſicæ cum umbilico, ut putat ETTMULLERUS, ratione Urachi ſatis potens eſt remedium. Conficitur ex ſevo Bubulo alcali & aqua in maſſam coactis ſapo.

STERCUS ſive FIMUS bubulus tumores & durities diſcutit, ſuffitu procidentes vulvas reprimit. Accenſi nidore culices fugantur.

CORNUA apta ſunt pectinibus & tubis, quibus bubulci & venatores utuntur.

OSSA teſſeris & cutellorum manubriis apta, reſolvunt quoque & nervos roborant unguentis & emplaſtris mixta. Oſſa laudantur etiam contra vermes.

OS è CORDE TAURI ſæpe Pharmacopoeis imperitis pro oſſiculo è corde cervi obtrudunt.

PELLIS BVBVLA cremata, imprimis autem Coria veteramentaria, alte Schuhfleck / accenſa conducunt ad paſſiones Hyſtericas. Fumus Serpentes fugare dicitur, aëremque peſtilentem emendare. Horum coriorum veteramentariorum cinis laudatur ad ambuſta, intertrigines & calceamentorum attritus.

UNGVLÆ fragmenta, juxta HOFFMANNVM in CLAVE SCHROEDERIANA, frixa & ſumpta, ſi beſtia non ſit laſciva, ſanant dyſenteriam. ſi autem laſciviat, tunc ejus ungula dyſentericis eſt lethalis. Epilepſiæ quoque mederi dicuntur ungulæ ſi ad ʒj. exhibeantur. In cineres redactæ laudantur ad eundem ſcopum item ad lac augendum. Accenduntur quoque ad hyſtericas excitandas & ad contagium arcendum. Muribus quoque hic ſuffitus eſt adverſus. Externè hic cinis conducit ad ſtrumas diſcutiendas.

VRINA TAVRI cum Myrrha aurium doloribus inſtillata juxta nonnullos medetur. Laudatur quoque ad ulcuſcula capitis & furfures.

SEVUM BVBVLVM, de quo ſupra jam aliquid dictum, emollit atque relaxat, umbilico illitum dolores colicos mitigat, teneſmo medetur, prodeſt in fiſſuris labiorum præſertim cum ſevo caprino illitum; Podagricis doloribus ſolamen adfert. Conducit in Parotidibus. Cum ſale mixtum pediculos enecat.

In ſpecie adipi ungularum virtus emolliendi, demulcendique tribuitur. Laudatur peculiariter in luxationibus.

In veſicula fellea ſæpe reperitur lapis, de quo alio in loco. Reperitur tamen etiam in Veſica, Renibus aliiſque locis. Ipſe ego poſſideo lapidem rotundum quadantenus compreſſum ex dextro rene vituli annum agentis deprompti ponderantem ℥ij. cum ʒiij. inſtar lapis Bezoar occidentalis, quem etiam facile vero lapidi ſubſtituere poſſem. Interim non minori virtute gaudere probabile eſt.

In ventriculis Boum reperitur etiam quandoque Pila orbicularis compreſſa inſtar pomi minoris, in medio habens foramen, coloris gryſei ex pilis a Bove dum lambit cutem collectis, invicem convolutis & mucagine quadam obductis, formata. Sunt qui hanc pilam commendant ad ſedandas hæmorrhagias & fluxus alvi, ſi pulvis exhibeatur ad ℈ß. ad ʒß. Externe ad detergenda & exſiccanda ulcera poterit adhiberi.

Olim ex lentore mucoſo Tergoris Bubuli excoquebatur GLUTEN, quod propterea vocabatur GLVTEN TAVRINVM, TAVRIGLVTINVM, TAVROCOLLA, Ταυρόκολλα. Leim/ Tiſcherleim. Hodie ex omnium Quadrupedum imo piſcium majorum pellibus conficitur, item ex eorundem cartilaginibus, tendinibus & nervis. Coquuntur in aqua ad diſſolutionem fere, colatur decoctum & inſpiſſatur, quod deinde, dum adhuc calet, in tabulas redigitur & ſiccatur in gluten, quod debet eſſe durum, purum, clarum, reſplendens coloris ex rubro fuſci. Magis variis Opificibus inſervit quam Medicis. Laudatur tamen adverſus ſcabiem & pruritum cutis.

PRIAPVS TAVRI, PENIS TAVRI, MONVMENTA BVBVLA, die Ruthe eines Stiers / das männliche Glied/ Ochſen-Ziemen / Ochſen-Zehnen. Laudatur ad Dyſenteriam aridus, tritus & exhibitus ad ʒj. Apud Viros Venerem excitare traditur, Mulieribus autem faſtidium coitus afferre. Vſurpatur tum ejus raſpatura, tum ejus decoctum. Exin (verba ſunt LANGII) flagella fiunt fractu contumaciſſima & quam maxime flexibilia, Farrenwädel/ die Farrenſchwäntz/ les nerfs de Boeufs. Cum tali inſtrumento probe contuſum dorſum cujusdam Viri ipſum ab imminente apoplexia liberavit juxta Paulinum. Creditur Priapus hic crematus cum vaſis ſpermaticis hæmorrhagias ſedare. Sunt

Sunt ex Judæis, qui eo utuntur in circumciſione ad ſanguinem ſupprimendum.

℞. Carn Bubul. optim. ℔iij. aut jv. à pinguedine optime liber. Carn. Vitul. ℔iß. (ſi alvus laxanda) aut Carn. Vervec. (ſi alvus adſtringenda) Gallinam dimidiam vel etiam integrum aut Caponem, coqu. in ſ. q. aqu. pro juſculo ægris exhibendo.

℞ Fella Taurorum ſenſim in ſole exſiccata, extrahe cum Spiritu Vini. Remedium eſt coſmeticum inſigne ad miraculum uſque albedinem gratiſſimam concilians. Illinitur ſcilicet, linquiturque illitum per triduum, ita tamen ne aëri libero ſeſe exponant, poſt eluatur aliquoties aqua fabarum, Nymphææ, Polygonati & ſimili.

℞. Splenem Bovis integrum in fruſta diſciſſum, Cinam. groſſe contuſi ℥j. Caryophyllor. ℥ß. Croci ʒij. Vin. alb. quantum ſufficit ad humectandam ſolum materiam. Inde in vitrum capax, quod bene clauſum in MB. ferventiſſimo hor. 24. ebulliat, donec ſplen in minutiſſimas particulas coctus & conſumptus fuerit, magnaque juris exquiſitiſſime cocti & fragrantiſſimi copia reſtet. Specificum dicitur hoc decoctum àd duritiem & obſtructionem Lienis & menſium ſuppreſſionem. Doſis ℥iv. continuando per quatuor aut quinque dies cum menſes fluere ſoliti ſunt.

Poteſt hæc eſſentia etiam redigi in formam extracti.

℞. Splenem Bovis junioris caſtrati, ſcinde in laminas tenues, macera per aliquot dies in Spir. Vini cum Myrrha eſſentificato, deinde exſicca in aëre. Poſtea cum Spiritu Vini s. a. Eſſentiam extrahe, abſtraheque Majoris efficaciæ gratia poſſunt addi aliquot guttulæ olei deſtillati Angelicæ. Lienis obſtructiones expedit hoc Extractum Crollianum & menſes provocat. Doſis ℈j. & ultra in vehiculo appropriato.

ETT-

ETTMULLERUS aliique hæc remedia non magni faciunt.

℞. Medull. Oſſ. Bovin. ℥j. Myrrhæ rubr. el. ʒj. ☍ Bacc. Laur. q. s. ad ung. conſiſtentiam. Valet ad partes roborandas in paralyſi & tremore.

℞. Urin. Taur. Urin. Capr. ana p. æqu. v. gr. ana ℥iij. Acet. ℥ij. Calefiant, & vapor per infundibulum recipiatur in aures, ad dolores ſedandos.

℞. Emplaſtr. diaſulphuris Rulandi ʒvj. Ungul. bubul. combuſt. ʒiij. Malax. ☍ Lacert: Hoc emplaſtrum una cum pulvere ad ſtrumas, mira præſtitit in ſtrumis diſcutiendis Luna decreſcente geſtatum.

STERCUS VACCINUM.

Sunt excrementa alvina fœminæ in genere bovino, quæ Vacca vocatur, liquidioris conſiſtentiæ.

Magno

VACCÆ quaſi BOACCÆ, Græcis βόες, βȣθήλεια. VACCÆ LACTARIÆ, BOS LACTARIA, BOS FOEMINA, Germanis, Küh; Gallis VACCHES: dicuntur. Gravidæ ſive prægnantes Vaccæ FORDA HORDA à Latinis vocantur a ferendo, tragende Küh/Kalber-Küh/ βόες ἔγκυαι.

Vacca marem ſuum non patitur niſi raro, idque propter rigorem genitalis, nimiamque tentiginem. Clunibus ſubſidentibus ſemen recipit genitale. Taurit & libidine adeo incenditur, ut bubulci eas tenere aut capere nequeant. Indicium libidinis ſuæ perinde ut equæ genitalis ſpecie prominentiore præſtant. Crebrius mingunt, more equarum. Tauros etiam ſuperveniunt, ſeduloque ſequuntur & aſſiſtunt. Turgent ad coitum prius minores natu, quam majores. Purgatio a partu ſequitur abunde. Conceptus autem indicium eſt, cum menſes ceſſarunt, ſpatio temporis bimeſtri, trimeſtri, quadrimeſtri, ſemeſtri: Sed id percipere difficile eſt, niſi quis jam dudum ſecutus ſit &

& admodum aſſuetus. Itaque non deſunt qui menſes in vaccis negant, ut docet SEBIZIUS. Fruſtrata conceptione vigeſimo poſt die marem repetunt. Vaccæ cornua habent minus robuſta quam Tauri. Acriorem reddunt Urinam quam mares. Vocem edunt graviorem quam Tauri. Mammas gerunt inter femora, Papillas habent quaternas vier Strich. Carent Lacte antequam pepererint. Juvenca recentior quam annicula Venerem haud admittit. Si admittit, oſtentum eſt. Jam enim vel quarto ætatis menſe coiiſſe obſervatum eſt. Initium coitus plurimis quidem menſe Aprili & Majo, ſed nonnullæ etiam ad Autumnum uſque tempus coëundi deducunt. Menſes quidem Vaccis fiunt, ſed minus quam Equabus. Cum primum exacta Hyeme emittuntur in paſcua, quævis proximas cornibus adoriuntur. Quæ tum victa fuerit, tota deinceps æſtate alteri cedit. Coire incipiunt anno ætatis primo peracto. Sunt, qui 10. totos menſes exceptis paucis diebus affirmant. Ferunt uterum menſes novem, decimo pariunt. Quod in lucem hæc tempora præcurrit abortivum eſt. Pariunt ſingulos; raro geminos. Quamdiu vivunt & coire ſolent & parere. Vivunt magna ex parte annos 15. Nonnullis tamen ætas vel ad 20. annos atque etiam plures exporrigitur, ſi corpore bene ſint habito. Lac à partu eſt utile. Quantum lactis provenerit primum concreſcens, perinde ut Lapis dureſcit, niſi aqua admiſceatur. Alpinis Vaccis plurimum lactis, quibus minimum corporis, plus laboris, capite non cervice junctis.

Vaccæ probantur altiſſimæ formæ, longæ, frontibus latiſſimis, oculis nigris & patentibus, cornubus venuſtis & lævibus & nigricantibus, piloſis auribus, compreſſis malis, palearibus & caudis ampliſſimis, ungulis modicis & cruribus,

Vi-

Magno mortalibus ſunt emolumento, nam junguntur aratris, trahunt plauſtra, lac ſuppeditant copioſiſſimum, ex quo multis in regionibus præſertim in Batavia & Helvetia incredibilis provenit reditus. Carne inſerviunt ad veſcendum: ſevo ad conficiendas candelas, cornubus ad fabricandos pectines & atramentaria: Corio ad parandos calceos, ſoleas & ocreas aliaque infinita, hominum generi ſumme

utilia

utilia ac neceſſaria efficienda : fimo ad ſtercorandos agros. &c.

Cibarium uſum quod concernit, ſolent fere Vaccæ ablegari ad macella, quando aut ſterileſcunt, aut niveum lactis liqorem non amplius gignunt, aut aliam ob cauſam inutiles fiunt. Eſt vero annoſarum Vaccarum CARO inſalubris, concoctu difficilis, quia dura, nec minus melancholici craſſique ſanguinis ferax, quam vetulorum boum. Relinquenda proinde hominibus ſicut & bubula annoſa, quibus calor eſt vegetus, ventriculus robuſtus, quique vitam in laboribus & crebris corporis exercitiis tranſigunt.

VBERA, daß Euter / elixa & laminatim inciſa torrentur in craticula, & vel ſale & aromatibus, Zingibere vel Pipere reſperſa vel Butyro frixa eduntur, ſaporis non ingrati at concoctionis difficilis.

VNGVLARVM anteriorum ambuſtarum cinerem epotum Nutricibus lactis copiam præbere RHAZIS author eſt.

STERCVS VACCINVM, Kühmiſt/ Kühkoth/ refrigerat, ſiccatque moderate, diſcutit, dolores inſigniter mitigat. Plebeji in colico dolore ſuccum ex ſtercore vaccino expreſſum propinant: non ſolum autem in colica, ut ETTMVLLERVS habet, ſed & in pleuritide egregium eſt remedium. Externe inflammationibus partium externarum & imminente gangræna, ut & locis ambuſtis, ne exulcerentur inſtar cataplasmatis recens impoſitum bonum eſt remedium. Speciatim vero in dolore podagrico multum confert, cum lumbricis terreſtribus contuſum & impoſitum ad dolores arthriticos vagos mitigandos mire convenit. Abdomini applicitum ſingulare eſt remedium in curanda colica & diſſipandis flatibus. Applicatur etiam abdomini in Hydrope Aſcite, in forma Cataplaſmatis pro imminuendo

nuendo tumore & diſcutienda aqua: poſt ſtercus enim humanum ſtercus bubulum in tali caſu optimum. Vulgo & contra ſuppreſſionem Vrinæ laudatur, ſi pectini & regioni pubis imponatur. In tumoribus partium oedematoſis valdopere conducit. Ex hoc ſtercore, eodem modo ac ex ſtercore humano, per digeſtionem & ſublimationem repetitam poteſt præparari Zibethum Occidentale, ſic dictum à PARACELSO, quoniam ſuavem ſpirat odorem inſtar Zibethi. Quidam loco Muſci ſiccatum,Sole omni odore excitum,& aqua Roſarum aliisque imprægnatum uſurpant.Per deſtillationem ſuggerit aquam, quæ vocatur omnium florum; quia Bos innumeris floribus veſcitur, & interne valde convenit in pleuritide, ad ciendum calculum & urinam propter Sal volatile nitroſum, quod aſcendit per alembicum, unde in hunc finem valde commendatur à POTERIO. Externe ſingulare eſt in uſu coſmetico ad delendos nævos & maculas faciei, atque ruberum poſt variolas. Poppius dicit, quod aqua hæc cum rore majali deſtillata, tumoribus aquoſis & hydropicis applicata, eos certo diſcutiat.

Ante viginti & quod excurrit annos multi corripiebantur Vromania ſeu βοροποσία. Nempe Vrinam præſertim à Vacca nigra deſumptam matutino tempore hauriebant ad profligandos multos morbos,imprimis Hydropem podagram, affectus paralyticos &c. Ridiculum erat cernere expectantes avide vitris, donec Vacca adaperiret cellam ſuam, & tam delicatum largiretur nectar. Debuiſſent ſimul etiam morſulos aromaticos ex propinqua officina elabentes deglutire, quoniam ad bonum hauſtum requiritur etiam bonum edulium. Non autem diu duravit hic furor, cum plures exinde peſſime, pauciſſimi bene ſe haberent. Vrina enim hæc acerrima & amara purgabat ad ſanguinem usque & vires admo-

dum

dum proſternebat. Sequentia eo tempore ab ingenioſis vatibus excogitata fuere carmina.

Mille flores, mille verbis, mille miris laudibus
Millies deprædicati, mille pro doloribus;
Quos Venus dedit proterva fornicis contagio,
Inde ſi quod inquinamem altius, vel ſanguinem
Corporis vel occupavit ipſa membra torpida.
Aut Lyæi quando vina largiore gurgite,
Integris, velut fluentis, dimanarunt congiis;
Dirus hydrops ut ſecutus, artubus tumentibus,
Mole ventrem tendat ægri, ceu nocentis amphoræ.
Ira ſi vel quando febri ſtravit ardens fomitem.
Aut liquores quando rancor rancidos & reddidit.
Icterus colore foedo corpus ut contaminet
Scilicet purganda tum ſunt vaſa glandes viſcera,
Pluries & ſæpe ſumptis reppetitis pharmacis.
Illud autem tam benigne mille flores exigunt.
Ergo convolemus ægri ſeu ſacratam ad anchoram
Nec, quod humor ex cloaca ventris ille profluat,
Serio curemus, adſit, ſanitatem præbeat,
Quicquid aptum, quicquid unquam juvit aut juvare quit,
Appetas magis vel illud, quando mos & publicus
Uſui patrocinatur omnium ſuffragio:

Hæc erant momenta rerum, quæ ſupremis laudibus
Mille flores evehebant. Donec & fefellerat
Uſus eventu ſiniſtro. Mox proinde corruit,
Ipſa cura tota quanta, ſicut eſt in omnibus,
Impetu quæ vulgus uno panaceam jactitat.
Cum cachinno poſt theatri vertit in ludibrium
Scena rem ridenda, cum qua res & ipſa deſiit.
Ortus & progreſſus iſthic eſt, reique terminus.
Sic valete mille flores, mille curæ plaudite.

❁ ❁ ❁

Stercus & urinam Medicorum fercula bina
Objecit quondam verſiculus Medicis.
At nunc arte nova, multis novitate placente,
Stercus & urina heic en Medicina datur.
Jure ergo iſta duo Medici ſua fercula linquant
Deguſtanda ægris, ceu quibus illa placent.

❁ ❁ ❁

Si Nares nervis pectusque atque ora carerent,
Egregia iſta recens & Medicina foret.
Nunc quia tam cor, quam cerebrum fœtore fatiſcunt
Obtuſum hanc cerebrum, cor ſtupidumque petant.

Naribus

Naribus admotis fontem os pete, dulcius unda
Ex ipſo bibitur fonte cadoque merum.

Soll auß dem Faß der Wein das Waſſer aus dem Brunn
am beſten ſchmecken
So könnt ihr Naaß und Mund ſelbſt in die Quell da ſte-
cken.

Wird dann vor groſſer Witz / die Welt noch toll und
wild /
Wo kommt es endlich hin bey ſo geſtalten ſachen
Möcht man den Kühſtall jetzt zur Apothecken machen /
Da eine Viehmagd mehr als der Apollo gilt.
Der hochberühmte Brunn der unt'rem Kühſchwantz
quilt /
Der Tauſendblumen-Safft (ich muß deß Nahmens la-
chen)
Hilfft aller Kranckheit ab und würcket bey den Schwa-
chen /
Mehr als der beſte Tranck / der unſre Gläßer füllt.
Liebhaber dieſes Saffts / ihr könt ihn ſelber nehmen /
Der Teuffel mag ſich euch beſcheid zu thun bequemen.
Nehmt meinetwegen nur den gantzen Keller ein /
Ingleichen wann ihr wolt das Magazin darneben /
Darauß ſoll euch die Kuh fein warme Fladen geben /
Die werden zu dem Trunck ein gut poſt paſtum ſeyn.

MEDULLA VITULINA.

Eſt oſſium vitulinorum ſubſtantia pinguis medullaris.

VITULUS dicitur a viriditate, h. e. viridi ætate, vel ut alii volunt à vitulando, i. e. laſciviendo. Græcis vocatur μόχος, Ἴταλος, πέταλος, Ein Kalb. Un Veau. Duplex eſt, Bos Novellus, Vitulus Subrumus, qui adhuc ſub matre eſt, ein Ochß-Stierkäblin ſo noch ſauget / & Vitula, ein Kuh-Kälblin. Vitulus & vitula, ut SEBIZIUS loquitur, primæ ætatis ſunt nomina; Juvencus & Juvenca, ein Stierchen / ein Kalbe / ſecundæ, Taurus Bos & Vacca tertiæ.

MILLEPEDES.

CARO VITULINA, μόσχιον κρέας, Kalbfleiſch / CHAIR ou VIANDE DE VEAU. Eſt autem vitulorum caro perfectorum boum ad conficiendum præſtantior. Averrhoës ſuavitatem ſaporis & fragrantiam odoris in ea adeo commendat, ut etiam carni gallinaceæ eam anteponere haud vereatur. Bonum ſuccum generat & ad alendum conducit. Salernitani ita canunt.

Sunt nutritivæ multum carnes vitulinæ.

Verum, docente ſupra dicto SEBIZIO, ætatis hic eſt habenda ratio. Vituli enim noviter geniti mucoſi ſunt, multumque lentoris & uvidi humoris in ſe habent, ac ob id valetudini non ita conducunt, præſertim elixi. Sint igitur ſeſquimeſtres aut bimeſtres priusquam veniant in uſum menſæ. Lactentis vituli caro jucundior eſt teneriorque quam ablactati. Cauſa eſt nutrimentum, quod eſt Lac, quod teneras, ſapidas, dulcesque carnes reddere ſolet. Frequens eſt tempore hyberno. Aſſatur, elixatur, variisque aliis modis apparatur. Includitur quoque panificiis & dulciariorum piſtorum operibus: inter

quæ

quæ artocreatum genera haud ultimum locum obtinent. Sæpe etiam prandiorum principiis capita vitulina apponuntur elixa, palato quam gratiſſima, præſertim illæ eorum partes, quæ curibus ſunt proximæ, pinguedine & teneritudine laudabiles. Olim capita vitulina absque cute apponebantur. Hodiernis autem temporibus deprehenſum fuit, ea melius ſapere, ſi cute adhuc veſtita ſint, modo pili probe fuerint remoti. Infertur quoque menſis una cum capite meſenterium, quod propter pinguedinem copioſam admodum dulcis gratique eſt ſaporis. Elixantur & friguntur etiam vitulorum pedes, qui tamen, quia membranoſi, tendinoſi nervoſique ſunt, bonum ſuccum minime gignunt. Juſcula ex carne vitulina parata humectant & laxant, unde non conveniunt iis, qui alvi ſunt fluidioris, aut qui diarrhœa aut dyſenteria laborant. Caro vitulina boni eſt ſucci, ſanis atque ægrotantibus cæteris paribus conveniens, concoctu facilis. Magis tamen competit hominibus, qui in otio & delitiis vivunt, quique per ſe tenerioris delicatiorisque ſunt conſtitutionis, quam Bajulis, ruſticis, nautis, foſſoribus & aliis, qui duros ſubeunt labores, quibus videlicet bubula caro eſt convenientior.

OSSA VITULINA combuſta, in pollinem redacta, ad Catillos Metallorum probatoribus idonea. Ex PULMONIBUS additis Veronica, Betonica, Salvia, flor: violarum, Macis &c. aqua elicitur deſtillatione, quam Phthiſicis & tabidis commendabant. Decantata quondam fuit Aqua pulmonis vituli MYNSICHTI. Hodie ejusmodi aquæ vix amplius uſurpantur.

MEDULLA VITULINA, kälberen Marck / vim obtinet indurata & ſcirrhoſa corpora emolliendi, ſive muſculis, ſive tendinibus ſive ligamentis id accidat, ſive etiam viſceribus. Poſt cervinam hæc medulla eſt optima, ab ETTMULLERO dici-

dicitur eſſe egregium euporiſton in agrypnia vel ſomni defectu, quando non poſſunt anodyna & narcotica adhiberi, ubi tantillum temporibus inunctum vigilias arcet & ſuavem ſomnum inducit. Sic in febribus malignis & febre puerperarum, ubi deficit ſomnus bis vel ter in die inungantur tempora, ut & iis, qui meditationibus nocturnis ſunt intenti, optime conducit.

VITULINA PINGUEDO emollit, laxat, temperat moderate absque inſigni acrimonia. Deſtillata hæc pinguedo cum cineribus dat oleum empyreumaticum, ſed volatile & penetrans, quodque recens odorem inſtar ſalis cujusdam volatilis reddit. Si inſtilletur ipſi ſpiritus nitri, occulte cum æſtu & fumi albi eructatione, efferveſcit, adeoque inſigniter alcalinæ erit naturæ: quod pariter de aliis pinguedinibus aſſerendum videtur, uti modo dictus author pronunciat.

MILLEPEDES.

Sunt inſecta terreſtria multipeda non alata, exänguia, ovipara, digitum transverſum vix longa, ſemidigitum fere lata, colore livido, cinericio nigricante, in ſuperiori præcipue parte ſeu in dorſo, in ventre vero albicante, ad contactum ſe in in orbem pilulæ ſimilem contrahentia ac rotundantia.

Millepedæ

MILLEPEDES, MILLEPEDÆ, CENTIPEDES, MULTIPEDES, πολύποδες, à multitudine pedum vocantur. Dicuntur Ὄνοι, Ὀνίσκοι, ASELLI, non quod Aſino ſimiles ſint, ſed a colore. Appellantur Ὄνοι πολύποδες, Ὄνοι κατοικίδιοι, κυβάριδες τύλοι, χύαμοι. Audiunt quoque PORCELLIONES & juxta MARCELLUM EMPIRICUM CUTIONES. Germanice nuncupantur,

Maur.

Maur-oder Keller-Eſel a domicilio, Kellerwürm/ Schäffelein / Gallis audiunt, CLOPORTES, PORCELETS.

Millepedes quaduordecim pedibus gaudent, utrimque ſeptem; ſingulis pedibus una junctura vix perceptibilis eſt, latera circa pedes ſerræ modo ſunt dentata, cutim obtinent quaſi ſquamoſam & quadantenus calloſam, ex novem flexuris partim majoribus, partim minoribus conſtantem, unde ſeſe contrahere poſſunt & complicare, & juxta SCRIBONIUM LARGUM conduplicare, in orbem pilulæ rotundiſſimæ ſimilem; in cutis prominentiis ſeu flexuris hinc inde nigriores ſeu luteæ maculæ conſpiciuntur. Inſtructa hæc inſecta ſunt in capite duabus antennis prominentibus, mediantibus quibus viam tentant. Prædita ſunt cauda bifida, longiuſcula, acuminata. Cutim quandoque ſponte deponere nonnullis putatur cum eorumdem exuviæ interdum reperiantur. Alii tamen hac de re dubitant.

Degunt Millepedes in cellis aliisque locis ſubterraneis, uliginoſis ac humidis rimis parietum, ſub tegulis, lapidibus, hydriis & vaſis aquariis, fictilibus in hortis, item in medullis arborum exeſis, & inter corticem ac caudicem putreſcentem. Tepido humore vivunt, in rimis parietum, aut ædium latebris hyemem tranſigunt. In calidis regionibus & ſiccis etiam reperiuntur, ſed ibi nocturno rore vaporeque reſarciunt, quicquid per diem humoris fuerat exhauſtum.

Ovipara dicuntur inſecta: Coeunt juxta JONSTONUM, & a coitu ova dicuntur deponere candida, ſplendida, margaritulis ſimilia multa & eodem loco coacervata. Ex ovis primum vermes duriuſculi excluduntur, qui aliquantiſper fere immobiles hærent & albicantes, tandem parentum more liquorem aut rorem ſugunt. Contradicit FRAUENDORFFERUS in EPHEM. NAT. C. vivum Millepedarum partum ſe obſervaſſe aſſerens. Dum enim Millepedam microſcopio luſtrat, circa primum peduncul orum par à capite numerando, vidit aliquid ſeſe movere; non multo poſt animaculum inſtar minimi pediculi celerrimo curſu prorumpere, inſequente mox altero, tertio usque ad trigeſimum ſeptimum intra breviſſimum tempus: erant autem hi Aſelluli bene formati ejusdem inter ſe magnitudinis ex eodem foraminulo in loco ad partum cæteroquin inconſueto & quidem matre mortua egreſſi. Adeo, ut fabuloſum olim de Vipera traditum partum, cujus pulli non niſi matre interempta prodire credebantur,

bantur, in Millepedibus ſe annotaſſe doceat. Hiſce addit LANGIUS hæc verba. Communiter dicitur, quot Millepedæ ponant ova, quæ in loco humido excluduntur, ſed memini, me aliquando obſervaſſe, quod fœmellæ ova & tenellulos aſellos venti adhærescentes gerant, pene ad morem cancrorum fluviatilium. Si quid in hac re, uti pronunciat HENNINGERUS in PECULIARI DISSERTATIONE DE MILLEPEDIBUS, ex qua hæc potisſimum ſunt deſumpta, conjectari licet, forſan ova ſua naturaliter deponunt ex primo pari pedunculorum, ſicuti e. gr. Gammari ſeu cancri fluviatiles per certum foraminulum tertio pari bracchiorum in primo oſſe inſculptum parere ſolent. Addit prædictus HENNINGERUS ſe talia ovula rubicundi coloris, ſæpius ſub vaſis aquariis in Horto Medico conſpexiſſe.

Aſelli inter ſe non differunt niſi magnitudine, colore atque loco, dum nempe ſunt majores vel minores, coloris fuſci cinerei vel albicantis, domeſtici vel ſylveſtres.

IN

Millepedæ in Medicina multiplicis ſunt uſus, etſi enim, ut ETTMULLERUS loquitur, inſecta ſint viliſſima, in Medicina tamen exiſtunt utiliſſima. Virtutem autem & efficaciam ſuam obtinent à ſale volatili acri nitroſo, & ſatis copioſo. Obtinent virtutem aperiendi, attenuandi, incidendi, diſcutiendi, abſtergendi penetrandi & reſolvendi; præprimis vero utilitatis peculiaris ſunt in mucilagine tartarea reſolvenda, calculoque ad mucilaginem reducendo, in obſtructionibus viſcerum aperiendis. Præcipua autem Virtus eſt diuretica, unde in dyſuria, iſchuria, calculo tam præcavendo, quam curando, doloribus nephriticis &c. laudantur: Uſurpantur autem pro his ſcopis variis modis vel in pulvere per ſe aut cum aliis, vel in infuſo aut decocto vel ſuccus eorundem exprimitur & in uſum trahitur. Caute tamen etiam cum millepedibus æque ac cum aliis diureticis atque pellentibus eſt agendum, cum ſæpius malum exaſperent, quod emollientia & demulcentia mitigaſſent. Conducunt

cunt porro Millepedes in Cachexia & Hydrope partim ſerum evacuando, partim in gelatinam abiens attenuando. Proſunt quoque in Tympanitide, quo in caſu WILLIS commendat infuſum Millepedarum cum nuce moſchata in aqua diuretica. Laudantur in Hepatis infarctu, in affectibus Splenis & Hypochondriorum. Medentur Ictero. Imprimis vero in aſthmate & reſolvenda mucilagine implente & infarciente Pulmones non haberi potentius remedium ETTMULLERUS affirmat, ratione ſalis volatilis incidentis, quocunque modo præparentur & propinentur; propinati in mediocri doſi ſunt expertiſſimi in aſthmate, ſive aſelli cum aceto & vino propinentur ad aliquot grana, v. usque ad ℈j. ſive in petia ligati infundantur vino, & hoc poſt expreſſionem hauriatur, ad infarctus pulmonum mire conducit & egregie convenit. In Phthiſi porro præſertim incipiente & tuſſi convulſiva non absque effectu adhibentur. Laudantur quoque in Paralyſi item in angina, ubi quidam aſellos in potu exhibent aut delingendos dant, aut dolentibus & affectis partibus illinunt: decoquuntur nempe in oleo juxta PLATERUM. Singularis quoque vis anodyna Millepedibus tribuitur, ad dolores capitis, aurium, dentium, hæmorrhoidum &c. tum interne tum externe ſi in uſum trahantur. Deprædicantur quoque in doloribus ſcorbuticis & in arthritide vaga. Celebrantur multum pro curandis ulceribus malignis & phagædenicis itē vulneribus recentibus & inveteratis. In tumoribus mammarum ex concretione lactis, nec non etiam in cancro mammarum aliarumque partium eximias habent dotes. Per tempus autem debent uſurpari, ſingulis vicibus ſumendo ʒj. Vivi impoſiti phagædenam perimere dicuntur SCHROEDERO; item paronychiæ ſuccurrunt, mammis fœminarum exulceratis conducunt in forma emplaſtri; contriti & cum

Terebinthina, Myrrha, applicati ulcera alias ſanatu difficilia curant; in fiſtulis ſuccus è vivis elicitus injicitur.

Dantur Millepedes ad ℈j. ad ʒj. usque; pulvis autem levis eſt, adeoque moles ingrata. Adhibentur alias, uti jam monitum, vel in infuſis & decoctis, vel ſuccus expreſſus adhibetur & in juſculo aut aqua convenienti vel in vino propinatur.

℞. Pulv. Milleped. pp. ʒj. vel ℈jv. Spirit. Vini ℥ß. Juris Cicer. rubr. ℥jx. vel x. Capiatur per plures dies ad calculum curandum.

℞. Millep. pp. Lap. Percar. Ocul. ♋ pp. ana ʒj. Arcan. ♃. gr. xv. Aqu. Vitæ, Chærefol. Fragor. Halicacab. ana ℥ij. Syrupi Dialthææ Fernel. q. s. f. potio ſumenda cochleatim in calculo & præſervatione a calculo.

℞. Millep. pp. ʒij. Flor. Sal. Armon. ʒß. Nuc. Moſchat. ʒß. Tereb. Venet. q. s. fi. pilul. ad grana: ſumat. ℈ß. aut ℈j. &c. bis in die pro eodem ſcopo.

℞. Milleped. rec. ℔ij. folior. Aparin. Chærefol Saxifrag. Virgæ Aur. ana man. ij. Rad. Raphan. ſylveſtr. ℥vj. Nuc. moſchat. ℥j. Bacc. Junip. Sem Dauc. ſylveſt. ana ℥ij. conciſis & contuſis affunde ſeri lactis cum vino albo ℔viij. deſtilletur liquor, cujus doſis ℥jv. bis vel ter in die in diſpoſitione calculoſa.

℞. Milleped. rec. lotor. No. 40. ad 60. Nuc. Moſchat. ʒß. ſimul contuſis affunde Aqu. Saxifrag. vel vin. alb. generoſ. q. s. f. expreſſio, & ebibatur in eodem morbo

℞. Milleped. pp. ʒiij. Sal. ♃. ʒij. Nuc. Moſchat. ʒj. Miſc. f. pulvis. Doſis ʒß. bis in die in liquore appropriato in Hydrope, præſertim ſcorbuto ſuperveniente juxta WILLIS.

℞. Milleped. rec. & viv: No. 50. aut 100. Croci ʒß. Nuc. Moſch. ʒj. ſimul contuſis affunde Aqu. Chelid. ℥jv. f expreſſio

preſſio fortis & ebibatur. Ad hunc modum ſumatur primo ſemel, dein bis in die per ſeptimanam. Valet in Ictero ut aſſerit WILLIS.

℞. Vini Millepedum ℥viij. Syrup. Hyſſop. Marrub. ana ℥ij. Eſſent. Helenii ʒij. Croci ʒß. Miſc. f. potio pro aliquot doſibus in aſthmate.

℞. Milleped. vivor. mundat. ℥ij. Sem. Aniſi ʒj. Nuc. Moſch. ʒß. Sacch. albiſſ. ℥j. contuſ. affund. Aqu. Hyſſop. ℥vj. Limacum ℥ij. f. expreſſio fortis: doſis Cochl. ij vel iij. bis in die. In tuſſi puerorum convulſiva & Phthiſi incipiente.

℞. Milleped. pp. ʒij. Pulv. Semin. Urtic. Bardan. ana ʒß. Ol. Nuc. Moſch. deſt. ʒj. Sal. ſuccin. ʒß. Succ. Liquir. qu. s. f. pilul. exiguæ, quarum tres ſumantur mane & veſperi in Phthiſi.

℞. * Millep. pp. ʒij. Flor. Benz. ʒß. Sal. Succin. ℈ij. Extract. Helen. ʒß. Caſtor. ʒß. Croc. ʒj. Tereb. Venet. q s. fiat maſſa in pilulas exiguas formanda. Capiat æger jv. omni mane & veſperi, in aſthmate humido viſcido & convulſivo.

℞. Pulv. Millep. pp. ʒiij. Sem. Ammios ʒj. f. pulv. divid. in 10. p. æq. ſumatur doſis bis in die in convulſionibus.

℞. Milleped. mundat. ℔j. Caryophyll. concis. ℥ß. ſuperaffunde Vini albi ℔ij. deſtillentur in cucurbita vitrea. Doſis ℥j. ad ℥iß. bis in die in convulſionibus.

℞. Milleped. pp. ℥iijß. Margar. ʒiß. Rad. Dictamn. Cret. ʒj. Terebinth. Venet. qu. s. f. maſſa, formetur in pilulas exiguas: doſis ʒß. ſuperbibendo hauſtulum aquæ deſtillatæ in Paralyſi.

℞. Milleped. q. v. Adip. Gallin. Butyr. non ſalit. ana p. æq. q. s. Adip. Anguill. par. coque ad conſumptionem humidi-

miditatis in unguentum conducens in dolore hæmorrhoidum etiam atrociſſimo.

℞. Poma arida (vel potius putrida) bulliant cum aquæ roſacea ad mollitiem, admiſce aſellos contritos, tunc inducantur linteo & imponantur mane & veſperi ad hæmorrhoides dolentes.

℞. Pulp. Milleped. Ungu. Popul. Ol. Ovor. ana ℥j. Extract. Opii ʒj. Mſc. f. linimentum Hæmorrhoidale.

℞. Ol. Violac. ℥ij. Aſellorum ℥j. (centum Aſelli mediocres utplurimum unciam pendent) tuſos inde oleo, in vaſe terreo leniter coque, tum adde ceræ albæ recentis ℥ß. deinde cola & exprime in aquam frigidam. Si exterius prominent hæmorrhoides unguentum in ſplenio imponitur. Sin intus latent, in formam glandis involvitur, atque ſplenium linamento inductum ſuperadditur.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Millepedes præparati, präparirte Maur-Eſel / *Cloportes præparés*.

SPINA VIPERARUM.

Eſt oſſium minutulorum & acutorum iſta aggeries, quæ ſecundum longitudinem animalis ſive ſerpentis hujus venenati extenſa, ſuffulcimentum reliquis adnatis partibus carneis dat, coloris albicantis odore & ſapore evidenti carens.

Pollent

VIPERA dicitur quaſi VIVIPARA, quoniam fœtus vivos parit, nec ova excludit, ut alii ſerpentes. Alii dictam Viperam volunt, quoniam vi concipit & parit. Græci Ἔχιδνα appellant, Germani Viper/ Natter/ Otter/ Galli VIPERE.

Viperæ

Viperæ in regionibus calidioribus imprimis Italia reperiuntur. Occurrunt tamen etiam frequenter in Galliæ provinciis diverſis, Delphinatu, Tractu Pictavienſi, Burgundia &c.

Diſcrepat Vipera a cæteris ſerpentibus non modo, quod ſegnius ſerpat, neque in altum exiliat, ſed præcipue, ut CHARAS in TRACTATU DE VIPERA loquitur, eo, quod illius fœtus in utero materno omnimodam perfectionem conſequantur, unde more ſolito vivi prodeunt. Summa namque fabula & craſſiſſimum eſt mendacium, quando dicunt; in coitu ex Viperis Marem fœminæ faucibus caput immittere ac ſemen effundere in uterum illinc deferendum, in quo primo generarentur ova, ac demum minores viperæ: Fœminam autem ab ejusmodi ſeminis emiſſione titillatam Mari dentibus collum abſcindere, eumque enecare: Viperinos vero fœtus partui proximos, uterum perforare exitum quæſituros, adeo ut necem matri inferendo patris enecti quodammodo vindices fiant.

Viperæ mares & fœminæ cum adultæ ſunt, medio ſuo corpore craſſitiem pollicis adæquant. In fœminis vero, cum fœtus maturos gerunt, craſſior eſt truncus: utplurimum bipedalem attingunt plus minuſve. Caput, quod depreſſum eſt circa extremitates partis ſuperioris, quaſi limbo reflexo exaltatur. Viperæ caput integrum pollicaris eſt longitudinis. Collum in maribus plerumque quam in fœminis craſſius eſt. Cauda in maribus ſemper longior eſt & craſſior quam in fœminis, continens membra generationi dicata; longitudini quatuor circiter transverſos digitos obtinet, in fœminis autem tres tantummodo. Pellis viperæ ſemper eſt variegata, fundum autem colore ſat diſſimile eſt, modo enim candicat, modo ſubrubeſcit, alias cinericii eſt coloris, alias flavi, alias ferruginei. Fundum hoc perpetuo diſtinguunt maculæ nigræ, aut ſaltem reliqua parte multo magis fuſcæ. Pellem univerſam contegunt ſquamæ, quarum maximæ validiſſimæ & plurimum inſignes totam partem inferiorem corporis occupant, nonnullæ capitis partem infimam. Viperæ ſquammoſam hanc cutim bis in anno exuere ſolent, altera ſubtus latente formam jam adepta.

Plurimorum animos, verba ſunt CHARAS, inſedit hæc opinio, Viperam truculentiſſimam eſſe & infeſtam, adeo ut crudelitatis emblema referat, ſed revera ipſi imponitur, nunquam enim protervit & ferocit niſi laceſſita fuerit. Tunc enim in rabiem agitur, morſusque acutiſſi-

acutiſſimos infligit, at vero nequaquam vel homines vel beſtias, niſi in excandeſcentiam acta fuerit, morſu impetit: ſin forte contigerit, ut humi ſtratus quis morſu invaſus ab illa fuerit, procul dubio inopinanter aut concultata fuit, aut oppreſſa, alias nunquam dentes illi infixiſſet. Vipera nihilominus aggreditur & interficit animalia, quæ in eſcam illi cedere debent, cujusmodi ſunt Cantharides, Scorpiones, Ranæ, Mures, Lacertæ, aliaque ſimilia animalcula, quæ integra ab illa deglutiuntur. Tarde fit in viperis aſſumptorum concoctio, unde plurium menſium decurſu citra alimentum vitam trahere queunt, hinc fuerunt, qui crediderunt Viperas aëre nutriri.

Vipera ſubſtantiam obtinet viſcidam & compactam tardiſſime diſſolubilem. Caput Viperæ a trunco divulſum mordere tamen valet, morſumque non minus pernitioſum infligere, ac cum Vipera integritate partium corporis gaudet. Vipera pauciſſima excludit excrementa, nec multum fœtentia. Viperæ nunquam terram effodiunt latebras quæſituræ, ſed utplurimum inter lapides deliteſcunt aut ædificiorum ruinas, inter quas non raro magno numero congeſtæ & conglobatæ occurrunt; ſereno tempore rubos quærunt & denſas herbas. Bis ut plurimum in anno coeunt, fœtus quadrimeſtri aut quinquemeſtri ſpatio geſtantes, qui perfectionem adepti ex ordine prodeunt, per uteri emiſſarium ſolitum, neque exiguo numero, videlicet ad viginti usque & viginti quinque. In exitu ſecum abſtrahunt exiguam membranam, ab umbilico pendentem, nempe ſecundinam, quam mater paulatim lingua divellit, prout utero elabuntur.

Eſt genus ſerpentis admodum venenoſum, de quo veneno magna inter Authores lis eſt. Helmontius aliique dicunt quod venenoſitas viperarum aliorumque animalium conſiſtat tantum in idæa quadam furoris, indignationis & excandeſcentiæ, unde fit ut tantum morſus ſint venenati, cum totius beſtiæ partes poſt mortem ſint omnes ſalubres & elegantiſſima offerant medicamenta, per morſum autem tantum per ſalivam ideæ communicatæ & transplantatæ archæum inficiant, id quod patet porro, quod morſus reliquorum animalium ut & hominis ſi ſint placita ſint innoxii, ſi vero animalia furibunda evadunt, morſus illorum non minus ſint venenati quam viperarum morſus, Dicit FR. RHEDI ITALUS, qui peculiarem tractatum de Viperis conſcripſit, ſe reperiſſe, quod quocunque modo tractentur viperæ

peræ vel comedantur vel alio modo aſſumantur, nullo modo ſint venenatæ. Oſtendit enim liquorem Salinum gingivis viperarum in duabus veſiculis dentes ipſorum contegentibus hærentem & per ductus poſtea Salivales ad veſiculas haſce derivatum, quem pro veneno habent, minime eſſe noxium intrinſece ſumptum, ſed ſolummodo extrinſecus applicitum: experimentis & obſervationibus id comprobat, ita ut neque fel viperæ epotum, neque liquor qui in peculiaribus veſiculis in earum ore latet etiam prorſus aſſumptus necare queat: dicit pariter, ut omnia breviter comprehendam viperam humorem, excrementum aut partem nullam habere, qua bibita aut comeſta interficere valeat, caudam non habere qua pungat, dentes caninos tam maſculorum quam foemellarum non plures eſſe duobus cavosque eſſe à radice ad apicem, nec, licet feriant, eſſe venenoſos, ſed tantum aperire viam veneno viperarum, quod venenum non eſt, niſi ſanguinem attingat, venenum aliud non dari niſi illum liquorem qui palatum humectat & in vaginis dentes aperientibus reſtagnet, non è veſica fellea eo transmiſſum, ſed generatum in capite & derivatum fortaſſe ad vaginas, per quosdam ductus Salivales, quos forte caput illis communicat. CHARAS autem refutat rurſus RHEDI, viperæ nullum prorſus niſi furore percitæ venenum, quod per liquorem hunc deinde communicatur, agnoſcens; fruſtraneum itaque dicit eſſe eorum metum, qui jubent caput & caudam abſcindere: vid. Epiſtol. FRANC. RHEDI, annexam E. N. C. ad reliquas oppoſitiones factas in ſuas obſervationes de viperis, ubi iterum CHARAS refutatur.

IN

Pollent vi alexipharmaca & diuretica, virium reſtaurativa, malignitatis repulſiva & vi balſamica ad vitam longam, contra venena, morbos malignos, & peſtiferos, purificando ſanguinem, in Lue Venerea, phthiſi, ſcabie graviore; laudatur in Elephantiaſi, lepra, ſcabie retropulſa, ulceribus inveteratis. Uſurpantur quoque juſcula Viperarum pro humectatione corporis & ipſius ſanguinis. Hepar & cor Viperarum exiccatum appellantur Bezoardicum animale Doſ ʒß.

con-

convenit in dyſenteria maligna epidemica. Hepar viperarum antidyſentericum eſt , partum facilitans. In dyſenteria adhibetur ā felle ſeparatum, in partu diffici i autem cum felle. Truncus a cute & inteſtinis liberatus reſiſtit venenis, ſanguinem purificat. Doſis ℈ß. ʒß. I. Quomodo agat venenum viperarum in corpora animalium ſe ignorare dicit Rhedi, inquiens, ſi hoc a me flagites, falleris, certum enim mihi eſt, cum hoc ſit ex illis tot tantisque rebus , quas nec ſcio, nec ut ſcire poſſim ſpero, quoniam poſt tot experientias factas hoc ſolo fine in variis animalibus, non tamen huc usque inveni aliquid, quod pleniſſime mihi ſatisfaceret, atque pro vero ſcribere poſſem. Fel Viperarum ſudorem movet. Doſ. gutt. ij. convenit in Cataracta oculorum detergenda & reſolvenda. Fel viperarum ophthalmicum eſt ut fel lucii piſcis, cum modico ſacchari mixtum præmiſſis præmittendis & veſicatorio ſimul applicato feliciter catarractas incipientes abigit. Pollet enim Fel viperarum ſale volatili diſcutiente. Pinguedo viperæ , cujus bonitas æſtimanda ſi vel leni carbonum △e deflagraverit & liquida permanſerit , eſt reſolvens , anodyna, ſudorifera ad ʒj aſſumpta, contra ſcabiem laudatur, ad ſtrumas, ſcrophulas, rugas faciei & maculas tollendas vel ſola vel cum balſamo Peruviano : viſum acuit illita palpebris vel inſtillata oculis bis vel ter in die , partium eſt tenuium, hinc inſigniter incidit, reſolvit & diſcutit: BARTHOLINUS in partu difficili laudat umbilico illitam. Curioſum eſt illud de pinguedine , quoties oculis inſtilletur brevi poſt tempore inſtar butyri albi purisque effluit materia. WEDELIUS binis phthiſicis cum ſucceſſu dedit pinguedinem: Spinæ dorſi illini poteſt , omnia enim vulnera conſolidat pinguedo. Ophthalmica eſt ſingularis , præſertim ubi unguiculus ſe prodit, demulcet, acrimoniam lenit, abſtergit, conſolidat ,

vulneratis

vulneratis oculis præſentaneum eſt remedium & auxilium à variolis in oculis reſiduis maculis; nubeculis & unguibus unice medetur. Caro viperarum non eſt venenata, ſed potius nutritiva vel alexipharmaca, unde ex illa parantur Juſcula & Vina Viperina. Strangulantur viperæ à quibusdam filo ſericeo carmeſino, quo dein utuntur tanquam ſecreto in angina. Quando vipera exiccatur per fumum baccarum juniperi, vel etiam in loco umbroſo calido juxta CHARAS, tunc pulvis exinde præparatus vocatur Bezoardicum animale. Spinæ Viperarum exſiccatæ, Viperen Gräth / peculiarem virtutem alexipharmacam poſſidere creduntur, unde pulvis commendatur in morbis malignis.

In Officinis Prostant.

Pulvis Viperarum, Viperen Pulver / *Poudre de Viperes*, qui in multis morbis eſt egregius.

Sal Viperarum Volatile, flüchtig Viperen Saltz / *Sel Volatil de Viperes*, incidit, penetrat, obſtructiones reſerat, ſanguinem purificat, ejus motum promovet, conducit in morbis ſoporoſis, paſſionibus hyſtericis, febribus variis &c. Doſis eſt gr. vj. ad ℈j. &c. in vehiculo convenienti.

Trochiſci de Viperis, Viperen Zeltlein / *Trochiſques de Viperes*. Alexipharmaci habentur, ſanguinem purificant, & a putredine præſervant, ſed vix aliter uſurpantur quam in Theriaca.

Bufonem,

BUFO.

Eſt animalculum greſſile, quadrupes, Ranæ ſimile, eam tamen magnitudine ſuperans, corpore nimirum craſſo, dorſo lato, ventre turgido & inflato, unde vix ſaltare poteſt, cute tegitur denſiſſima & inæquali, coloris eſt nigricantis & luridi, in ventre maculoſi, aſpectu teterrimum, ut vix ſine cohorreſcentia à multis conſpiciatur.

BUFONEM, juxta PAULINI in TRACTATU, quem edidit de BUFONE, non inepte inde derivant, quia in obvios ſibi magno impetu ſpiritum efflat, & ad aſpectum ſubito ſpirat βι, βϋ, uti nos ſerio cum cónatu aliquid acturi cum ſpiritu crebrius efflamus 3ϝ, βϝ, 3ϋ. Græcis dicitur φρῦνος, φρῦνος κωφὸ, βατραχος, χερσαῖος, φύσαλος παρὰ τὸ φυσᾶν vel τῆς φύσης, quod Bufo ſeſe inflet, tumeſcatque inſtar follis. Vocatur etiam RUBETA à Rubo, juxta quem frequenter latitat. RUBETA RANA a forma quam cum Ranis communem habet. RUBETA TERRESTRIS MAJOR, ein Krötte/ Krotte/ Taſche. CRAPAU.

Bufo dorſo ventricoſo ſeu tuberculis exaſperato gaudet, pellis eſt denſiſſimæ, color ei fuſcus, luridus, fulvus aut ravus miſtus ex nigro & bilioſo flavo. Vivit repitque in ſicco potius & caveas facit in tellure, fimo, ſtabulis, inque hortorum pulvinis & inter lapidum ſtrues. Veſcitur rore, terræ limoſitatibus: herbarum, juxta SCHWENCKFELDT venena legit, & Apibus inſidiatur, in quibus captandis utitur ſolerter virulento ut volunt halitu. Salvia imprimis delectatur. Tarde procedit, non ſalit, propter corpus ignavum, turgidum atque iners & pedum quoque brevitatem. Non tantum coit cum ſui generis Rubeta, ſed & cum Ranis. Veneno tum mictu tum ſaliva conſpuit herbas, unde nonnunquam homines intereunt, qui plantas, fructus fungos &c. veneno Bufonum infectos inſcii devorarunt. Bufo inflat ſe cum ſtimulatur, cunctabundus & oculis rubefactis truculentum proſpicit, dein non lotium duntaxat ejaculatur virulentum, ſed etiam maleolentem halitum, ſuccumque album. Nonnunquam etiam aſſilit Oris labiis morſum impreſſurus. Nec facile occiditur. Nam & confixus per medium aliquot dies in palo vivit, venenumque cruentum aqua citrina dilutum ſtillat. Bufonis inimicus eſt Muſtela, Vipera, Felis, Araneus &c. Adverſatur quoque ei Ruta, unde Hortulani in more poſitum habent, ut Salviam & Rutam alternatim plantent.

A veneno Bufonum oritur tumor, pallor ad buxeum inclinans ſeu luridus color totius corporis. Anhelatio ſeu reſpiratio denſa conſertaque. Oris halitus gravis, æſtus membrorum, Vertigo repentina, Syncope, convulſiones interruptæ, Labra, Linguaque nigricans & balbutiens: Obtutus torvus vomitus effrenis: ſudor frigidus tandem mors. Aliquando inventa genituræ profuſio, ſingultus, caligo oculorum, delirium, dentium caſus, ſtupor totius cum alto & pro-

fundo

ſundo ſomno, lenta Tabes. Contra hocce venenum laudatur vomitus ex Hydrolæo, Theriaca, Mithridatium, Terra ſigillata, Bolus armena, Bezoar, Lac præſertim humanum, Antimonialia, Bezoardica varia. Cutis abluitur lixivio, muria, vino ſalſo, urina propria, lacte muliebri. Bufo areſactus carpis, axillis, præcordiis admovetur. Laudatur quoque imprimis Bufonites, quem in Bufone naſci fabulantur, de quo ſuo loco.

Differt

Bufo aëre ſuſpenſus & areſactus peſtilentibus imponitur bubonibus, papulis & apoſtematibus, omne virus exugens. Pulvis ſingulari Naturæ dono ſaltem collo appenſus dicitur ſanguinem ſiſtere. Integer umbilico alligatus fluxus hyſtericos, qui nullis remediis inhiberi poſſunt, retrahit & inhibet. Pulvis cum Arſenico, Smaragdo, Hyacyntho, Bolo armena, Succino, Tragacantha in tabellas reducitur & ſerico obducto collo ſuſpenditur, laudatur peſtilenti conſtitutione prophylacticum remedium. Areſactus plantis pedum appoſitus, Capitis, cordis morbis, phrenitidi & febribus ſuccurere dicitur. Oleum Bufonum ad anaſarcam facit, ſi eo perungatur venter deorſum trahendo, deponit enim ventoſitatem, ut loquitur SCHWENCKFELDT ad crura, ubi diſſipetur. Rubeta oleo incocta ad tertias, donec extabeſcat & in oleum convertatur, corium & oſſa nudentur & percolata in unguentum redigatur, frequenti inunctione colli ſtrumas certo delet auxilio: ſpecialiter autem commendatur Bufo ad Hydropem; qua de re ſequentem SOLENANDER in conſiliis refert hiſtoriam. Decubuerat Romæ, Hydropicus quidam, cujus uxor ſumptuum tandem pertæſa veneno illum tollere malitioſe ſtatuit, quare bufonis in olla uſti pulverem ægroto inſcio propinat, unde ille copioſum reddidit lotium, hinc denuo eundem pulverem exhibet, ut citius ærumnoſam ſumptuoſamque vitam cum præcipite commutaret morte.

te. Qui vero uberiore exonerata per veſicam ſaburra aquea præter conjugis expectationem convaluit. Exſiccatur autem Bufo in clibano. Alii ut certiorem obtineant effectum recipiunt Bufones Menſe Julio transfoſſos exſiccant in umbra & abſciſſis capitibus & exemptis inteſtinis ſubtiliſſime pulveriſant. Hujus pulveris ℈ß. vel. gr. xij. xv. ℈j. tribus vel quatuor vicibus propinant. Alii ad ʒß. aſcendunt. Sunt qui cum ſaccharo miſcent. Bufo quoque vivus contuſus & renibus inſtar cataplasmatis applicitus in hydrope laudatur. Nonnulli recipiunt Bufones vivos eosque extinguunt in Spiritu Vini, vel Vino Malvatico, poſtea eximunt, totos in retortam immittunt & per gradus igne aperto pellunt ſal volatile egregium ſudoriferum & diureticum; Spiritus vero vini vel vinum, quo extincti fuere bufones, habetur expertiſſimum & egregium alexipharmacum interne hauſtum. Bufo coctus & cataplasmatis inſtar appoſitus in angina commendatur. Pulvis Bufonum vel exſiccatorum vel calcinatorum in nodulo appenſus circa ſcrobiculum cordis, ſingulare quid contra incontinentiam urinæ obtinet, imprimis puerperarum, quando in partu ex inepta tractatione obſtetricis veſica laceratur, ut non poſſint poſt partum continere urinam & perpetuo madeant. In cura cancri præſertim mammarum exulcerati multum faciunt bufones, ſive ſolus bufo calcinatus in olla ſive exſiccatus aſpergatur cancro exulcerato, ſive permiſceatur prius pulvis exſiccati bufonis cum fuligine ſimul & cum petia ſaliva madida applicetur cancro exulcerato. Notandum alias inquit ETTMULLERUS, bufones comburendo eructare flammam fuſco cæruleam, unde ſuſpicor in iis latere principium ſulphureum animale.

Oſſiculum bufonis ex bracchio vel femore deſumptum, propinatum mira facere dicitur in epilepſia. Externe applicatum denti dolenti curat experientia Helmontii: laudatur

quoque

quoque hoc oſſiculum externe pulſibus applicatum in motibus convulſivis & febribus intermittentibus.

PARTES ANIMALES OLEOSIS CRASSIS CONSTANTES.

Lac.
Butyrum.
Caſeus.
Lac Caprillum.
Sevum Hircinum.
Axungia Porcina.
Oeſypus.
Ova.
Sperma Ranarum.

LAC.

Græcis γάλα, Milch. LAIT. juxta quosdam eſt ſanguis in candicantibus mammarum glandulis dealbatus, ſeu potius eſt ſubſtantia pinguis, butyroſa, oleoſa, ſulphurea, caſeoſa, ſalſa, viſcida & terreſtris, quæ in ſero tanquam vehiculo vehitur è ſanguine in mammis emulcta. Illud lac optimum, quod colore candidum, clarum, purum; ſapore dulce omniſque amaritudinis, acrimoniæ, aciditatis & ſalſedinis expers; odore ſuaveolens aut boni ſaltem odoris exiguum quid ſpirans, à fœtore autem alienum, conſiſtentia moderatum: hoc eſt neque nimis craſſum & caſeoſum, neque tenue & ſeroſum nimis, ſibimet continuum & ungui vel

vel ſpeculo inſtillatum cohærens, nec ſtatim diffluens, recens porro emulctum ex animali bene paſto & bene habito petitum.

Differt autem lac pro ratione animalium, anni temporum & paſcuorum.

Omnium optimum eſt LAC HUMANUM, quod naturæ quam maxime ſimile.

LAC VACCINUM craſſiſſimum eſt & pinguiſſimum, caſeoſæ ſubſtantiæ habet plurimum; ſeroſæ vero, ſi cum aliis lactis generibus conferatur, minimum.

Hinc alvum minus ſubducit; magis autem nutrit, unde diutius coctum ferrove candenti aut ſilicibus ignitis uſtulatum, donec ſeroſa humiditas quoad partem ſit conſumpta, alvum ſiſtit, hinc diarrhϾ & dyſenteriæ ex acrimonia humorum ortæ prodeſt. Hoc lac ob ſubſtantiæ craſſitiem ægrius concoquitur, citius in ventriculo coagulatur, tardius deſcendit, difficilius diſtribuitur, intus viſcera oppilat.

LAC CAMELINUM Vaccino eſt contrarium, liquidiſſimum & minus pingue: ſeri habet plurimum, caſei vero minimum.

Hinc alvum magis movet, minus alit, concoquitur facile, deſcendit velociter & diſtribuitur prompte & expedite.

EQUINUM LAC CameLino eſt proximum.

Virtus antepileptica ei adſcribitur.

ASININUM ſimile eſt equino: tenue tamen eſt admodum & plenum humoris ſeroſi.

LAC

Hinc facile etiam per alvum ſecedit.

Ratione

LAC CAPRINUM mediæ eſt conſiſtentiæ, neque tamen ita tenue ac ſeroſum ut Camelinum & Aſininum, neque adeo craſſum & caſeoſum ut Vacinum.

OVILLUM caprino craſſius, plus etiam caſei habet, minus ſeri.

SUILLUM crudum eſt & ▽eum, ideo ex illo caſeus formari nequit.

Cum

Ratione temporis, Lac Vernale & æſtivum alvum laxat efficacius, quia animalia vere & æſtate humido ſucculentoque veſcuntur pabulo. Hyemale vero ventrem minus ſubducit, quoniam Lac tunc temporis craſſius & caſeoſum magis, idque ob victum contrarium.

Omne Lac ſanum & incorruptum ſucci boni eſt, facile digeritur, levi negotio vertitur in ſanguinem, ſufficienter alit, corpus roborat & pinguefacit, carnem auget & alvum emollit, ſtomachum tamen & inteſtina quandoque vexat: Ne autem Lac in ſtomacho coaguletur, AVICENNA jubet ſaccharum admiſcere, quod optimum. GALENUS vero adjungit mel aut ſal, quod non æque bonum. Lac præterea eſt anodynum optimum in doloribus ſcorbuticis, contra Tabem, Atrophiam, phthiſim, hecticam & ad Renum itidem ac Veſicæ alioſque affectus Urinarios à nimia acrimonia aut corroſivitate provenientes, conducit. Efficax eſt contra eroſiones, combuſtiones ab exitialibus medicamentis factas, præſertim vaccinum, ſi Cantharides aut Auripigmentum Mercurius ſublimatus corroſinus aut aliud venenum naturæ inimicum & corroſivum ut Aqua fortis, oleum Vitrioli fuerit aſſumptum: tunc Lac copioſe eſt adhibendum, ſic imprimis ſi mictus cruentus à Cantharidibus ortus fuit, Lac interne & externe quam maxime eſt conveniens remedium. Lac præterea thoraci & pulmonibus eſt amicum tabidiſque in-

inſigniter confert. Præterea ad dolores partium urinariarum, diarrhœam, dyſenteriam, & teneſmum, ut & variarum partium faucium, pulmonis, ventriculi, uteri veſicæ & renum exulcerationes prodeſt. In Dyſenteria conducit præſertim lac chalybeatum, in quo aliquoties ferrum vel chalybs ignitus fuerit; ſic quoque pulticulæ é lacte dyſentericis quandoque conducunt, quia fluxum cohibent, acrimoniam humorum temperant, & interiores inteſtinorum parietes obliniunt, muniuntque, ne à tranſeuntium humorum acrimonia lædantur: Inprimis quoque lac laudatur in ſpecie ad affectus arthriticos: ſic PLINIUS memorat quosdam lactis præſertim Aſinini uſu a podagra & chiragra liberatos, multos quoque ſublevatos à lactis uſu, ſi non plane curatos experientia comprobat. Ubi multum lac Vaccinum adhibent, qua de re videri poterunt E. N. C.

Lactis & Butyri uſus, eos, qui Antimonialibus & Spirituum mineralium acidorum præparationibus vacant, præſervat, ne acida mineralia lædant. Lac in quo ʒß. Saponis Hiſpanici ſoluta, quotidie ad ℥iij. hauſtum ad Epilepſiam hypochondriacam mire laudatur, Lac porro, in quo flores Sambuci ſunt decocti, commendatur ad morbum Eriſypelaticum.

Exterius Lac egregium eſt admodum, excoriationes mitigat, humores temperat, &, ſi flores Sambuci incoquantur, diſcutit inflammationes abdominis & ejus dolores ſcorbuticos: ſicuti hunc in finem quoque laudatur Cataplaſma è foliis ſambuci & è foliis hyoſcyami. Clyſteres quoque è lacte facti tum in dyſenteria tum in vermibus conducunt. In dyſenteria adhibetur præſertim Lac chalybeatum vel per ſe vel cum vitello ovi aut ſevo cervino vel cum therebinthina. In vermibus Enemata lactea vermes deorſum alliciunt, unde per ſuperiora debent adhiberi anthelmintica præſertim

amara.

amara. E lacte parantur quoque balnea ad nimiam partium exſiccationem in Tabe & Atrophia & vel ex mero lacte vel ex Aqua & Lacte componuntur. Conveniunt etiam egregie ad dolores partium in abdomine ſitarum, a criſpatura ſeu contractione fibrarum ſpasmodica oriundos. Ejusmodi balnea adhibentur à delicatis mulierculis ad cutis elegantiam & teneritudinem conſervandam, qui mos præſertim viget in Italia. In pleuritide cum vera tum ſpuria, lac calefactum veſicæ bubulæ incluſum, & quam calide fieri poteſt, lateri dolenti appoſitum multum ſublevat.

Notandum porro, quod quo ſanior ſit beſtia aut etiam longævior, eo melius & ſalubrius lac exiſtat: Sicuti quoque major lactis bonitas exinde emergit, quo magis ſalubres & appropriatas animalia comedant herbas: unde ſi vaccæ herbis antiſcorbuticis magis veſcantur, lac eo magis ſcorbuto prodeſt. Sic in hectica & phthiſi animalia, quorum lac hauritur, herbis ad hunc finem conducentibus aluntur. Obſervandum autem quam maxime, quod ſub uſu lactis omnia illa ſint vitanda, quæ ad coagulum lac diſponere poſſunt, acida quævis ſunt fugienda; & ſi quæ adſint, abſorbentia e. gr. oculi cancri danda ſunt. Licet autem tam egregiis virtutibus ſcateat, nihilominus tamen non promiſcue omnibus Lac convenit. Sic juxta HIPPOCRATEM. non dandum eſt Lac capite dolentibus, quibus hypochondria elata aut murmura & flatus adſunt, ſiticuloſis, bilioſa diarrhœa correptis, febribus acutis laborantibus & quibus copioſa ſanguinis evacuatio facta. Dictum fuit quod non proſit neque in febribus intermittentibus, neque acutis: ubi tamen excipienda febris intermittens ſcorbutica. Non conducit autem in reliquis febribus propter facilem alterationem, bileſcit, humorum agitationem auget & ſic ſanguinem facit acriorem & acerbiorem.

Porro non convenit in hydrope, pleuritide & ſplenitide, in nauſea, vomitu, diarrhœa & cholera, niſi vel a venenis, vel ab acrimonia ſalina ſcorbutica oriantur, quo in caſu Lac conducere poteſt. In febribus ſcorbuticis jubent aſſumere diebus intermiſſionis vel etiam 7. aut 8. horas ante paroxyſmum, bonum hauſtum lactis. Iis porro, qui infarctibus Meſenterii, hepatis & lienis & eorundem tumoribus laborant, non convenit, quoniam facile corrumpitur, & obſtructiones auget. Certe lactis corruptio producit morbos vehementes colicos, choleram, infarctus meſenterii. Sunt qui jubent, ut tempore peſtis in omnibus conclavibus vaſa lacte calido repleta ſeponantur, quia peſtem tali lacti ſe inſinuaſſe obſervatum eſſe aſſerunt.

SERUM

Cum nihil communius ſit, quam Curam ſic dictam lacteam ad varia morborum genera adhibere: videndum ideoque eſt, quomodo illa inſtitui debeat.

CURA LACTIS

Alia LEVIS, alia MEDIOCRIS, alia STRICTA. LEVIS eſt, in qua ſolum quotidie mane hora circiter ſexta vel ſeptima recenter ex aſina vel capra emulctum Lac, vel etiam Lac Vaccinum dimidia parte Aquæ hordeatæ mixtum, adjecto Saccharo, ne coaguletur ita tepide aſſumitur vel citra aſcendendum & deſcendendum ad ℥vj. ℥xij. & ultra: vel aſcendendo ab ℥vj. per auctas quotidie ℥ij. usque ad ℔iß. & quandoque ſed rarius ad ℔ij. non excluſis tempore prandii & cœnæ aliis alimentis boni ſucci & facilis concoctionis.

STRICTA DIÆTA LACTEA eſt, in qua excluſo omni alio cibi potusque genere æger ſolo lacte vel ſaltem addita ſola medulla panis albiſſimi contentus vivere debet, ea quantitate Lac aſſumendo, quam ſtomachus, vires ac ipſa neceſſitas videtur exigere; ita tamen, ut tota quantitas, quæ ſingulis diebus bibitur, in tres partes diviſa, una mane, altera in prandio & tertia in cœna recipiatur.

ME-

MEDIOCRIS LACTIS DIÆTA eſt, in qua Lactis uſus tempore matutino rite adhibetur; in prandio vero conceduntur parca licet manu, quæ cum lacte analogiam habent ac naturam pro neceſſitate & rerum circumſtantiis corroborare, ſtomachi tonum conſervare, ac inappetentiam arcere valent: e. gr. pulli gallinacei, Capones ſolo lacte & medulla panis vel etiam furfuribus nutriti; caro vitulina, hoedina, ova tremula, oryza, lacticinia, pulmenta lactea, amygdalata, hordeata &c. quæ etiam in coena non prohibentur, parciori vero quantitate quam in prandio, quandoque tamen ſolum Lac in coena eſt aſſumendum: In potu ab omni vino eſt abſtinendum, plurimum enim in hujus abſtinentia ſitum eſt: æger contentus ſit Aqua ſimplici, vel cocta cum hordeo, china, lentiſco vel Aqua mixta cum lacte.

Pro debito autem lacteæ diætæ regimine Medicus notabit, corpus prius debito modo eſſe purgandum & evacuandum, obſtructiones, ſi quæ adſint, eſſe reſerandas & propterea quandoque ante curam lactis inceptam ſerum lactis per aliquot ſeptimanas hauriendum.

Secundo Lac e. gr. Aſininum ubi magis refrigerandum & detergendum, vel Caprinum, ubi magis nutriendum, vel vaccinum in podagricis præſertim recenter ex ubere mulctum calidum, 4. ante cibum horis eſſe ſumendum; ita ut æger ab ipſo aſſumpto neque dormiat, neque corpus validius moveat: ſomnus tamen non omnino interdicitur.

Tertio ne Lac in ventriculo corrumpatur aut aceſcat ad ℥viij. l. x. addenda ℥j. ſacchari.

Quarto ſignum bonum eventus curæ lactis eſſe, ſi urina cocta nec valde tincta nec nimis aquoſa: Si fæces alvi non crudæ, copioſæ & fœtidæ; ſi nullam ſitim cauſetur Lac. Secus, ſi ſtomachus infletur, hypochondria tendantur, alvus indureſcat, accedat vomitus vel diarrhœa, ſitis magna ac dolor capitis, quæ ſigna ſunt lactis corrupti, hinc melius eſt vel corpus evacuare vel a lactis uſu ceſſare.

Quinto antequam æger ſtrictæ ſe diætæ addicit, naturam paulatim ad eam eſſe adſuefaciendam, ut dando lacticinia, ciboſque cum lacte analogiam habentes, oryzam in lacte coctam, amygdalata, avenacea, pullos gallinaceos, capones, carnem hædinam & vitulinam usque dum tandem ſolo lacte pro toto alimento uti poſſit æger, & quidem etiam lacte frigido in quantitate ſtomacho & guſtui tolerabili, abſti-

nendo à vino & omnibus aliis. In pura lactis ſtricta diæta porro obſervandum 1mo & 2do menſe corpus ſubinde eſſe evacuandum medicamento vel Rhabarbarino & alio leniore, & quidem quo magis natura Lacti aſſueſcit majoribus intervallis, quo minus, minoribus: Si Lac aceſceret & coagularetur ſaccharum addendum: Si corpus exinde calefieret osque & fauces accenderentur, addendam quartam partem Aquæ ſimplicis vel ▽æ hordei: Si ventrem nimis fluidum faceret, ebulliendum Lac, eique addenda ſalis communiſſimi aliquot grana. Si conſtiparetur æger, Rhabarbarum in hauſtu lactis commendandum: Si ſitim excitaret, extra paſtum Aquam ſimplicem vel coctam cum ſaccharo tam ſolam, quam Lacti permixtam addi poſſe.

Ab uſu Lactis porro non deſiſtendum, niſi febris aut gravis dolor podagricus ſuper veniat, neque etiam ob accidentia a Lacte ſymptomata tam facile ceſſandum, niſi vomitus & dolor capitis accedant. Quantitas Lactis aſſumendi aſſignatur ad tolerantiam ventriculi. In cura leviori ab ℥vj. ad ℔j. vel ℔ij. In Cura mediocri totidem in coenæ loco. In Stricta finitis diætæ diebus mane ad ℥x. ad ℥xx. & totidem loco prandii & coenæ ſumendum: augendo quandoque doſin ad ℥xxiv.

Tempus continuandi diætam lacteam diverſum quoque eſt, quandoque ad menſem 1. 2. vel 3. extenditur: quandoque tamen in affectibus contumacibus præſertim podagricis ad annum unum vel plures extendenda, niſi quis recidivam experiri velit, his tamen ultimis ſuadendum eſt, ut prandii ſaltem tempore ad cibos boni ſucci & facilis concoctionis ſucceſſive tranſeant; ita tamen ut nec voracitas ciborum corruptelam, nec ſatietas cruditates generet: abſtinendo ſimul ab omni vino, quod melius vel nonniſi lymphato parciſſime utendo. Tandem notandum quomodo animalia, de quibus lac deſumitur, ſint nutrienda: Vaccæ videlicet vel alia animalia, quæ Lac ſuppeditant per æſtatem in paſcuis & locis ſiccioribus non paludoſis alenda: per hyemem vero cum fœno, gramine tritici & furfuribus tritici ſunt ſuſtentanda.

In podagra Lac eligunt à vacca rubri vel nigri coloris, præpingui, nec prægnante, a qua vitulus jam ſit ablatus nec taurus admiſſus. Tandem notandum, quod non omnibus cura Lactis poſſit adhiberi, quibus tamen commode propinari poteſt ſerum lactis.

SERUM LACTIS, die Molcken oder Schotten/ eſt aquæ ſale nitroſo plus minus volatili oleoſo imprægnata, alvum laxat & ſordes in primis viis ſine noxa abſtergit, hinc etiam gravidis ipſis, quæ obſtructionibus alvi laborant propinari poteſt, refrigerat inſuper, ebullitionem Maſſæ ſanguineæ moderate compeſcit, hinc in bilioſis, febribus ardentibus imo & in malignis ſive ſolum ſive moderate acidulatum cum ſucco citri vel cum ſucco limonum prodeſt. Quibus lactis uſus contraindicatur vel ob febres aut borborygmos in hypochondriis aliasque cauſas, vel quibus hepatis aut renum ardor per veris & æſtatis decurſum temperandus, humores ſic dicti aduſti, melancholici, ardores vagos & phlogoſes præſertim excitantes, temperandi atque evacuandi, quique plus contemperatione quam nutritione opus habent, ſerum Lactis quam maxime convenit.

Vi

Fit autem ſerum Lactis vel per ſe vel adjectione aut inſtillatione ſucci acidi, aut acido alio quocunque admixto, acida enim conſtringunt poros, ut illis conſtrictis fiat ſeparatio & receſſus caſei ad fundum ſerumque blando ſapore gratius reddatur, utplurimum autem hæc ſeparatio ſeri fit vel inſtillatione aceti aut ſucci limonum aut quod communius eſt & optimum, injectione Cremoris aut Cryſtallorum Tartari. Fit autem citiſſime hoc modo.

℞. Lactis e. gr. ℔j.

Ebulliat ſuper Ignem & dum ita bullit, injiciatur Cremoris aut Cryſtalli Tartari in pulvere cuſpis unus aut alter, aut quantitate avellanæ, ſicque in momento ſupernatabit ſerum ſeparandum à ſubſidentia per transcolationem. Non tantummodo ſimplex adhibetur ſerum Lacti, ſed variis inſuper herbis ac floribus alteratum, e. gr. pro laxanda alvo floribus Perſicorum, acaciarum, roſarum violarum &c. Sumitur autem quotidie per menſem ad ℥vj. aut ℔j 4. aut 5. horis ante paſtum, vel in aſcendendo quotidie per ℥ij. ad ℔j, ℔ij. usque, hinc præpoſtera ſerie ad priſtinam doſim redeundo.

No-

Vi ſua nitroſa abſtergit, obſtructiones reſerat, ardores compeſcit atque acria ſalia per urinam educit. Commendatur in ſcabie & ſcorbuto ut & purificando ſanguine vel per ſe vel cum aliis mixtum, ſicuti etiam ad ſitim ſedandam commode poterit adhiberi vel per ſe vel cum Tamarindis. Notandum etiam quod ſerum lactis non admodum conveniat ſenibus, ſed potius in vegeta ætate & adoleſcentia conſtitutis. Ex Lacte porro habemus

BUTYRUM, Butter/ BEURE, quod eſt Lactis ſubſtantia pinguis ab ipſo Lacte multa agitatione ſecreta; nam poſtquam Lac diutiſſime in vaſe ad hunc finem conſtructo agitatum eſt, quicquid in eo continetur pingue, ipſi ſupernatat, deinde colligitur, abluitur aqua, reponitur. Si injiciatur ſaccharum aut etiam vitellum ovi butyrum non coït. Continet butyrum ſal copioſum ſufficienti oleo condenſatum & ita in conſiſtentiam oleo ſpiſſiorem, pinguedine vero molliorem redactum: Nutrit butyrum, impinguat, laxat, fauces & guttur lenit. Foris adhibitum digerit, concoquit, ſuppurat, laxat, emollit & dolores mitigat. Cum omnem temperet acrimoniam acidam imprimis mineralium, propterea illis, qui in fodinis, ubi partes arſenicales exhalant, aut in locis, ubi arſenicum excoquitur, verſantur, quam maxime conducit, ſi ſæpiſſime fruſtum panis cum butyro aſſumant.

Buty-

Notandum hoc eſt, quod apud nos Butyrum vocetur Butter/ quod cocturam minime paſſum eſt; Ancken vero vocatur butyrum coctum. Schmaltz autem proprie dicitur de adipe & pinguedine. Eſt nimirum butyrum apud nos plerumque inſulſum; apud Belgas autem ſale conditum. Nimius butyri uſus ventriculi tonum diſſolvit, nauſeam parit, & appetitum proſternit. Vitandum butyrum calidioris complexionis hominibus, in his quippe facile accenditur & in bilem abit.

Con-

Butyrum non ſalitum cum cancris fluviatilibus contuſis miſcetur, hæc invicem exprimuntur & ad conſumptionem humiditatis inſpiſſantur fitque butyrum cancrinum, quod contra phthiſin, caſum ab alto, ſingulare dicitur remedium: Ad exulcerationem renum, partium urinariarum aliarumque internarum quoque convenit. Mulierculæ quædam è butyro Majali, in quo laxantia fuere infuſa, parant Butyrum laxativum, & præſertim hic loci butyrum Majale Caprinum aſſumunt. Tandem notandum, quod optimum butyrum ſit Majale recens, ſapidum, & ſubflavum, album tamen vilius cenſetur.

CASEUS, Käß / FROMAGE, fit dum coaguli opera tenuior Lactis pars ſequeſtratur, ubi remanet Caſeus, qui ex pinguiore & craſſiore Lactis parte conſtat, niſi quis prius butyrum abſtulerit, ſed tales caſei, ubi butyrum ablatum, ingrati & pinguedinis expertes ſunt. Pro coagulo autem inſerviunt ventriculi vitulorum juniorum, utpote in quibus acidum quoddam reperitur.

Externe

Continet Caſeus oleum, Sal acidum terram & aquam. Differt odore, ſapore, ætate, magnitudine, figura, colore, ratione Lactis è quo & loci in quo conficitur. Caſeus moderate ſumptus concoctionem promovet juxta verſiculum ſequentem;

Caſeus ille bonus, quem dat avara manus

Licet ipſe Caſeus difficulter concoquatur juxta illud;

Caſeus eſt nequam, quia digerit omnia ſe quam:

SCHOLA

SCHOLA SALERNITANA ita de uſu Caſei loquitur.

Ignari Medici me dicunt eſſe nocivum,
Sed tamen ignorant, cur nocumenta feram.
Experto reor eſſe ratum, qua commoditate,
Languenti ſtomacho Caſeus addat opem.
Caſeus ante cibum confert, ſi defluat alvus;
Si conſtipetur, terminat ille dapes.
Ad fundum ſtomachi, dum ſumpta cibaria trudit,
Vim digeſtivam non minus ille juvat.
Si ſtomachus languet, vel ſi minus appetit ille,
Fit gratus ſtomacho conciliansque cibum.

Caſeus autem is eſt optimus, qui ætate medius, odore jucundus, ſapore ſuavis & nonnihil dulcis, decenter ſalitus, modice pinguis, probe elaboratus, & ex optimo Lacte factus, ſubſtantiæ mediocris, hoc eſt qui inter craſſum & tenuem, durum & mollem, rarum & denſum, glutinoſum & friabilem modum ſervat, quique, cum inciditur, lachrymas minime profundit. Communiter ita canunt.

Non Argus, Largus, non Magdalena, Mathuſlem:
Non Habacuc, Lazarus, Caſeus iſte bonus.

Non omnibus Caſeus convenit, imprimis iis, qui ad morbos inclinant juxta communiſſimos illos verſiculos.

Caſeus & panis ſunt optima fercula ſanis.
Si non ſunt ſani, tunc hunc nec jungito pani.

Immoderato

Immoderato uſu homines diſponit ad infarctus viſcerum, Arthritidem, Nephritidem aliosque morbos, præſertim ſi ventriculus offendatur, qui illum rite ſubigere & in chylum convertere nequit.

Externe Caſeus vetuſtus contra podagram ex acido præſertim ventriculi ortam laudatur, ſi parti dolenti illinatur, inprimis in podagra nodoſa.

Curioſum illud eſt, quod ſi cum caſeo veteri præſertim Belgico commiſceatur mica panis & Calx viva ac cum Aqua ſubigatur teraturque odorem ſpiret ſeu potius foetorem intolerabilem.

LAC CAPRILLUM.

Eſt Lac Capræ non admodum pingue & craſſum, ſed medium.

CA-

CAPRA dicitur quaſi CARPA, quod virgulta carpat, vel quod captet aſpera: ein Geiſſ/ ein Ziege/ UNE CHEVRE.

Sunt autem Capræ animalia biſulca, cornuta, Cornibus retortis & acutis, ſevo pinguia, primoribus dentibus in ſuperiori maxilla deſtituta, ruminantia, vocem debilem & ſonoram habentia.

Aniculæ coëunt & uterum ferunt & magis quam oves. Mares quoque in hoc biſulcorum genere eodem illo tempore ineunt: ſed proles differt; quia præſtantior ea eſt, quam ſeneſcentes mares & fœminæ procrearunt. Tempore coeundi menſes fluunt. Idem fit poſt, ſed ad tempus, mox ceſſant, donec parturiant, quo tempore paſtores intelligunt tempus pariendi adeſſe vicinum. A partu purgatio ſequitur copioſe: primum modice & quidem cruenta: poſt largiter. Vox Capræ propria ad initum & congreſſum venereum: Fert Capra uterum menſibus quinque. Locis nonnullis parit bis: ſcilicet quibus cœli clementia & pabuli copia eſt. Terno quaternove impletur coitu. Quod ſi a coitu acceſſerit imber, abortus fieri dicitur. Concipit menſe Novembri, ut Martio pariat turgeſcentibus virgultis.

Iiiii Pari

Parit magna ex parte ſingulos hoedos. Aliquando & binos & ternos & quaternos. Sterileſcit pinguedine. Coit Capra quamdiu vivit. Vivit utplurimum annos octo; ſed frequentius pauciores. Capris fœminis pauciores ſunt dentes quam maribus. Varii coloris ſunt Capræ, non genere toto ſed parte, interdum & variæ generantur. Pingueſcunt cum fœtæ ſunt, comeduntque amplius. Gerunt ubera inter femora. Veſcuntur graminibus, fœno, foliis ac fructibus arbuſcularum fruticumque ut & corticibus; nec rubos averſantur vel vepribus oſtenduntur. Crebro mutant loca ſummaque tantum contingunt. Cubant facilius quam oves. Magis enim quieſcunt acceduntque ad homines familiarius, ſed ſunt frigoris impatientiores. Habent Capræ non ſecus ac Oves redivos, pediculis autem carent. Capris paſtores nullum conſtituunt ducem, quia earum natura non eſt ſtabilis ſed vagabunda. Omnibus Capris dependet mento villus, quem Aruncum, ſpecillum ſeu barbam Capræ vocant. Si quis ex caprarum genere unam villo apprehenderit, cæteræ ſtant velut ſtupidæ, ſuos in unam illam conjicientes oculos. Capra aſpernatur Ocymum. Sunt Cæpræ animalia hominibus lacte butyro, caſeo, ſevo, foetura, pelle, fimo & pilis uſitatiſſima. Ex his enim fieri dicitur Zambalotum, Camelot / Camelot. Detrimentoſa ſunt arboribus fruticibus & ſuffruticibus animalia. Gaudent enim hiſce magis quam graminibus. Unde quibusdam in locis à grege pecorum ſegregantur. Capræ melius agunt ineunte æſtate & circa ejns medium, & longe ſe ipſis inCibos præſtantiores evadunt ob arborum fruticumque ſurculos & germina, quæ iis idoneum præbent alimentum, proinde habitiores ac pinguiores, nobisque alendis accomodatiores fiunt.

HIRCUS

CAPRINA CARO minus ſicca bovina, ſiccior tamen ſuilla. Acrimonia quadam conſtat, ſuccum parit vitioſum & coctionem facile non admittit, facileque alvo ſecedit. HIPPOCRATES, explicante GALENO, ſuarum ſpecierum ratione dicit optimam eſſe illam, quæ in æſtate comparatur & quantum naturæ illius conceſſum odorata, ſolida, jucunda: peſſimam vero, quæ emitur in Autumno, quæque dura

dura eſt graveolens recens. Æſtivo namque tempore Capris convenientis & naturalis alimenti ſuppetit copia, quæ autumnali illis denegatur, aut ſaltem multum illis imminuitur. Hanc ob cauſam pinguiores, nobisque alendis accomodatiores ſunt in æſtate. Suavior meliorque cenſetur eſſe caro, cum Capræ verno tempore novella germina & ſucculentos tum ſurculos, tum cortices fruticum abliguriunt. Sed & Lac tum temporis habetur ſalubrius. Capræ dicuntur eſſe valetudinariæ & in ſpecie epilepſiæ obnoxiæ, & comedentes ſimili inficere labe.

SANGUIS CAPRÆ hydropicis dicitur conferre, quoniam urinam ciet. FEL cum pilis impoſitum umbilico Lumbricos necat ventris. VESICA uſta ex Vino pota urinam retinere non valentibus medetur. Id quod etiam UNGULA præſtare dicitur. CORNU ad albedinem uſtum dentes abſtergit, & gingivas corroborat, earumque turgentium dolorem reprimit. FIMUS CAPRINUS, Σπηρός, σπυραθὸς, Geißkoth / Ziegenkoth / Ziegenloorbeer / Ziegenloor-Bohnen / acris eſt & digerentis facultatis, abſtergit, ut SCHWENCKFELDT loquitur. Convenit in omnibus duris & ſcirrhoſis tumoribus, ſive Lienis, ſive etiam aliarum partium. Utimur quoque eo ad Aquam intercutem. Uſtus tenuiorum fit partium. Additur commode extergentibus & digerentibus Cataplasmatibus ad parotides & Bubones.

CAPRINA PELLIS, Ἀιγὶς, Ἀιγέη, Ziegenfell / Geißfell / PEAU DE CHEVRE, nunc cum pilis ſuis paratur, nunc absque pilis ad varia veſtimenta. Pili ad funes non tantummodo a reſtiariis adhibentur, ſed & ad galericula uſurpantur.

LAC CAPRILLUM, Geiß-Milch / Ziegen-Milch / LAIT DE CHEVRE, ſtomacho non eſt moleſtum alvumque minus tentat. Bibitur efficaciſſime Phthiſicis, Hectica labo-

rantibus; conſumptis ac emaciatis, recens ubi mulctum fuit tepidum. Datur Melancholicis, Comitialibus, Paralyticis, Artheticis &c. Omnibus auxiliatur internis exulcerationibus præſertim faucium, pulmonum, Interaneorum, Renum & Veſicæ. Cum Oryza, Panico, Milio ſive Silicibus ignitis, Dyſentericis, Cœliacis, bilioſis alvi fluxibus conveniens medicina. Cum hordeacea ptiſana aut aluceo cremore magnopere inteſtinorum roſiones mitigat. Si in eo decoquantur radices filicis majoris, vel Chamomilla & farina, impoſitum mirifice inflammationes partium vulgo uſtionem (ſunt verba SCHWENCKFEDT) frigidam vocant den kalten Brandt compeſcit. Quid in diæta hujus Lactis ſit obſervandum videri poteſt ſub Lactis uſu in genere.

SERUM CAPRILLUM, LAC SCHISTON, Ziegen-Molcken / Geiß-Molcken / PETIT LAIT, abſtergit, purgat, alvum laxat, ſanguinem purgat, acres humores contemperat, & pharmacis viam ad purgandum corpus aperit. Frequentiſſime in eo infunduntur flores Acaciarum, Perſicorum, tum recentes tum exſiccati, ut & flores Roſarum præprimis pallidarum pro integris, ut loquuntur, curis. Cum fumaria conducit optime in ſcabie. In uſum quoque trahitur ſerum Lactis Caprilli Terebinthinatum.

CASEUS CAPRILLUS, Ziegen-Käße/ Geiß-Käß/ FROMAGE DE CHEVRE, in cibo cæteris paribus utilis, boni ſaporis, facilius dejicitur, quam Vaccinus, minus tamen nutrit. Lactis copiam mulieribus augere fertur. Mollis ac recens impoſitus omnes punctiones ac dolores reprimit, cum melle ſubactus & impoſitus linteo aut panno deſuper tectis, ſuggilationes, livores celeriter abſtergit. Idem ad fervorem & punctionem Oculorum, Capitis & pedum dolorem commodus.

BUTY-

BUTYRUM CAPRÆ præſertim Majale, Geißen-May-Ancken/ oder Butter/ potum & extrinſecum umbilico illitum tormina ventris ſolvit.

Sequuntur Caprarum fœtus. Vocantur HOEDI, CAPELLÆ, ἔριφοι, junge Geißen/ Kitzlin/ Gitze/ Zieglin/ CHEVREAUX. Hoedus dicitur, ἀπὸ τῆς ἡδονῆς ab edendo vel a delitiis. Hoedi & capellæ ſunt admodum petulantes.

Præſtat CARO HOEDINA Caprinæ, ob ſubſtantiam humidiorem, ſiccior tamen eſt agnina hacque eſu utilior. Alit moderate, ſanguinemque gignit tenuem & humidum: ac propterea alimentum ſubminiſtrat ejuscemodi, quod facile diſcutitur. Quam ob cauſam convenientior naturis otioſis & infirmis, quam iis, qui graviores exercent operas. Sapit tunc potiſſimum, cum ſunt bimeſtres atque etiam trimeſtres, cum adhuc lactantur, non herbis paſcuntur, cum denique mater lacte abundat. Adultiores enim & ablactati gratiam amittunt. Manditur caro eorum verno tempore potiſſimum aſſa, cæterorumque carnibus àntepònitur à quibusdam Apiciis. Et manditur cum ſucco malorum Citriorum, Aurantiorum, Oxalidis, triticive virentis. Perſuaſum eſt, ut SEBIZIUS habet, nonnullis medendi artificibus, nullam carnem recolligentibus ſe a valetudine magis eſſe idoneam.

SANGUIS HOEDINUS ſpuentibus ſanguinem valde commodus.

COAGULUM HOEDI pares vires habet cum Leporino. Contra Aconiti potum in Vino & concretum Lac in Aceto aſſumitur. Dyſentericis prodeſt & menſes immodice fluentes ſiſtit.

SEBUM minus calefacit & ſiccat Hircino, unde & melius ad oris rimas.

℞. Pomorum BORSDORFFIANORUM decorticatorum &

& in partes diviſorum No. quinque. Caryophyllis infarciantur & in Roſarum aqua quatriduo macerentur: adde Adipis Hoedi rec. ℔j. ferveſiant ſimul in Mar. Baln. donec omnia albeſcant, ſæpius cum prædicto liquore abluatur ut totum fiat album. Aromatizetur Moſcho & in vaſe vitreo reponatur.

℞. Omenti Hoedi aqua Roſarum macerati ℔v. Camphoræ ℥iß. f. unguentum. Conducit utrumque ad fiſſuras Labiorum & narium & Papillarum. Valet quoque ne facies a ſole aduratur: prius unguentum eodem modo inſervit ac unguentum Pomatum.

SEVUM HIRCINUM.

Eſt Sevum Hirci, ſeu Maris generis Caprini albicans ſaporis unctuoſi.

CARO

HIRCUS vocatur vel ab hirſutie, vel ab hircis oculorum angulis, quoniam animal eſt laſcivum, petulcum, & ad coitum fervens, cujus oculi ad libidinem in transverſum aſpiciunt. Nominatur & Τράγος vel ἀπὸ τῦ τρώγειν & τραγεῖν quod eſt edere; animal enim vorax eſt. Vel παρὰ τὸ τραχὺ τὸ δέρμα ἔχειν, quod pellem habeat duram & aſperam. Vel ab aſperitate vocis, vel denique ἀπὸ τῦ τρέχειν a currendo. Dicitur quoque CAPER, CAPER ADMISSARIUS, ein Bock/ ein Geißbock/ ein Rammelbock. Galli BOUC vocant.

Eſt animal biſulcum, ruminans, cornutum, vocem debilem ac ſonaram habens, ſaliens.

Vir gregis, dux & maritus caprarum optimus in ſuo genere eſt, qui amplo eſt corpore, pilo molli, longo, denſo, & nitido eoque vel albo vel nigro, capite parvo, plena & brevi cervice, naſo ſimo, auribus flexis & gravibus, cruribus craſſis. Aruncus ſeu villus ejus mento dependet. Pinguis ſi ſit hircus minus eſt fœcundus. Imprimis barba & cornua obſerventur, quæ quo majora fuerint, eo majorem hirco dant authoritatem, Tam valido ictu ferit interdum Hircus, ut etiam homi-

homines proſternat, & cornua in obtentum lignum mollius infigat.

Hircus vel ſeptimo menſe habilis eſt ad procreandum. Hinc celeriter & ante ſextum annum conſeneſcit, quod immatura Veneris cupidine primis pueritiæ temporibus exhauſtus ſit.

Olet Hircus haud raro peſſime, potiſſimum ubi Veneris agitatur ſtimulis. Hinc notante SEBIZIO, nota vox τραγίζειν, quæ duo notat olere hircum, & vocem hircinam edere, qualem edere ſolent illi, qui pubertatem ingreſſi hoc nomine ab Hippocrate τράγοι cognominati ſunt. Ab Hirco dicuntur Hirquitalli, qui Hirci foetorem referunt: inde quoque verbum hirquitallire deſcendit, quod ſignificat hircum olere, præſertim ratione axillarum ut & pedum, quod vitium alias Caper nominari ſolet.

Hircus animal eſt Zelotypum, quod non patitur ut fœmina vel lædatur, vel cum alio coeat.

Hircus junior caſtratur quoque & tunc vocatur κατ᾽ ἐξοχὴν, CAPER, HIRCUS CASTRATUS, ein verſchnittener Bock / BOUC CHATRE.

Sus

CARO HIRCINA, τράγειον κρέας, Bockfleiſch / CHAIR DE BOUC, peſſima judicatur quoniam ob duritiem dyſpepta, ob foetorem & ſalacitatem κακόχυμος, ſtomachoque ingrata. Ajunt tamen Capros ſeu Hircos in juventa caſtratos mirum in modum pingueſcere & ad alimoniam non usque adeo malos eſſe.

PELLIS HIRCINA, τραγέη, τραγεῖη, eine Bocks-Hauth / Bocks-Fell / PEAU DE BOUC, ab Alutariis in veſtimentorum uſum adaptatur. Exinde parantur utres pro transportandis oleo, terebinthina, aliisque liquoribus &c. Ex pelle Hirci & Caprarum paratur id, quod Galli vocant Maroquin, Germani Carduan; habeturque duplex ruber, qui ex Oriente adfertur, & niger qui ex Barbaria obtinetur. Debet

bet utraque pellis elegans eſſe in colore tactu lævis & odoris non ingrati.

SEVUM HIRCINUM, Böcken=Unſchlitt / SUIF DE BOUC, uſitatiſſimum eſt, ut cum ETTMULLERO loquar, in dyſenteriis & teneſmo, ſi diſſolvatur ℥ß. aut ℥j. &c. in decocto vulnerario & pro clyſtere injiciatur, ubi tam conſolidativa quam anodyna vi confert: propter exulcerationes inteſtinorum purificat & conſolidat ad ʒß. ad ʒj. uſurpatur, nunc in aqua appropriata v. gr. florum acaciæ, nunc in vehiculo aceti non deſtillati: ſic probe tecto ægro ſudorem fortiter prolicit. Nunquam oleum admiſcendum alias nimis coagulatur. Quin & euporiſton inde contra ſtranguriam paratur, ſi recipiatur ſevum hircinum é candelis, hocque virga & umbilicus inungatur, ſtranguriam brevi ſedat, ſed hoc multos, ut modo dictus author dicit, ſpe ſua fruſtravit, ſi vero addatur oleum deſtillatum corticum aurantiorum magis juvabit.

SANGUIS HIRCI, Bocks=Blut / SANG DE BOUC. De hoc quidem jam dictum ſed libet hæc addere. Communiter colligitur ſanguis, dum hircus mactatur, exceptusque in loco calido inſpiſſatur & ad conſiſtentiam redigitur. Quem modum colligendi & præparandi cruorem reprobat omnino Helmontius, aliamque methodum, quam infinitis ornat præconiis, ejus in locum proponit. Scilicet hircum ſuſpendit cornibus alligatis tamen prius pedibus poſterioribus ad carnua, & teſticulos ejus reſecat, cruoremque inde manantem ad mortem usque excipit vaſe convenienti & exſiccat. Differre vero putat ſanguinem hunc non ſolum conſiſtentia, quæ friabilis magis eſt, ſed etiam colore, qui magis picei coloris deprehenditur.

Sunt qui volunt, ut Hircus prius nutriatur ruta muraria aliisque balſamicis. Ludovici jubet ut hic ſanguis ex-

ſiccêtur in Vaporis balneo citra combuſtionem. Præ aliis animalium ſanguinibus acidorum volatilium cenſetur deſtru-ctivus. Hinc experimentum eſt Helmontii contra pleuritidem & alias inflammationes, junctus imprimis cum dente Hippopotami, Apri, Cinnabarinis, in caſu ab alto vulneribus & contuſionibus: ſanguinem grumoſum diſſolvit & in aceto ſumptus potentiſſime urinam pellit, imo & egregium ſudoriferum atque hinc ſecundario diureticum eſt. Quidam eo contra calculum veſicæ ac renum utuntur. Debet autem hircus eſſe nutritus herbis lithontripticis. Sanguis Hirci deſtillatus dat ſpiritum & oleum, quod in podagra membris contractis & dolentibus prodeſt Sunt qui Adamantem non alia virumpi quam hircino ſanguine recenti & calido ſibi perſuadent: ſed fabula eſt.

AXUNGIA PORCINA.

Eſt pinguedo ſeu potius Adeps Suilli generis, præſertim porci ſive Verris caſtrati, ſaporis unctuoſi.

Quamdiu

Sus à Græco vocabulo σὺς, quod idem cum voce ὗς ſignificat, derivatum videtur. Sus vocatur juxta alios à ſubigendo, quod terram roſtro ſubigat propter cibum. PORCUS appellatur, quaſi ſpurcus, quoniam coeno ſe ingurgitat, luto immergit, limo illinit. Hinc à poëtis amica luto dicitur. Sus olim Θύτης dicebatur à verbo θύειν, quod eſt immolare. A ſuillo enim genere immolandi initium primum ſumptum videtur. In conjunctione nuptiali antiqui Reges & ſublimes viri, olim novus maritus & nova nupta primum porcum immolabant. Mulieres, maxime nutrices, naturam, qua fœminæ ſunt, in virginibus appellant porcam, & Græci χοῖρον, ſignificantes eſſe dignum in ſignum nuptiarum ſuillum pecus; donatum a natura dicunt ad epulandum. Itaque iis animam datam pro ſale, qui ſervaret carnem. Eſt autem Suis dictio generis communis & tum porcum, tum

porcam ſonat diciturque tam de domeſticis, quam de feris. Germanis nominatur ein Schwein/ eine Sau/ Gallis vero, un COCHON, un PORC.

Sus eſt brutum quadrupes, grunniens, laſcivum, immundum & vorax: Judæis hujus animalis immundi eſu fuit interdictum: ut caverent, quæ foris corpus intus animam inquinarent; ſobriique, non ut porci in crapula & Sagina viverent. Homini, ut SEBIZIUS diſſerit, non prodeſt niſi mactata; propterea avari ſuibus ſimiles dicuntur, quoniam nemini utiles ſunt ante obitum. Defuncti demum præbent, quod corraſerunt. Sus enim vorax & ſordidum animal poſt fata demum potiſſimum conducit, ſuppeditando lardum, carnem, viſcera. Confert etiam ad Medicinam. Setis quoque ſuis inſervit. Eſt ſus animal biſulcum. Quibusdam tamen in locis ſues viſuntur ungula ſolida. Eſt & πολύτοκον. Non pauca habet cum homine communia, quantum ad viſcerum ſtructuram. Gaudet carne humana. Viſum quippe nudos devoraſſe infantes. Vox ſuis grunnitus. Grunniunt currentes, ſtantes, ſedentes. Grunniunt cum cibum capiunt ac potum. Grunniunt cum blandiuntur ac lætantur. Grunniunt cum comprehenduntur & mactantur. Habent etiam vocem propriam ad initum & coitum venereum. Totum corpus illi hirtum. Os ei datum mediocriter reſciſſum. Lien ejus ſimilis eſt humano. Ventriculum unum non multiplicem habet ut ruminantia, ampliorem tamen. Rictum obtinet ad eruendas è terra radices aptiſſimum. Radicum enim eſt appetentiſſima, herbarum & frugum non item. Facillime ad quodvis aſſueſcit pabulum & prompte admodum pro corporis ſui magnitudine pingueſcit. Intra ſpatium vero ſexaginta dierum pingueſcit. Pinguior etiam redditur cum in luto ſe volutat. Paſcere gregatim pro ætate velle videtur. Extenuatur cum lactat. Veſcitur limacibus, devorat ſerpentes. Inexplebilis illi vorandi cupiditas, tantaque famis impatientia, ut ne cadaveribus quidem ſui generis, imo ne propriis quidem foetibus parcat. Sunt mari plures dentes quam fœminæ. Sus fœmina mammas gerit in ventre easque plures, ſed non omnes pares. Sus fœmina genitale ſuum ea parte continet, qua ovis ubera, & cum per libidinem turget, ac ad coitum prurit, ſurſum tantiſper illud retrahit vertitque foras, ut inde mari coitus fiat facilior. Maris teſtes exerti & penduli non ſunt, ſed hærent annexi

retro.

retro. In ſuillis oſſibus parum medullæ eſt, Gaudent ſues mutatione pabuli. Dimicant inter ſe mirum in modum, armantes ſeſe, & cutem, quam habent craſſiſſimam præparantes indurantesque attritu arborum ſæpe etiam luto obducto ac reſiccato, tergus invictum contra ictus efficiunt. Pugnant adeo acri certamine relicto grege, ut ſæpe numero mortem uterque adverſarius obeat: Eſt illud robur & ea animoſitas Sui, ut etiam lupo obſiſtat atque repugnet. Setis horret. Cum fœminæ ſues libidine ardent, quod καπρᾷν, καπριᾷν, ſubare vocatur, vel hominem aggrediuntur. Vivunt Sues utplurimum annos quindecim; aliquæ etiam fere viginti. Implentur uno coitu, ſæpius tamen, ut SEBIZIUS, ex quo hæc deſumpta, afferit, ſuperventum patiuntur, ea de cauſa, quod poſt coitum humorem, quem καπρίαν nonnulli nuncupant, emittant. Quod quidem commune eſt omnibus. Sed aliquæ una cum hoc etiam admiſſum ſemen ejiciunt. Ferunt uterum menſes quatuor. Numerus partus ad vicenos quandoque exſurgit. Si tamen multos pepererint educare omnes nequeunt. Seneſcentes etiam pariunt quidem modo ſimili, ſed coeunt tardius. Cum ſcropha peperit, primam mam̃am porcello, qui primus in lucem prodiit præbet. Cavendum ne prima ſubatione, ante aures flaccidas coitus fiat. Fruſtra enim fuerit. At ſi plena jam aviditate ac deſiderio libidinis turgido admiſſura fiat, unus initus ſufficit. Prodeſt apro coeunti apponere hordeum. Hoc ipſum etiam Scrophæ foetæ conducit ſed elixum: Sunt è ſcrofis aliæ ſtatim prolis laudabilis fœcundæ, aliæ melius generant ubi creverint. Apro ad triennium coeundi probitas èdurat. Vetuſtioribus proles gignitur deterior. Nullus enim amplius profectus illi accedit; nulla virium recreatio. Solet inire pabulo ſatiatus. Et cum alteram non ſubegerit, vel initus agitur brevior, fœtus corpore minore naſcitur. Sus pauciſſimos edit partione prima, ſecunda viget. Seneſcens copia non deficitur, quanquam coeat lentius. Ubi vero annum 15. nacta eſt, non generat amplius, ſed efferatur. Pinguet ocyus & juvenis & ſeneſcens ad coitum movetur. Si gravida admodum pingueſcat, efficitur, ut fœta minus lactis habeat. Proles, quoad ad ætatem attinet, optima eſt, cum parentes vigent. Quod ad anni tempora, præſtantior eſt, quæ hyemis initio generatur, deterrima, quæ æſtate, parva enim exilis & perhumida exiſtit. Mas, ſi pinguet, omnibus anni temporibus inire poteſt, nec

ſolum interdiu, verum & noctu aut certe matutino potiſſimum tempore. Seneſcens autem minus ſubinde agit. Sæpe, qui vel per ætatem vel per infirmitatem ſuæ naturæ expedite coire nequeunt, cum fœmina impotens ſuſtinendi Maris feſſa clunes demittat, cubantes una cum fœmina coeunt. Concipit præcipue Sus cum præ libidine geſtiente pruriens auriculas flaccidas demittit. Alias ſemen ab utero reſpuitur relapſumque evaneſcit. Nullo unquam tempore coitum aſpernatur. Sues tum mares tum fœminæ coire incipiunt menſe ætatis octavo. Mas tamen antequam ſit aniculus prolem gignit vitioſam. Fœmina parit anicula. Aliquando Apri menſe decimo inire incipiunt. Valent coitu ad triennium. Sues variis morborum generibus laborant, raucedine, angina, ſtruma, febribus, grandine. Grandines ſunt grana alba & rotunda, magnitudine lentis, hinc inde grandinis glacialis inſtar diſperſa, quæ dolorem afferunt, ſi tangantur. Cognoſcitur hic morbus parte linguæ inferiore ubi plerumque multa infeſtatur. Setæ in dorſo evulſæ ſanguinolentæ in radice. Pedibus poſterioribus non conſtant. Caput obliquum in inceſſu. Curantur ſemine Sinapios, Cicere, Lentibus, Scrofularia &c.

PORCUS NON CASTRATUS manſuetus vocatur VERRES, ὁ μὴ ἐκτετμημένος χοῖρος, Ein Eber/ ungeſchnittener Ever Eligitur corporis amplitudine eximii quadrati potius quam rotundi aut longi, ventre promiſſo, clunibus vaſtis: cruribus vero & ungulis haud perinde proceris, roſtro brevi & reſupino, amplæ & glanduloſæ cervicis, ſalaciſſimus trimatum agens. Unus ſufficit pluribus implendis. Caro cibis inutilis à pauperibus & bajulis in cibum recipitur. Jecur Verrinum contra ſerpentes auxiliatur. Teſticuli inveterati in lacte contra Comitialem dantur. Dentium exertorum cinis ſanguinem & procidentem ſedem retinet.

SUS FOEMINA vocatur Δέλφαξ, quæ uterum habet, & σκρόφα, SCROFA; id eſt PORCA, quæ ſæpe peperit, ein Mutter-Schwein/ ein Mor/ einFör Mutter/ ein Rantze/ ein Looß. TRUYE. Ejus venter infra umbilicum vocatur Sumen, quaſi ſuis abdomen. Lac ſuillum nocet ventriculo, nauſeam excitat, pravum gignit ſuccum & Elephantiaſin, in teneſmo & dyſenteria dicitur utile. Caro difficilis eſt concoctionis pravi ſucci & malum gignit ſanguinem, utpote macilenta, dura & inſipida. Melancholiam & quartanam facile procreat.

VERRES

VERRES quoque caſtratur, & tum dicitur VERRES CASTRATUS, PORCUS, PORCUS NEFRENDIS, χοῖρος, γρύλλος, MAJALIS, ein verſchnittener Eber / ein Baroch/ ein Borck. PORC. Non refert qua ætate caſtrentur, commodiſſime tamen anniculi, iique majales.

PORCUS SAGINATUS dicitur δέλφαξ σιτευτός, ein Maſt-Schwein/ ein Muhl-Schwein.

Hinc

Quamdiu Sus vivit, omnes offendit torvo aſpectu fœtore & grunnitu. Cum mactatur ſuum habent uſum, carnes, farcimina, pellis, ſetæ &c.

CARO PORCINA, CARO SUILLA, ὕειον κρέας, Schweinen Fleiſch/ CHAIR DE PORC, videtur eſſe temperata, humidior bubula præſertim porci domeſtici, quia animal eſt deſidioſum humidiorique cibo deditum. Montanæ ſues ſicciores videntur, tum ratione aëris, in quo degunt, ſiccioris, tum etiam ratione victus, qui & ipſe ſiccior. Hippocrates ſuillam carnem optimam judicat omnium, ſi nimirum neque valde ſit pinguis, neque admodum macra. Præterea ſi ætatis mediæ, non annoſa. Hæc enim dura eſt & concoctu difficilis. Nos, inquit SEBIZIUS, pabuli addimus bonitatem: v. gr. glandes quercinas & fagineas, fabas ſuillas appellatas, furfures, farinam, rapa &c. Addimus & loturam & haræ expurgationem frequentem. Nam ſi non ſolum probe alantur, verum etiam ſæpius laventur, & ſuile, quantum in educatione ſordidorum iſtorum animalium licet, diligenter & quotidie mundificetur, carne ſuillæ & ſalubriores & ſuaviores evadunt. GALENUS, adeo hanc carnem extollit laudibus; ut illam Carni humanæ ſimlem aſſerat; quoniam quidam humanas carnes, ab improbis hoſpitibus appoſitas, pro ſuillis, ſine ulla in guſtu vel olfactu ſuſpicione comederunt. Si probe fuerit digeſta potentiſſime nutrit, nutrimen-

mentum præbere dicitur firmum & durabile, quod diſſipari facile nequit. HIPPOCRATES ſuillam aſſam ob ſingularem nutriendi vim, iis offerendam cenſet, quorum corpus multis laboribus concidit & extenuatum eſt. Commoda eſt illis, qui laborant & exercitantur. Debilibus autem, otioſis & intra privatos ſeſe parietes ſemper continentibus fortiorem judicat Hippocrates, quam ut confici perfecte queat. Cum glutinoſi aliquid in ſe habeat jecur obſtruit & renes. Senibus & humidiore ventriculo minus ſalubris. Prava eſt cum fuerit crudior aut ambuſta. Bilem enim aut choleram procreat & turbationem facit. In regimine SCHOLÆ SALERNITANÆ ita canitur

Eſt Porcina Caro ſine Vino pejor Ovina,
Si tribuas vinum fuerit cibus & Medicina.

Caro Porcina ſale maceratur ad dies decem, deinde in carnario, quo fumus penetret, ſuſpendunt, ne fraceſcat & vitium ſapiat neve a tinea & vermibus lædatur tandem ad integrum annum & ultra reponitur. Hinc SUCCIDIÆ, vel a ſuccidendo, vel a cædendis ſuibus appellatæ, Schweinene Seiten / Terga ſunt porcorum, quæ ſalita in carnario ſuſpenduntur ad uſus neceſſarios. Coſtes de Lard. Hinc PERNÆ forte à pedibus aut à græco vocabulo πτέρνα derivatæ, quas aliqui anteriores ſuum pedes eſſe arbitrantur, die vorderſten Hammen / quanquam etiam ſignificent poſteriores. Perna enim pedem apud Veteres ſonabat. Hinc PETASONES, quoniam lati, ut galeri & umbellæ: inter quos ratione magnitudinis, teneritatis, ſuavitatis & coloris primas facile illi tenent, quibus non tantum Saxones Weſtphali & Batavi, ſed & aliæ nationes veſcuntur. Schuncken / JAMBONS. Equidem præferuntur, qui ex WESTPHALIA trahuntur,

Weſtphäliſche Schuncken. JAMBONS DE WESTPHALIE, JAMBONS de MAYENCE; quibus tamen non inferiores ſunt in Gallia les JAMBONS DE BAYONNE. Apponuntur tum menſa prima ad excitandam appetentiam, tum menſa ſecunda, ad conciliandum bibendi deſiderium. Difficilioris alias concoctionis, quam ſuilla caro recens & ad calculi generationem habiles.

Roſtrum, pedes, aures, cartilagines ſuccum gignunt craſſum, viſcoſum & frigidum, probe nutriunt. Ex his aceto elixis Coqui præparant cum aromatibus gelu, ut vocant, ſive gelatinam, quod congelatum frigide editur. Variis modis tinguntur ejusmodi gelatinæ, Schweins-Gallereyen/ GELEE DE PORC, FROMAGE DE PORC. Partes porro prædictæ in fruſta diſciſſæ coquuntur in juſculis cum farina ſinapi & gratum præbent edulium.

VISCERA SUILLA omnia cæterorum quadrupedum viſceribus, ſua natura ſunt multo ſuaviora: ſecundum illud:

Ilia Porcorum bona ſunt, mala ſunt reliquorum.

SAN-

Hinc & FARCIMINUM genera varia, quæ nil ſunt aliud, quam portiones inteſtinorum, conciſa carne, minutim diſſectis lardo, ſanguine lacte ſimilive farctura repletæ. Ex illorum numero præ cæteris celebratur LUCANICA MARTIA ſive BOTULUS, ein Brat-Wurſt / SAUSISSE, fit ex fruſtulis carnis macræ & lardo conciſæ cum ſale pipere ſemine carvi, & aliis aromatibus. Aſſatur aut etiam decoquitur.

Lucanicæ dicuntur quoniam ab antiquis Lucanis creduntur eſſe inventæ, ita de illis MARTIALIS canit

Filia Picena venio Lucanica porcæ,
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

TOMA-

TOMACULUM, Leberwurſt/ ex hepate, corde, renibus & lardo concisis absque ſanguine paratur adjectis aromatibus.

APEXABO ſeu inteſtinum colon ſanguine arvina & lacte fartum, Blutwurſt/ BOUDIN, arvina autem eſt pinguedo ſubcutanea, quam Schmer/ Schmaltz-Feiſte & Speck appellant Sunt qui admiſcent ſimilam lacte præmaceratam, cerebrum Porci, cum variis aromatibus, majorano, roſmarino Pipere &c. Ex qua mixtura Ventriculus fartus FALISCUS vocatur ein Schwartenmagen. Paratur quoque farciminis genus a Gallis ab inteſtinis bene depuratis invicem fartis atque complicatis, ANDOUILLE. Commune porro eſt farciminis genus, quod Knackwurſt nominant, forſan a ſono quem fractum edit. Salſum eſt fumoque exſiccatum. Comeditur & crudum & coctum. Sunt autem hæc farcimina, docente SEBIZIO, omnia ſucci craſſi, concoctuque difficilia, & proin ventriculum validis inſtructum viribus requirunt. Delicatis, debilibus, ægrotis, ſenibus, otioſis & ſedentariis hominibus fugienda. Viſcera enim oppilant caput gravant; alvum ſtipant: calculo anſam præbent.

Vocatur

SANGVIS SVILLVS, uti dictum, propter ſimilitudinem cum temperamento humano, inteſtinis immitti ſolet ad cibum.

PVLMO SVILLVS impoſitus, attritus à calceamentis contractos ab inflammatione tuetur.

JECVR aſſum alvum ſiſtit. Cum vino venenatorum morſibus medetur.

VESICA SVILLA diſtenta optime conſervatur ad clyſteres, item ad fotus anodynos. Toſta pulveriſata lectum permingentibus puerulis utilis.

FEL contra aurium ulcera prodeſt

PELLIS SVILLA, Φορίνη, Schwein-Leder / PEAU DE COCHON, à Bibliopegis ad librorum operimenta expetitur, utpote firmior & multo diuturnior, quam ovilla aut vitulina, non enim tam facile deteritur. Cutis præpinguium Porcorum elixa glutinoſum quidem pinguemque ſuccum

ſuppe-

ſuppeditat, ſed coctionem non tam facile admittit, quam externæ partes neque ſuccum præſtat tam bonum, ſed qui excrementis magis abundat.

SETÆ SUILLÆ, Sau-Bürſten / SOYE DE PORC, rigidæ & duræ, tangentem vero non lædentes, inſerviunt ad paranda muſcaria, ut SCHWENCKFELDT loquitur, ſetacea, ſeu ſcopulas ſetaceas, ad veſtes extergendas, aliaque.

ASTRAGALUS ſeu TALUS SUIS uſtus cephalalgiam diſſolvere fertur. Coli inflammationibus & torminibus ventris tritus medetur & potus.

SUCCERDA ſeu FIMUS SUILLUS Schweins-Koth / FIENTE DE PORC ou COCHON, tum ſiccus tum præſertim recens naribus admotus ſanguinem profluentem cohibet. Impoſitus & poſt tertium diem ſublatus efficaciter verrucas & clavos aufert. Ex aceto coctus ad venenatorum morſus laudatur. Sunt qui ad ſtercorandos agros & hortos oleraceos ſuillum fimum præferunt. De hoc ſtercore in hæmorrhagiis ſiſtendis ita diſſerit ETTMULLERUS. Omnia ſtercora ſuperantur a ſtercore ſeu fimo porcino, quod in omnibus hæmorrhagiis, in ſpecie narium, reliqua ſtercora longo intervallo poſt ſe relinquit; ſive ex ſtercore recenti exprimatur ſuccus & propinetur interne, aut applicetur fronti ac naribus externe, ſive ex hoc ſucco miſcendo cum vino atque ſaccharo fiat ſyrupus interne aſſumendus, ſive ſtercus aridum naribus injiciatur, aut cum aqua appropriata vel ſucco plantaginis teratur & ſubigatur, pro uſu interno & externo: ſive ſtercus recens adhuc calidum circumligetur fronti ac temporibus, vel etiam naribus tantum adhibeatur, aut fiat ſuffitus naribus excipiendus, vel etiam ſiccum inſtar turundæ naribus immittatur: quocumque uſu mirabilia præſtare fertur ſtercus porcinum.

VULVA laudatur contra incontinentiam urinæ quamcunque diurnam & nocturnam, ſiccetur, pulveriſetur, & exinde farcimen paretur, vel calcinata in forma pulveris propinetur. Sunt qui ad partum facilitandum ſuadent.

MATRIX ſive UTERUS PORCÆ ad ʒß. in pulvere exhibitus ſingulare dicitur eſſe remedium in epilepſia.

LARDUM a Laribus dictum, quod in domo repoſitum conſervetur: Laridum quaſi Larem aridum, large aridum aut quaſi Laris edulium, χοιρεία σάρξ, Speck / LARD. Eſt pingue quod inter cutim & carnem aridum eſt. Comeditur vel per ſe, ſed bene ſalitum, & ſuſpenſum è trabibus ferreis, ut incorruptum maneat; vel aliis additum ferculis, maxime aſſis, quæ vel fruſtulis illius oblongis denſe configuntur, vel fruſtulis latioribus obteguntur, ut pinguiora ſucculentioraque evadant. Non ingratum quidem eſt Lardum recens, ventriculi tamen tonum diſſolvit, largius eſitatum, & nauſeam parit, illud cum primis, quod rancidum. Vetuſtate corruptum & ſapore valde ingratum eſt: Germani garſtigen / rantzenden Speck nominant. Lardum pro uſu quoque medico inſervit. Si enim accenſum inſtilletur vino albo veteri, convenit ad dolores hæmorrhoidum cæcarum. Lardum vetuſtum liquatum & colatum detergit & conſolidat vulnera & ulcera conducitque ad puſtulas variolarum.

Lardum emollit & reſolvit. Hoc lardum arefactum quidam loco unguenti armarii aut ſympathetici adhibent. In lardo enim vis quædam magnetica reſidere dicitur, ratione cujus lardum commendatur in curandis vulneribus vel potius verrucis. Dicunt enim juxta ETTMULLERUM, ſi imponatur Lardum vel potius corium Lardi, die Speck-Schwart / verrucis, ut incaleſcat, & poſtmodum ſuſpendatur in camino furni, vel in fimo equino ſepeliatur, fieri ut ſicut

ſicut exſiccatur in fumo, vel putreſcit in fimo Lardum, ita exſiccetur & putreſcat verruca, ſicque abſumatur. In odontalgia quoque recipiunt fruſtulum Ligni acutum, fricant eo dentem dolentem ſeu gingivas, poſt vero Lardo infigunt, ſic brevi poſt evaneſcit dolor. Eodem modo feſtuca ligni præſertim minor aut ſpina ex partibus corporis extracta infigitur Lardo, ut pars læſa non intumeſcat & citius conſolidetur. In angina cum inflammatione linguæ, quando lingua eſt arida, combuſta & exſucca, conducit Lardum. Nempe fruſtum Lardi & imprimis corium Lardi admotum Linguæ & ad tempus relictum linguæ impoſitum, efficit ut durities linguæ emolliatur, ut inſtar corii detrahi poſſit materia exſiccata.

ADEPS ſeu AXUNGIA PORCINA, Schweinen-Schmaltz / AXONGE DE PORC, GRAISSE ou PANNE de PORC. Omnium axungiarum communiſſima, & adeps κατ' ἐξοχὴν vocatur: temperata eſt, ut rurſus ETTMULLERI verbis utamur, & valde convenit in emolliendis tumoribus & leniendis doloribus ex excandeſcentia & inflammatione obortis, cataplasmatibus admixtum: imprimis in angina tumorem maturat ſeu emollit, quia ſalium efferveſcentiam temperat. Pinguedo porci bulliens guttatim ſuper lauri foliis projecta, & hoc oleo ambuſtus locus inunctus, ille intra tres dies curabitur quaſi quodam incantamento, licet pars amburſta maxime & quovis modo ambuſta fuerit. Porro contra tuſſim nimiam & vehementem inveteratam, ac imprimis nocturno tempore ingruentem commendant. Sunt qui ſola Axungia Verris vice ſympathetici unguenti utuntur. Recipiunt nempe inſtrumentum, quo inflictum fuit vulnus, iſtud immittunt cruentum adhuc in pinguedinem porcinam & ita ægrum in diſtans curari ajunt, ceu ab unguento armario. Digerit porro & abſtergit. Sincera membris confricatis prodeſt, iti

itinerumque laſſitudines & fatigationes levat, contra vulvæ & ſedis vitia idonea. Ambuſtis igne medetur. Cum terræ lumbricis nervis vulneratis prodeſt, conducit cum cerefolio in ſtrumis. In luxationibus, tumoribus mammarum cum calce uſurpatur. Cum radice Borraginis decocta conducit in vulneribus & ulceribus inſanabilibus, Multa ingreditur unguenta & emplaſtra, uſurpatur ad capillos conſervandos, unde decantatum unguentum pomatum. Axungia vetus acrior & calidior eſt. Liquamen Schmeer / Schmaltz ex adipe abdominis Suilli adhuc recentis colligitur, quo butyri loco ad cibos feminæ utuntur.

Reſtat ut de fœtu Suis adhuc mentionem faciamus.

Vocatur autem ὗς γαλαθηνός, Δελφάκιον, χοῖρος, χοίριον, χοιρίδιον, PORCULUS ſive PORCELLUS LACTENS, PORCELLUS SUBRUMIS, Spanferckel / Spanfährle / Ferlin / PORCELET, COCHON DE LAIT.

Porcellus nuper genitus ob nimiam humoris abundantiam inſalubris eſt, lentum viſcoſum & craſſum humorem procreans ſuccum. Eliguntur, qui plures jam ſeptimanas habent, rejiciuntur, qui paſſim obambulant & omnis generis ſordibus veſcuntur; Purgantur à coquis, interaneis exemptis farciuntur viſceribus minutim inciſis & aromatibus & ad ignem aſſantur toti. Sic enim etiam opiparis menſis apponuntur.

IN

CARO magis excrementoſa quam porcorum, quia humidior. Minus autem nutrit. Pellis igne retorrida gratiſſimum quidem eſt guloſorum palato ferculum, verum neque ſucci bonitatem habet, neque facile digeritur & choleram parit, propter acrimoniam quam aſſatione acquiſivit.

Curioſum eſt, quod glandula lachrymalis porcelli ſi bene maſticetur, moſchi odorem imprimat.

PORCELLI SANGUINEM tanquam egregium me-

medicamentum contra Phthiſin commendant, ſed monente HOFFMANNO ſpiritus ejus vivificus, cum virtute nativa & ſpecifica per deſtillationem ſtatim ab initio ex recenti adhuc calente ſanguine per MB. factam colligendus, aut in liquorem & ſal volatile transferendus eſt, alias per ſe nihil præſtabit.

℞. Porcellum ſatis pinguem, quem mactatum à ſetis purga & exentera, pinguedine ab inteſtinis & viſceribus ſtudioſe detracta, ut iterum cum aliis ſequentibus ſpeciebus mixta ventri porcelli eviſcerato injici poſſit. Huic ventri, jam inteſtinis abjectis immitte Cor, Hepar & Pulmones ejus cum adipe ab inteſtinis ſeparata, item rad. ſymphyt. major. rec. qu. v. herbæ ſcabioſ. Tuſſil. Heder. terreſtr. Chereſ. ana cancror. fluviat. q. s. His omnibus minutiſſime incisis & ventri porcelli immiſſis, conſuatur venter arctiſſime, poſtea in veru igne moderato aſſetur, ſuppoſita pro pinguedine excipienda ſartagine, tamdiu, donec omnis humiditas & pinguedo extillarit, quam pinguedinem ab humiditate ſepara, ſerva pro uſu ad fercula condienda Phthiſi laborantibus. Sumant hujus pinguedinis ægri ſingulo mane cochlear. j. in juſculo.

℞. Axung. porcin. q. s. miſceatur cum Allii capit. No. iij. contund. optime ut acquiratur linimenti & unguenti forma. Tali unguento veſperi ante lecti ingreſſum prope ignem plantæ pedum & aliquantulum ſpina dorſi inungantur, per tres dies continuetur, & ita tuſſim vehementiſſimam curari aſſerunt, ſive noctu, ſive veſperi affligentem.

℞. Stercor. porcin. exſiccat. ℥iij. pulv. roſar. ʒß. pro corrigendo fœtore. Hos pulveres miſce cum ſucco plantaginis, intinge bombacem & naribus immitte. Melius eſt, ſi loco ſucci plantaginis miſceatur cum ſucco Urticæ.

℞. Sangu. porcelli domeſt. ſemeſtris quantum ſimul fundit,

dit, Pulmon. Vitul. rec. No. ij. Hepat. ejuſdem rec. No. j. Cochlear. eſcul. No. xx. Rad. Tuſſil. Irid. florent. Enul. camp. ana ℥ij. Herb. rec. Cochlear. Bellid. min. cum toto Marrub. alb. ana man. ij. Veron. Lichen. petr. ana m. j. Inc. contuſ. affunde aqu. Hyſſop. Salv. Heder. terreſt. Veron. ana ℔ij. Flor. Acac. Scabioſ. ana ℔j. ſtent. per 24. horas in digeſtione in cucurbita vitrea, poſtea ex eadem Cucurbita in M. B. deſtilla; non autem ex Cucurbita Cuprea. Eſt aqua antihectica ZWINGERI. Ejusmodi aquas antihecticas ex porcellis junioribus, carne porcina, aliisque partibus ex animalibus depromptis, plane rejicit ETTMULLERUS & nil valere aſſerit. Sed mitius judicandum eſſe experientia ſuadet, quamvis non negetur decocta melius ſeſe habere.

IN OFFICINIS PROSTANT.

Varia unguenta, *Unguentum Roſatum*, *Unguentum Pomatum*, de quibus ſuo loco actum.

OESYPUS.

Eſt ſuccidarum lanarum Ovillarum pinguedo, reiterata maceratione in aqua calida elicita, coloris candidi, ſaporis leviter adſtringentis.

Cum non tantum ex ovibus & agnis, ſed & ex arietibus colligantur lanæ Oeſypum ſuppeditantes, ideo de omnibus erit hic agendum.

CARO

ARIES, ab impetu feriendi ſubinde repetito, vel ab Ara, quod aris imponi ad ſacrificium ſoleret, forſan dicitur. ARIES CORNIGER, OVIS MAS. Græcis χϱειὸς audit, forſan ἀπὸ τῦ κέρατος, quod cornibus maxime valeat. Germani, Wieder/ Wider/ Hoden-Wieder/ Leit-Hammel vocant, Galli BELIER.

Eſt

Eſt in pecore ovillo mas integer, gregis dux, conſtitutus & ad procreandam ſobolem ſervatus. Eſt, definiente SEBIZIO animal biſulcum, cornutum, ruminans, blaterans, ſevum non pinguedinem, ut ruminantia alia, quæ cornuta, habens.

Arietis boni, qui ovillo gregi præficiendus ſunt notæ ſequentes. Si Aries fortibus & bonis parentibus creatus, frontem habeat latam & bene tectam: cornua intorta & ad roſtrum ſpectantia, ravos oculos eosque lana opertos, aures amplas, pectus, ſcapulas, clunesque latas; teſtes magnos, caudam longam latamque: vellus candidum. Ad id quoque reſpiciunt, an in ore palato & lingua, nigricantes, rubicundas aut alias maculas habeat. Si enim in Ariete palato atque lingua non concolor eſt, ſed hæ corporis partes nigræ aut maculoſæ ſunt, pulla etiam vel varia naſcitur proles, idque inter cætera talibus numeris ſignificat VIRGILIUS:

Illum autem (quamvis Aries ſit candidus ipſe)
Nigra ſubeſt udo tantum cui Lingua palato,
Rejice, ne maculis infuſcet vellera pullis
Naſcentum.

Sunt qui dicunt ſingulis ovilibus ſingulos eſſe conſtituendos duces, qui quoties ſuo nomine a Paſtore vocantur, antecedunt, quod ab ineunte ætate facere adſueſcunt. Ad quindenos annos interdum vitam protrahunt. Ad coitum commodiſſima ætas a ſecundo anno usque ad octavum. Ineunt Arietes primum fœminas vetuſtiores. Novellas enim minus inſequuntur. Tempore Veneris pugnant. Nam qui ſuperiore tempore ſocii jugi concordia paſcebantur, coitus tempore diſſident, & alter alterum libidinis rabie invadit. Dimicant inter ſe cornibus, quæ extollentes vibrantesque feriunt adverſarium. Pro 60. ovibus ſufficit unus Aries, ubi plures oves, ibi plures etiam requiruntur arietes.

Dantur etiam Arietes non cornuti ſed rariores ſunt & pejores habentur.

Blaterat hinc Aries & pia balat Ovis.

CARO ARIETIS minus quidem humoris & lentoris obtinet quam Ovilla, verum durior deterior & concoctu difficilior eſt. Probum alimentum non gignit id quod ex foedo odore, viroſoque ſapore hircum olente conjici poteſt. Quod ſi tamen uſurpanda Caro Arietina, præſtat junioris ſeu anniculi, utpote moderatæ temperiei, ſuavior concoctu facilior & melioris ſucci. Improbatur in ſenecta.

SEBUM ambuſtis medetur, ſcabiem Cicatrices replet. PULMO Arietis recens calidus capiti phreneticorum utiliter imponitur; Livores, ſugillationes & nigras cicatrices emendat & a calceamentis læſos ſeu attritos pedes minutim conciſus & impoſitus ſanat. FEL cum ſebo podagris illinitur. PELLIS recens detracta, ſugillata delet impoſita. Sectine ex CORNU ARIETINO caput pexum a proprietate ad capitis dolorem valere maxime in cauſa frigida Author eſt Guainerius.

CAPUT ARIETIS laudatur ad mentis alienationem, nempe caput Arietis nigri nondum Venerem experti, unico ictu amputatum, cornibus tantum demptis integrum cum pelle & lana elixabis, tum aperto eo Cerebrum eximes addendo Cinamomi optimi, Zingiberis, Nucis moſchatæ, caryophyll. macis ana ℥ß Commiſce ſubtiliſſimum in pollinem redacta cum cerebro in patella ad prunam non magnam diligenter agitando ne aduratur. De hoc per triduum aegro quotidie jejuno dabis cum pane vel in ovo, vel ex jure utcunque, modo devoretur ab ægro, duabus ante prandium horis. Servetur loco obſcuro non lucido. Diæta ſit conveniens.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Emplaſtrum è pelle Arietina, anhaltend Pflaſter/ *Emplaſtre de Peau de Belier*. Inſervit præſertim ad rupturas.

Arietes frequenter caſtrantur ut & pinguiores & ſapidiores evadant.

Vocatur MAS OVIUM CASTRATUS, VERVEX, ab univerſis & ademptis teſtibus, vel a viribus, quia ovibus fortior, vel quod ſit vir h. e. Mas, vel quod natura ſit verſa, vel quod vermem in capite habeat. Latini quoque SECTARIUM vocant, quod Dux cæteris præeat agnis. Græce vocatur κριὸς ἐκτετμημένος, ein Hammel / verſchnitter Wieder / ein Scheps / Gallis audit MOUTON.

Ab

CARO VERVECINA, Hammelfleiſch / Schepſenfleiſch / VIANDE DE MOUTON, validior & minus humida eſt quam Caro Ovilla, optima, quæ ex Vervecibus anniculis aut bimulis mediocriter pinguibus, puro in aëre & paſcuis bonæ notæ enutritis provenit. Nam qui Verveces humidis aluntur paſcuis nullo in pretio habentur. Neque enim vel odore vel ſapore placent. Poſteriora primas tenent. Antequam aſſentur ligneis cæduntur malleis ut tenereſcant. Configuntur a quibusdam nucleis allii, ab aliis ſalvia vel roremarino. Bene alunt, facile concoquuntur & laudabilem generant ſanguinem. Carnes Vervecinæ etiam elixantur, & pluribus præparantur modis, quovis tempore omni ætati & complexioni accomodatæ. Virtute roborante gaudet hæc caro unde & in alvi fluxibus conceditur. Sevum & pinguedo quoque vervecina pro eodem ſcopo uſurpatur. Succus è carne Vervecina, inter aſſandum continuo cultro puncta, extillans, & hinc remota pinguedine, ad conſiſtentiam gelatinæ redacta, juſculum præbet conſummatum egregium & admodum gratum ſanis & ægrotis. Inſeſſus ex capite pedibus, inteſtinis aqua fluviatili ſufficienter decoctis, quoad carnes diſcedant, paratur tabidis & emaciatis conveniens ſæpius facto experimento.

OVIS

Sequitur nunc.

CARO

Ab oblatione nacta eſt appellationem. nam apud Veteres ab initio non Tauri, ſed Oves in ſacrificiis mactabantur. Græcis audit Ὀῖς, πρόβατον. Dicitur quoque Plinio PECUS, Germanis ein Schaaff/ Gallis BREBIS.

Oves ſunt, juxta SEBIZIUM, animalia biſulca, ruminantia, domeſtica, balantia, ſevum non pinguedinem adipemve habentia: homini mire utilia; adeo ut nihil fere ſit in ovibus, quod non ſingulare commodum & emolumentum illi præbeat. Lanam enim, quæ bis in anno detondetur, ſuppeditant Lanariis carminariis & pannificibus ad texturam pannorum, quibus veſtimur: vellera pellionibus ad confectionem veſtium pellicearum, quæ muliebri potiſſimum ſexui, quovis anni tempore inſerviunt in Germania, & locis Septentrionalibus, virili quandoque ſexui hyeme: carnes ad victum: Lac ſimiliter ex quo Caſeus præcipue formatur: ſevum ad fingendas candelas; inteſtina ad muſicalium organorum chordas concinnandas; fimum ad ſtercorandos agros & ſic deinceps.

Oves ſunt animalia meticuloſa atque inermia & niſi vigilantia paſtorum canumque fidelitate atque cuſtodia præſervarentur, à Lupis aliiſque beſtiis dilaniarentur. Opus igitur vel imprimis illis eſt Paſtore; quia neque vires habent, quibus ſe defendant, neque arma quibus reſiſtant, neque velocitatem ut fugere poſſint; neque calliditatem, qua ſe abſcondant. ARISTOTELES ſcribit, Ovile genus amens eſſe ſtultum atque ineptum. Repere enim in deſerta ſine cauſa: egredi ſæpe ſtabulo hyeme obſtante: occupatum a nive, niſi Paſtor compulerit minime abire ſed perire deſiſtens niſi mares a Paſtore ducantur; ſic enim ſequi gregem reliquum.

Paſcua Ovillo generi utilia ſunt, tenuia, altiora, arida, quæ vel in novalibus, vel in pratis ſiccioribus excitantur faciuntque lanam meliorem. Ubera & humida loca, noxia ſunt, ſylveſtria damnoſa Sanis. Herbas radicitus carpunt & arboribus plurimiſque plantis exitiales ſunt. Hyeme paſcuntur hordeo, foeno, ſtramine Avenæ, Piſorum. Querçus, item Ulmi, Betulæ, Fagi, Fraxini frondibus

repoſitis.

repoſitis. Pingues fiunt potiſſimum ex potu : quamobrem , ut SCHWENCKFELDT ait, æſtate ad pabuli condimentum canalibus ligneis (in den Saltz lecken) ſal cineribus permixtum in meridie, quinto quoque die, Opiliones præbent, ut ſitibundæ plus aquæ hauriant; Sic enim pecus incolume & pinguius redditur.

Vita ovibus eſt ad decem complurimos annos, ſed magna ex parte pauciores.

Oves coëunt anniculæ uterumque ferunt. Coëunt fere per totam vitam tam fœminæ quam mares. Implentur terno quaternove coitu. Quod ſi a coitu imber acceſſerit, abortum inferre dicitur. Pariunt maxima ex parte ſingulos, aliquando tamen & binos & ternos & quaternos. Bis pariunt locis nonnullis, quibus cœli clementia & pabuli copia eſt. Primiparis fœtus ſunt minores ; Coitus omnibus ad Arcturi occaſum h. e. tertio Idus Majas ad occaſum Aquilæ, h. e. x. Calend Aug. Gerunt partum diebus 15. ſeu menſibus quinque. Mares aut fœminæ generantur vi tum aquarum tum admiſſariorum: Flatu Aquilonis mares potius concipiuntur; Auſtri fœminæ , ſi ARISTOTELI & PLINIO credere fas eſt. Vis tanta juxta hos Authores eſt Aquilonis, ut vel eas, quæ non niſi fœminas pariunt, ad maſculæ prolis generationem immutent. Spectare ad Aquilonem oportet cum fœminæ coeunt. Non ſolum autem ante coitum, ſed etiam a coitu ſaliendum eſt, atque etiam tempore verno. Candidi nigrive eduntur foetus, ſi ſub lingua Arietis, ut ſupra jam dictum, venæ nigræ aut candidæ habentur. Nam cujus coloris venæ ſunt, ejusdem & vellus eſſe dicitur. Varii etiam coloris vellus eſt, ſi venæ illis variis tinctæ fuerint coloribus. Ex ſacris literis notum eſt artificium Patriarchæ Jacobi, ut oves pariant pullos nunc uniformes nunc maculatos & variegatos: ſi oves gravidæ glandem copioſius ingeſſerint, abortiunt. Ovibus menſtrua fluunt coëundi tempore. Fluunt & poſt coitum ad tempus. Deinde fluere ceſſant donec pariant. A partu ſequitur purgatio abunde, initio quidem leviter & quidem cruenta, poſtea copioſe: Lac illis diu durat, ſi non coeant, nec deſtituantur pabulo. Octo namque menſibus mulgentur. Habent Oves inter femina bina ubera totidemque papillas. Pro miraculo haberi poſſet, (verba ſunt SEBIZIANA,) quod inter 400. aut plures oves agni matres & matres agnos, quælibet ſuos agnoſcant ; nec balare deſinant, donec

quævis ſuum nacta ſit agniculum. Propria ovibus affectio eſt BALATUS. BALARE enim propria vox eſt. Balare oves Poeta ſic exprimit

Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri

& alibi

Quæſitus matri multis balatibus agnus.

Pro balare veteres etiam dixere belare a bee, quam vocem clamore ſuo exprimere videntur ut habet SPERLINGIUS, qui porro de affectionibus Ovis ita ſermocinatur. Moderata videntur omnia. Patiens & contenta eſt Ovis paucis. Neque pugnax eſt, cum natura inerme ſit animal. Non valet unguibus, non dentibus, non calcibus, non cornibus. Manſuetum eſt animal, mite ac placidum. Non clamat ſive tondeatur ſive mactetur. Nulla hic vehementia, nulla iracundia, ſed ſingularis patientia & miranda ſimplicitas. Semper ſui ſimilis eſt forte ſua contenta. Eandem emittit vocem ſive ad paſcua ducatur ſive ad lanienam. Non aperit os Ovis ſed patienter fert mortem ipſam. Moderatior Ovis eſt greſſus. Non ac ſi negatus prorſus ſit motus celerior. Neceſſitas ſi datur velociſſime currit, ſed cum non irritatur, nihil facit raptim.

Pro varietate regionum Oves inſigniter diſcrepant. Quam ſpecioſæ ſint Anglorum Oves quamque lana illis ſubtilis in propatulo eſt. Unde & panni optimæ notæ ex Anglia advehuntur.

Oves à Lupis rapiuntur & occiduntur non ex antipathia, ſed, ſi loqui ita licet, ex ſympathia, quoniam illarum carnibus delectantur. Quas autem occiderint Lupi, earum pelles ac vellera, factæque ex illis veſtes longe quam aliæ ad pediculos procreandos ſunt aptiores, pecora ſunt morboſa pluribusque morbis obnoxia: pediculis carent, redivos autem, ſeu ut alii loquuntur redivios habent. ARISTOTELES vocat κρότωνας; ſunt illa inſecta quibus etiam Boves, Canes & Capræ infeſtantur. Vocantur alias Ricini Zecken. Laborant porro oves Phthiſi, ſie werden Lungenfaul/ ut & variolis atque imprimis ſcabie.

Vocatur

CARO OVILLA προβάτειον κρέας, Schaaff-Fleiſch/ VIANDE DE BREBIS, mali ſucci eſt & excrementitii. Lentus enim is eſt, ut habet SEBIZIUS, viſcidus & dyſpeptus, ob temperaturæ vitium & partus frequentiam. Quam ob cauſam in epulis elegantiorum damnatur. Sermo autem eſt de ovibus annoſis, quæ ſæpius pepererunt, non de junioribus quarum carnes quibusdam probantur. In genere autem Ovillum pecus Vere primo ac medio præſtantius, ſicut & alia animalia quæ gramine veſcuntur.

PULMO OVILLUS, ut dicit SCHWENCKFELDT, Maniacis & Lethargicis prodeſſe videtur calidus circa caput alligatus. CEREBRUM cum Melle dentientibus infantibus illinitur. SANGUIS potus Comitialibus commendatur. FEL auribus purulentis cum lacte muliebri inſtillatur. SEBUM ad ignem liquefactum ambuſtis linteolo impoſitum ſanat, cum alumine partibus frigore uſtis illinitur, cum cinere capillorum Veneris permixtum luxatos articulos reſtituit. Ex vino rubro ſanguinem ſiſtit, diarrhœam, dyſenteriam & tormina ventris infuſum curat. OMENTUM in ſartagine frixum, ventri calide impoſitum colicæ eſt medela.

LAC OVILLUM Caprino craſſius eſt minusque ſeroſum dulce & præpingue magis alit, non autem usque adeo utile ſtomacho. Potum calidum adverſus omne venenum laudatur. Recens mulctum, gargarizatu faucium inflammationes mulcet. Dyſentericos juvat, ſilicibus ignitis in id demerſis. A jejuno potum ad peſtis præſervationem valere fertur. BUTYRUM OVILLUM candidum licet ſit deterius eſt Vaccino facileque rancedinem acquirit. CASEUS OVILLUS, Schaaff-Käß/ pinguis eſt, ſapore ſuavis & boni ſucci. Optimi fiunt ex lacte integro non dempto flore. Vetus durior eſt & difficile digeritur, mediæ ætatis præfertur.

Verberum vulnera & vibices PELLIBUS OVIUM adhuc calentibus obliterantur idque die ac nocte una. Pelles detractis pilis a cerdonibus parantur, & aliquo colore tinguntur ad calceos, chirothecas, marſupia. Fiunt ex his etiam membranæ, maceratis in aqua cum calce & poſtea extenſis.

STERCUS OVILLUM (σκύβαλα, Pilulæ ſtercorariæ ovium Schaaffs-Loorbeern / vulgo) ex aceto ſanat Epinyctidas, clavos, penſiles verrucas, & ambuſta roſaceo cerato exceptum.

OVIS PULLUS.

Vocatur AGNUS a Græco ἁγνὸς quod ſignificat caſtum: eo quod ſit hoſtia pura & immolationi apta: Iſidorus ſcribit Agnum, quanquam Græci vocent ἀπὸ τῦ ἁγνὸς, quaſi pium, Latinos tamen credere ideo habere hoc nomen, quod præ cæteris animantibus matrem agnoſcat, adeo, ut etiamſi in magno numeroſoq; grege erraverit, ſtatim balatu vocem matris deprehendat. Dicitur quoque ἀμνός, ῥὴν, ἀρνίον, καὶ ἀρνόις. Germanis audit ein Lamb/ Gallis AGNEAU & intelligitur foetus Ovis, qui annum nondum eſt egreſſus. Junior Agnus & quaſi recens natus vocatur AGNELLUS, ein Lämblein.

Agnus alius eſt CORDUS h. e. SEROTINUS tardeque natus, ὀψίγονος, ein langſam gebohrnes Lamb/ ein ſpates Lamb / ein Spätling/ Agneau tardif: alius eſt AGNUS SUBRUMUS, ἀρνέιος γαλαθηνὸς, νεογηλος, AGNUS LACTENS, LACTEOLUS, Seuglämblein/ Bradlämblein. AGNEAU TETTANT, AGNEAU DU LAIT. Alius AGNUS SEPARATUS, abgehabene Lämmer/qui a matribus jam ſeparati naſcuntur.

LANA

CARO AGNINA, ἀρνειον κρέας, Lambfleiſch/. VIANDE ou CHAIR D'AGNEAU, a recens natis deprompta humida

humida eſt mucoſa & pituitoſa, ac propterea excrementoſa, craſſi ſucci & quæ diſtribui facile nequit. Ex paulo adultioribus deſumpta nutrimentum dat boni copioſique ſucci & facilis digeſtionis. Convenientiſſima eſt iis, qui naturæ ſunt delicatioris, debilioris, & qui modice exercentur. At non ita congrua illis eſt, qui validis dediti ſunt laboribus & natura præditi robuſtiore. Manditur aſſa magis quam elixa. Coxæ meliores aſſæ ſuaves & ſalubres. Agnus alius eſt vernalis alius Autumnalis. Vernales majores robuſtiores & pinguiores ſunt. PLINIUS narrat præferri a multis Agnos hybernos vernis: quoniam magis interſit ante ſolſtitium, quam ante brumam firmos eſſe, ſolumque hoc animal utiliter bruma naſci. Caſtrari agnos niſi quinquemeſtres præmaturum exiſtimatur. Ut autem ſuaves ſalubresque evadant agni, plena bonaque Ovium paſtio requiritur. Hæc enim probe ſi nutriantur; bonos agnos parient. A parentibus enim male paſtis & morbidis ſanus expectari fœtus non poteſt.

Quibusdam in uſum venit PULMO, & ſpecifice commendatur in Phthiſi & affectibus pulmonum, imprimis in vulneribus eorumdem.

COAGVLVM AGNI omnibus venenis adverſari dicitur. Lac concretum & ſanguinem diſſolvere fertur.

OSSA incinerata in fluxibus alvi commendantur.

*Ex Ovillo genere haud raro in uſum trahitur LANA ſic dicta SVCCIDA & OESYPVS;

Eſt

LANA SUCCIDA dicitur ἴξιον, ἔρια οἰσυπηρά, ἔριον, ſchmutzige Schaffwoll/ ſchweißichte Schaafwolle/ LAINE GRASSE, cumque ex agnis præſertim nigris colligatur vocatur etiam LANA NIGRA AGNINA, ſchwartze Lämmerswoll.

Æſtate

Eſt pinguis, ſordida, quæ ſordibus, ſudore & ſucco eſt imbuta.

Æſtate colligitur è collo feminibusque mollis ſudore referta. Ex ovibus omnis generis colligitur, præfertur autem, ut jam dictum, quæ ex agnis nigricantibus deſumitur.

Calefacit, emollit, replet, lenit dolores capitis ſtomachi aliarumque partium cum aceto & roſaceo impoſita. Subvenit inter initia vulneribus percuſſis, contuſis, laxatis, deſquamatis, lividis nervis dolentibus, oſſibus fractis aceto, oleo, aut Vino imbuta. Lana ſuccida cremata, vim habet acrem mordacem, calefactoriam, quæ cito operatur & penetrat. Ea propter confert humidis, mollibus tumoribus, ulceribus inveteratis & ſiccat vehementer, cruſtas obducit, excreſcentias in carne cohibet, & ulcera ad cicatricem perducit. Illinitur vulneratis, attritis, ambuſtis, & in fiſtulas aureſque ſuppuratas inditur. Lavatur ad oculorum medicamenta.

OESYPUS dicitur etiam OESYPUM, Οἴσυπος, quaſi ὀιὸς ῥυπὸς, Hyſſopus humida, Iſopus humida. Corrupte autem Hyſſopus vocatur. Fett von ausgewaſchener Schaaffwolle / Fett von Hammels-wolle; OESIPE. Aſſumitur ſcilicet Lana Succida, maceratur per ſpatium ſex vel octo horatum in ferventi aqua, agitaturque bacillo ligneo, donec ſuam adhæreſcenrem pinguedinem depoſuerit. Sordibus his imprægnata aqua magno impetu agitatur vel effunditur è vaſe in vas, quo ſeparri poſſint per hanc ſpumeſcentiam intus incluſæ ſordes. Reiterari vero hæc depuratio debet donec maximam partem remotis ſordibus peregrinis nil ſpumæ amplius extet, collecta vero pinguedo manibus agitata colorem & ſaporem prædictum acquirat. Et hæc omnia ſub fervido ſole fieri debent juxta MATTHIOLUM.

OVA

Calefacit Oeſypus, explet ulcera & emollit, præſertim ſedis

ſedis ac vulvæ cum butyro & meliloto reſolvit, dolores ſedat. In vellere appoſitum menſes & partum evocat. Aurium & Genitalium ulcera cum Adipe anſerino ſanat. In tumoribus faucium & angina ſolet adhiberi æque ac Lana ſuccida.

OVA.

Ova ſunt partûs avium imprimis Gallinarum, figuræ ellipticæ, ſeu ex rotundo oblongæ, teſtis, pelliculis, atque humoribus conſtantes, alimentum ſanguini proximum ſuppeditantes, & per incubatum Gallinæ pullum ſubminiſtrantes.

Ova

OVA dicta ſunt ab eo, quod ſint uvida, intus enim humore plena ſunt. Vel à Græco verbo ὠὸν, vel ut quidam putant, quoniam ὅια i. e. ſola pariuntur, Germanice, Eyer/ Gallis OEUFS dicuntur. Tot ſunt ovorum genera quot avium parientium. Ova alia ſunt candida ut Gallinarum, columbarum, perdicum; alia pallida ut paluſtrium; alia punctis diſtincta ut Meleagridum & Phaſianorum; alia ſunt rubra inſtar minii, ut Tinnunculorum. Ova porro alia ſunt maxima, decumana ut Struthio-Camelorum: alia media ut Anſerum & Gallinarum; alia minima ut minutiſſimarum avicularum. Alia ſunt oblonga & faſtigio acuminata, quæ ſecundum ARISTOTELEM, fœmellas; alia rotunda quæ mares generant; quanquam PLINIUS & COLUMELLA contrarium doceant. Alia ova ſunt recentiſſima, alia vetuſtiſſima, quæ ova requieta dicuntur; alia vero inter hæc media ſunt. Differunt quoque ova reſpectu præparationis. Alia enim ova ſunt tremula, quæ in aqua modice ſunt elixa, eatenus ſcilicet, ut in manu tenentis tremere in ſuo putamine videantur, appellantur Germanice Dotter weiche Eyer/ habent conſiſtentiam mediocrem. Alia Ova ſunt ſorbilia, quæ in aqua eousque ſolum elixa ſunt usque dum incaluerint, calefacta ſcilicet ſolum, moxque ex

aqua exempta, ideoque eorum humor nondum concrevit, vocantur lindgeſottene Eyer/ die man leicht außſürfflen kan. Notandum tamen quod tremula & ſorbilia Ova ſæpe pro una eademque re ſumantur. Ova cocta ſunt quæ diuturniore coctione penitus indurata ſunt: dicuntur hart geſottene Eyer/ ſive talia facta ſint in aqua, ſive ſub cinerbus, quæ proprie aſſata vocantur. Frixa ſunt ea, quæ in ſartagine cum butyro coquuntur, appellantur gebackene Eyer. Tandem Ova ſuffocata dicuntur erſtickte Eyer/ quando in aliquod vas conjiciuntur, & oleo garo & pauco vino aſperguntur, poſt modum hoc vas clauditur & in cacabo aqua calida pleno tam diu coquuntur, quoad mediocrem conſiſtentiam nacta ſunt, ſed hæc ultima vix amplius in uſu ſunt; in illorum autem locum ſucceſſere variæ aliæ præparationes v. gr. Ova putamine exempta & in aquam ferventem projecta, ubi albumen exterius indureſcit & vitellum circumdat, Gallis vocantur OEUFS EN CHEMISE.

Partes ovorum ſunt vel continentes vel contentæ. Continentes ſunt TESTA, PUTAMEN, CORTEX, κελυφὸς, τὸ λέπυρον τῦ ὠῦ, λεπύριον τῦ ὠῦ, Eyer-Schalen / LA COQUILLE. Contentæ partes ſunt 4. GRANDO, das Hünlein / LE GERME DE L'OEUF, GALAXA eſt prima. Sunt autem grandines in omnibus Ovis tam expertis gallum, quam non expertis conſpicua corpora albicantia, nodoſa & concreta, quodammodo lucida, numero bina, alterum minus, alterum majus: minus in acuta ovi parte conſiſtit, alterum vero in obtuſa, eſtque priori longius è duobus tribusve nodis quaſi grandineis globulis ſeu granis conflatum, videturque hoc eſſe rudimentum fœtus ſeu germen, quod etiam vocatur CICATRICULA. Altera pars eſt ALBUMEN, τὸ λευκὸν τῦ ὠῦ, Ovi candidum, albus liquor das Weiße im Ey / LE BLANC D'OEUF, LE GLAIRE D'OEUF. Tertia eſt VITELLUS ſeu VITELLUM, τὸ ὠχρὸν, χλωρὸν τῦ ὠῦ, der Eyer-Dotter oder das gelbe vom Ey/ LE JAUNE DE L'OEUF. Quæ pars lutea peculiari membranula veluti velata ita vocatur, quod ex eo pullus vivat. Accedunt his partibus membranæ, quæ reſpectu putaminis contentæ, reſpectu vero humorum continentes internæ dici poſſunt. Prima membrana cingit putamen, ſecunda continet albumen & prima membrana eſt mollior; tertia vero vitellum ambit.

Ova

Ova optima ſunt OVA GALLINARUM maxime ſi è Gallo conceperint. Deteriora ſunt Anſerum & Struthio-camelorum, quibus annumerari poſſunt Ova anatum, pavonum &c. Eliguntur recentia è Gallinis pinguibus non macilentis nata, oblonga, parva, tenuia juxta verſiculos:

Regula Presbyteri jubet hoc pro lege teneri:
Quod bona ſint Ova, candida, longa, nova.

Aut juxta HORAT.

Longa quibus facies Ovis erit, illa memento,
Ut ſucci melioris & ut magis alba rotundis.

Idem juxta commune illud:

Si ſumas ovum: molle ſit atque novum.

Dantur etiam OVA IRRITA, SUBVENTANEA, ZEPHYRINA, leere/ lautere oder Wind-Eyer/ Spinnen-Eyer / Drachen-Eyer. Talia autem Ova dicuntur provenire, quando tempore verno flatum è Zephyro aut Favonio exceperint. Vulgus putat ea eſu aranearum terreſtrium naſci ſed falſum utrumque eſt, & Ova talia ſunt irrita & ineſſicacia, quoniam Gallinæ gallum non ſint expertæ. Sunt autem hæc Ova minus grata minusque ſapida humida & minus utilia. Servant Ova hyeme in paleis, æſtate in furfuribus aut cineribus. Ova recentia ſunt alimentum ſanguini proximum juxta ſequentes verſiculos:

Ova recentia, vina rubentia, pinguia jura,
Cum ſimila pura naturæ ſunt valitura.

Optima ſunt Ova tremula; dura & frixa peſſima.

Ova tremula & ſorbilia nutriunt, humectant, vireſque reficiunt: ventrem meliorem reddunt faciliuſque ſubducuntur: proſunt gutturi exaſperato, tuſſientibus, pleuritidi, raucedini, phthiſi, hecticæ, dyſpnoeæ, ſputo ſanguinis, renum & veſicæ exulcerationibus: ventriculum tamen languidum ſubvertunt. Curioſum eſt, quod quidam dicunt, Ova die viridium excluſa, poſtmodum fota à gallina, prodere gallinas, quæ ſingulis annis pennas mutant, uti ſe expertum eſſe ſcribit SCHMUCK in CURATIONIBUS MAGICIS & MAGNETICIS: ſed bene pronunciat ETTMULLERUS, fides ſit penes Autorem. Teſtæ ovorum a lapillis aut calculis, quos gallinæ devorant, materiam nanciſcuntur: quorum particulæ ſubtiliores in ventriculo ſub mucilagine ſua glutinoſa in ſubſtantiam teſtaceam agglutinantur, quod exinde quoque probatur, quoniam gallinæ incluſæ ſine lapidibus ac arenulis nutritæ, ova ſine teſtis excludant. Ex teſtis his deſtillatur per retortam ſpiritus urinoſus & ſal volatile copioſum cum oleo fœtido, relicto capite mortuo, quod ulterius igne aperto calcinatum, faceſſit in calcem albam teneṙrimam & ſubtiliſſimam à tactu aquæ inſigniter effervеſcentem & bullientem, calcis vivæ ad inſtar.

Ejuſdem ſunt naturæ hæ teſtæ ac lapides Cancrorum fluviatilium, abſorbent vitioſa acida primarum viarum & cum iis in concretum ſalſum diureticum & nephriticum abeunt. Teſtæ ovorum è quibus per incubatum pulli modo excluſi ſunt, quia mediante fotu certam alterationem ſimul patiuntur præparatæ & in vino propinatæ urinam ſatis fortiter proliciunt, hinc & à quibusdam tanquam præſervativum ad calculorum geneſin impediendam commendantur.

Albumen & Vitellum Ovi habent vim nutritivam & reſtaurativam virium deperditarum. Ovum recens in Vinum Malvaticum aut Rhenanum immiſſum, uno aut altero ambræ

bræ grano addito, ex tempore vires amiſſas à nimio coitu vel corporis exercitiis frequentioribus reſtaurat.

Ovum & præſertim vitellum ad duritiem coctum & aceto imprægnatum ad diarrhœas expertum dicitur eſſe remedium; albumen ovi copioſum & temperatiſſimum alcali volatile reconditum habet, refrigerat, adſtringit, glutinat, ad inflammationes oculorum confert & vulnera oculorum conſolidat, mitigatque acres fluxiones, præſertim ſi bene agitetur donec liqueſcat & in liquorem abeat. Albumen ovi ambuſtis quoque medetur, ani & pudendorum ulceribus commodum eſt pharmacum, & faciem à ſolis uſtione tuetur. Albumina ovorum conjice in dolium, ubi ineſt vinum turbidum, vinumque cum albuminibus concute quoad ſpumeſcat, & ſic vinum rurſus fit pellucidum, ſicuti quoque mediante hoc albumine apozemata ſeu decocta & Syrupi clarificantur.

Ex albumine obtineri poteſt aqua & oleum. Album ſcilicet ad duritiem coctum & contuſum in patina ſuper igne paulatim intenſiore continuo agitatum, in oleum nigricans fatiſcit: quod per retortam cum cineribus clavellatis rectificatum evadit oleum ſolis inſtar fulgens, quod vulnerarium eſt, ad ambuſta ut & ad dolores hæmorrhoidum confert. Ad aquam parandam quidam albumen conquaſſatum & cum bolo mixtum deſtillant, quæ omnibus affectibus, quibus albumen medetur, convenit. Albumen ovorum ad duritiem coctorum, exempto vitello, Myrrham inditam in liquorem redigit.

Vitellum ovorum pingue magis magisque oleoſum præ albumine dolores ſedat, temperat, emollit ac ſuppurat. Ingreditur Clyſteres pro laxandis inteſtinis ſeu potius pro leniendis & demulcendis iiſdem. Vitellum ovi ſolvit terebinthinam, Balſamum Peruvianum, reſinas vegetabilium, olea de-

deſtillata; hinc in omnibus Clyſteribus Therebinthina & ſimilia oleoſa ingrediuntur, adhiberi etiam debet vitellum ovi, alias nunquam bene miſceri poterunt.

Ex ovis ad duritiem coctis & acubus longis perforatis exſtillat in frigore liquor albus & limpidus egregium Coſmeticum, ſi aliquot grana Camphoræ in eodem præcipue ſolvantur & deinde liquor iſte vel ita uſurpetur vel prius adhuc per alembicum deſtilletur. Pellicula ovi interior ovo ſeu crudo ſeu decocto detracta labiorum fiſſuris mederi dicitur; imprimis autem commendatur ad profligandos paroxyſmos febriles, ſi ſcilicet ab initio paroxyſmi apici minimi digiti circumligetur; accedente quippe ardore febrili digitum conſtringit atque comprimit extremo modo digitum, cum videlicet fibræ pelliculæ fortiter contrahuntur, unde dolor maximus producitur, quo mediante febres ſæpius profligatas eſſe quidam aſſerunt, ſed remedium eſt neque tutum neque ſemper juvans.

Ova quia jam partus ſunt pro certiſſimo remedio ad partum difficilem à quibusdam mulierculis commendantur, ſi vel ſola aqua, in qua ova duo vel plura cocta ſint propinetur, etiamſi fœmina per octiduum jam laborarit. FRANCUS in Ephemerid. N. C. de ovis die viridium poſitis adhuc calidis refert, quod certiſſime herniam curent: ſi poſtquam cruda abſorpta ſint, teſtæ urina propria repleantur & ſuſpendantur in camino, quo enim modo exſiccatur urina eo modo detumeſcit hernia. Si ova per aliquot dies in aceto macerentur, mollia & flexibilia redduntur, ita ut in vitrum anguſti colli immitti poſſint, poſtmodum affunditur aqua, ſic indureſcit teſta. Ex ovo quoque tali per 24. horas in aceto detento, ſi acu perforetur extillat liquor ad uſum coſmeticum maximopere commendabilis. Illud quoque curioſum eſt, quod albumen ovi ad duritiem coctum (è teſta exemptum & in ſuperna parte aper-

apertum, ut vitellum induratum ſucceſſive elabi queat, ad ſolis calorem vel tempore hyberno ad fornacis æſtum ſuſpenſum) poſt aliquod tempus in ſubſtantiam vitream pellucidam transmutetur. Plebs putat ova ad hanc rem requiſita neceſſario die viridium debere eſſe excluſa & experimentum quoque eodem die eſſe inſtituendum, ſed fabula hoc ultimum eſt, dum experimentum hoc quovis tempore inſtitui queat.

SPERMA

IN OFFICINIS PROSTAT.

Oleum Ovorum, Eyeröhl/ *Huile de Jaunes d'Oeufs*, è vitellis coctis ad duritiem per expreſſionem paratum: purificatur hoc oleum ſequenti modo: Oleum liquefactum per linteum coletur, imponatur patellæ ſtanneæ & addatur aliquid ceræ, hinc cum aqua pura lavetur, agitando cum ſpatula lignea, ut aqua eluat impuritates, exponatur deinde ſoli ad aliquot dies, ut foeces in fundum ſecedant; oleum vero ſupernatet: vulnerarium eſt hoc oleum, valet contra ambuſta, ad hernias adimplendas, ad fiſſuras labiorum, manuum, pedum, & ani. Confert quoque ad dolores à cauſa externa provenientes: Anodynum eſt inſigne imprimis ad hæmorrhoides coecas cum balſamo Sulphuris remedium egregium exiſtit, pilos præterea auget, impetiginem curat, foedas oris maculas detergit. Commendatur in cutis foeditate & ſcabritie, inſigne quoque eſt Cosmeticum, ſi prius facies aqua ſimplici, in qua borrax ſoluta erat, abluatur, poſtea oleum hoc illinatur.

Electuarium de Ovo Maximiliani Imperatoris, gülden Ey-Lattwerge/ *Electuaire de Ovo*. Commendatur in peſte & præſervatione à venenis deleteriis ſudores movet & à centro ad circumferentiam propellit, cor à tetris fuliginibus tuetur &c. peſtilentis luis noxas disjicit. Commendatur quoque in variolis modo tempus probe menſuretur, ubi propulſione opus eſt, datur ad ℈j. ad ʒj. & paulo ultra, vocatur alias das gülden Ey/ à forma in qua aſſervatur. Male dicitur Electuarium de ovo, cum non multum de ovo ingrediatur.

SPERMA RANARUM.

Nihil aliud eſt quam ova ranarum mucilagine quadam aquea, tanquam eorum ventriculo & nutrimento involuta, ne tam facile corrumpantur, ex quibus in tepido calore generantur Ranunculi.

Ranæ

RANAM dictam volunt a voce ſua, *βάτραχος* vocatur quaſi *βοάτραχον, παρὰ τὸ βοὴν τραχέιαν ἔχειν*, quod aſperam vocem ſive clamorem edat. Germanice Froſch audit, Gallice GRENOUILLE.

Ranæ ſunt animalia amphibia, quadrupeda, coaxantiaque brexantiaque garrula, clamoſa, loquacia, querula blaterantia, obſtrepentia, rauca.

Varia ranarum ſunt genera, uſu, magnitudine, colore, forma corporis & habitatione diſtincta. Dantur virides, flaveſcentes, maculis aut nigris aut obſcuris conſperſæ. Ranæ aliæ terreſtres, aliæ aquatiles quæ tamen amphibiæ. Licet enim in ſtagnis lacubus & paludibus degant, in illis tamen perpetuo non manent, ſed in ripam & terram progrediuntur, ibique aliquandiu apricantur. Poſt iterum ad Nymphas ſuas revertuntur. Illæ autem maxime Ranæ edules cenſentur, quæ in fluminibus, fontibus ac rivulis ſtabulantur, amphibiæ tamen. Ranæ coaxant juxta verſum.

Garrula limoſis Rana coaxat aquis.

Ranæ ultra modum vocales pluviarum juxta quosdam ſunt prognoſtica. Aliam vocem edunt cum fœminas ad Venerem alliciunt. Alliciunt autem illas ululatu quodam, quem PLINIUS Ololyginem & mares tum temporis ololygonas appellari aſſerit. Amant aquas tepidiores; proin translatæ ad paludes calidiores vocales evadunt. Æſtate tamen etiam frigida delectantur & pluvia cadente accurrunt ocyus. Conjectæ in aquam frigidiorem obmuteſcunt. Quæ cauſa, quod æſtivis duntaxat menſibus coaxent, bruma ſileant. Æſtate ſub diluculum, quoniam aër aliquando eſt frigidior, mutæ ſunt. Taciturnæ

itidem,

itidem, quando noctu ardentes faces juxta ſtagna, lacus & paludes apponuntur. Hyeme ad fontium ſcaturigines lacus, paludes, piſcinas & alia tepidiora loca item ſub terra aut limo ſe recondunt, ubi quaſi mortua ſæviente hyemis frigore immorantur, tandem accedente Vere reviviſcunt, & è latebris ſuis egrediuntur. Viſæ fuerunt aliquando aſperrima hyeme è fontibus limpidiſſimis extractæ ranæ, quæ tepidariis expoſitæ revixerunt. Lætantur imbribus, propterea iis adventaturis ſunt loquaciores. Naturale illis diſſidium eſt cum deprædatoribus ſuis Ciconiis, Cygnis, Muſtelis, Lucio piſce & Natrice. Cibus Ranarum ſunt Apes, Tipulæ, Muſcæ, Ranunculus herba, Morſus Ranæ, Lenticula paluſtris, Ros, Limoſitates, herbæ in lacuſtribus & paluſtribus aquis creſcentes &c.

Coitum exercent utplurimum verno tempore & nocturno magis quam diurno; ſuperveniunt prioribus pedibus alas fœminæ mare apprehendente, poſterioribus clunes. Bufones quandoque cum Ranis foemellis coëunt. Foetum emittunt fœminæ continuo filo ſibi cohærentem. Id Sperma eſt ovorum conglobatorum ſpecie. Sunt autem globuli quantitate avellanæ albi ſed cum aquoſitate perſpicua. In eorum medio eſt granum nigrum tanquam vitellus aut cryſtallus oculi. In illo contentum principium animale raninum provehitur, vegeſcit & diſtinguitur membris, & emiſſis meatibus nutrimentum augeſcendique materiam petit ex circumfluente humore, qui inſtar pituitæ in ſanguinem ranalem ſuccumque alimentoſum tranſit. Multi autem putant, quod non ſtatim emergant omnia membra perfecte, ſed cum formatum in externis caput eſt atque oculi, in globuloſo corpuſculo prorumpat ex membrana ſua fœtus & in aquis ludat, qui fœtus appellatur γύρινος παρὰ τοῦ γύρου ab orbe & rotunditate, γείρινος, Gyrinus βατραχὶς, quaſi ranulam dixeris, poſtmodum ſub cauda enaſcantur pedes poſteriores & tandem prodeant priores, fiatq; ſic Rana ſecundum ſpeciem ſuam abſoluta. Sed falſum hoc æque eſt ac id, quod dicunt ranam ex putredine naſci. Quod concernit pluviam ranarum expoſuimus illam in diſſertatione de Pluvia. Timidum animal eſſe exinde conjiciunt, quod hominem fugiat. Non enim egreditur facile ex aquis in præſentia hominis; quin cum impetu ſeſe præcipitant in undas præſentibus hominibus. Proverbium eſt, ut SPERLINGIUS habet Rana in paludem reſilit ex aurea etiam ſella

Der Froſch hüpfft wieder in den Pfuhl/
Säß er auf einem güldnen Stuhl.

Ranæ ſaliunt potius quam currunt, gradiuntur aſſultim. In aquis natant celeriter, maxime poſteriorum pedum beneficio, qui ipſis longi & lati, digitis pedum membrana connexis.

IN

Ranæ veſcæ carnem habent candidam, ſed frigidam & humidam. Meliores judicantur quæ habitant in fluminibus & eorum rivulis. Deteriores, quæ in aquis ſtagnantibus, lacuſtribus & paluſtribus degunt: maxime cum Veneris & libidinis oeſtro ſunt percitæ. Pellis, cum ad victum apparantur, detrahitur: abjiciturque pars anterior, h. e. caput & truncus corporis, vel quia excarnis, vel quia viſcerum cauſa pravus: reſervatur autem pars poſterior: elixatur, aſſatur & frigitur. Miramur, inquit SEBIZIUS, Ranas & Cochleas hecticis & phthiſicis commendari animalia ſpurca, lentum craſſum phlegmaticumque ſuccum gignentia. Ego mirari deſino, ſuccus enim, præſertim Cochlearum quid valeat, in proprio corpore teſtari poſſum, qua de re ſuo loco plura.

Ranæ a quibusdam commendantur ad epilepſiam. Rana, dicente ETTMULLERO, quomodocunque præparata & applicata mire refrigerat, dolores ſiſtit, inflammationes coercet. Rana a frigore in mucilaginem reſoluta egregium dicitur cancri eſſe remedium. Rana exſiccata & pulveriſata commendatur in ulceribus malignis inflammatis & aliis, uti etiam in cancro exulcerato. Rana exſiccata & appenſa ſolet ſubſtitui bufoni in ſiſtendo ſanguine. In peſte Ranæ dicuntur ſingulare eſſe remedium. Cinis Ranarum combuſtarum expertus eſt in hæmorrhagiis quibuscunque. Confert etiam in cancro exulcerato, ſi ei inſpergatur, imprimis quidem,

ſi

ſi ante cancro exulcerato applicetur cancer vivus ligatis chelis, donec moriatur, qui applicandus tamdiu, usque dum non amplius intereat; & quando non amplius moritur ſignum eſt quaſi interfecti cancri: tunc inſpergendus pulvis vel ex bufone calcinato, vel ex Rana calcinata cum Saccharo Saturni, & ſimiles pulveres alii: nam quando non amplius moritur cancer, indicium eſt cancrum morbum eſſe exanimatum.

Epar Ranarum exſiccatum & pulveriſatum ceu ſingulare ſpecificum commendatur ad epilepſiam infantum. Ex ranis deſtillatur aqua ejusdem virtutis cum ſpermate Ranarum, quæ & interne contra hæmorrhagiam uteri ad ℥ij. eſt egregia, & in fluore mulierum albo æque ac gonorrhœa optime conducit. Inducitur vini faſtidium, ut volunt, ſi Vinum, in quo vivæ Ranæ exſiccatæ ſunt, propinetur. Viva Rana applicita refrigerat, dolorem ſiſtit & inflammationes arcet. Cor Ranarum febricitantium ſpinæ alligata febrilem ardorem minuere dicitur.

Inprimis autem è Ranis SPERMA in uſu eſt. Vocatur alias GENITURA RANARUM, SEMINIUM RANARUM, Der Fröſchleich / FRAIS DE GRENOVILLES.

Sperma hoc Ranarum & ipſa ova copioſum admodum ſal volatile ſed oleoſum poſſident, tempore plenilunii & quidem aliquot dies ante illud menſe Martio colligitur. Colligitur autem liquor viſcidus & ovula eximuntur, vel collectus liquor inditur ſacculo, qui ſuſpenditur in loco frigido & liquor inde exſtillans aſſervatur.

Sperma Ranarum refrigerat, incraſſat, conſtipat, dolorem mitigat, ſcabiem manuum tollit, ſi menſe Martio in eo laventur, hæmorrhagiam narium, uteri hæmorrhoides &c. compeſcit, ambuſtionibus, inflammationibus, eriſypelati medetur, in dolore capitis inſtar epithematis eſt egregium:

virtutem quoque coſmeticam habet inſignem, abſtergit ſordes & maculas cum camphora mixtum. Conducit in gutta roſacea & rubore faciei, præſertim ſi cum alumine miſceatur. Laudatur etiam in paronychia, panaritio & herpete. Sunt qui linteum ſpermate ranarum aliquoties madefactum & exſiccatum pro tali uſu coſmetico aſſervant.

PARS

IN OFFICINIS PROSTANT

Aqua *Spermatis Ranarum*, Froſchleich-Waſſer / *Eau de Frais de Grenouilles*, varii uſus, dicitur interne partum promovere; uſurpatur autem magis pro uſu coſmetico, ſordes & maculas abſtergit & ad omnia illa valet, ad quæ ipſum ſperma.

Oleum Ranarum, Froſchöhl / *Huile de Grenouille*, factum per coctionem ranarum cum oleo; refrigerat, in arthritide & podagra convenit ardorem compeſcit, fronti & temporibus illitum ſomnum conciliat, medetur etiam ambuſtis

Emplaſtrum de Ranis Vigonis, Froſch-Pflaſter / *Emplaſtre de Grenovilles de Vigo*.

Emplaſtrum de Ranis Vigonis cum Mercurio, Froſch-Pflaſter mit Queckſilber / *Emplaſtre de Grenovilles de Vigo avec Mercure*.

Emplaſtrum de Ranis Vigonis cum quadruplo Mercurii, *Emplaſtre de Grenouilles de Vigo avec le quadruple de Mercure*.

Emplaſtrum ſimplex abſque Mercurio conducit ad dolores reſolvit & emollit tumores. Quod argentum vivum continet in nodis & tophis ut & doloribus a Lue venerea productis prodeſt. Sunt qui hoc Emplaſtro ad ſalivationem excitandam partes corporis involvunt, utut non ſemper bene. Reſolvit præterea & diſcutit tumores rebelles.

Emplaſtrum de Spermate Ranarum, Froſchleich-Pflaſter / *Emplaſtre de Frais de Grenoville*, in inflammationibus & doloribus coercendis, nec non ad ulcera contumacia, ſordida & antiqua curanda adhibetur, conducit quoque in gangræna & artuum doloribus, humorum acrimonium demulcet & exiccat.

Sperniola Crollii, Compoſition vom Froſchleich / *Sperniole de Crollius*, prædicatur tanquam inſigne remedium in hæmorrhagia narium & uteri, Doſis ad grana quinque ad ℈ß. &c.

PARS ANIMALIS TERREIS CONSTANS CUM PAUCO SALE VOLATILI.

PULMO VULPIS.

Eſt pulmo Vulpis beſtiæ favræ callidæ & aſtutæ, dolisque omnibus inſtructæ, Canis mediocris magnitudine & gravis odoris. Color ſæpe rutilus, priore tamen parte caneſcens. Caudam ei Natura donavit magnam & villis denſam.

Capi-

VULPES quaſi VOLUPES. Eſt enim volubilis pedibus & nunquam rectis itineribus, ſed tortuoſis anfractibus currit. Alii autumant appellatam eſſe quaſi Volipedem. Nam ob celeritatem curſus quaſi volare videtur. Vocatur etiam VULPECULA, ἀλώπηξ, Fuchß/ RENARD.

Non una omnium vulpium eſt magnitudo, nec color unus. Differunt enim inter ſe pro varietate regionis. In caudæ parte ſuperiori enaſcuntur pili flavi tenuiſſimi Violam Martiam odore ementientes. Aures Vulpes habet breves. Auditu tamen pollet exquiſito. Mari genitale oſſeum eſt. Coeunt Vulpes more canum. Commiſcentur aliquando cum Canibus. Parturientes ita ſecedunt, ut raro gravidæ capiantur. Parit utplurimum quatuor & cœcos, quos lingua refovet. Vulpes ſunt animalia multivora. Nam & carnes & fructus arborum fruticumque & locuſtas & veſpas & cancros & piſces devorant. Inſidiantur maxime Gallinis, columbis, cæterisque avium generibus. Venantur & cuniculos, lepores, feles, parvosque canes, ſi quos apprehendere valent:

Fallax vulpecula gannit.

Vulpes faciunt plura ſuarum cavernarum foramina & multifores aditus procul inter ſe diſtantes, ut minus facile, a venatoribus capi queant. Habent autem luſtra ſua ſub terra longe diſſita à veſtigiis omnibus

bus. Deprehenduntur tamen ſtrage cadaverum Gallinaceorum, columbarum aliarumque avium odore. Sunt aſtutæ malitioſæ, & callidæ. ISIDORUS ſcribit vulpes cum eſca deſtituuntur, mortuas ſe fingere ſicque deſcendentes volucres, tanquam ad cadaver, rapere ac devorare. Memoria quoque proditum eſt, vulpes cum cavernas & ſpecus ipſæ non faciant, taxi tamen & Melis antrum ingredi idque excremento ſuo adeo inquinare, ut redeuntes taxi & Meles præ putore foveam a ſe paratam derelinquant. Veſparum favos populantur veſpis prius expugnatis. Averſam enim in alveum immittunt caudam, cui illæ irritatæ adhærent. Quare ad arbores alliſas enecant. Cauda in fluvium demiſſa invitant piſciculos, qua extracta & excuſſa eos devorant. Norunt urina reddita erinaceum in globum contractum ſolvere, aut metu ſui coactum cohibito ſpiritu ſuffocari. Rabiens eadem incommoda infert vulpes, quæ Canis rabidus. Laborant pilorum defluvio, quod vitium ſi infeſtet caput humanum ἀλωπεκία, Alopecia appellatur.

Capiuntur vulpes laqueis, canibus, foveis, decipulis ferreis, quæ Tajolæ ferreæ dicuntur Fuchſeyſſen. Occiduntur quoque Sclopetis. In Venatu plus vitant quam currunt. Nunquam enim recta excurrunt, ſed reflexo itinere progredientes obſervant canes, ipſæ orbibus implicatis fallunt averſos atque ſe ſe ſubtrahunt. Metu perculſæ vehementerque a venatoribus aut canibus, eas è cavernis expellere conantibus, agitatæ tantum effundunt foetidi fumi per extrema ſedis, vix ut durare queant venatores. Sunt qui dicunt quod Vulpes ſæpius caudam propria urina madafactam in canum inſequentium oculos & os infligant, ſicque hoc modo ſe liberent. Mordent accerrime raroque inultæ pereunt impactis in rictum canum dentibus.

Vulpes vix non ubivis reperiuntur.

IN

Capiuntur non tam propter CARNEM quam propter pellem & pulmonem. In aulis tamen quandoque Apiciis, cupediis, & ſcitamentis additis imponitur, & leporis loco vulpecula vel panificio incruſtatur vel pulti nigro eoque piperato incoquitur

tur, quam cum avide devorarunt, convivarum ſibilis exploduntur. Caro & concoctu difficilis & gravis odoris.

PELLIBUS togæ & pilei ſuffulciuntur. Debent autem capi hyberno tempore. Æſtate enim ſi capiantur pili ſunt tenuiores & inutiles. Calefaciunt pelles & utiles exiſtimantur Arthritidi, podagræ & frigidis fluxionibus. Quamobrem aliqui tibialia ſive caligas inde parari curant. Vulpes cocta donec oſſa tantum reſtent, fotu Podagras mulcet.

ADEPS VULPINUS calefacit, emollit, humectat attrahit, reſolvit. Nervos emollit rigentes. Prodeſt tremulis & ſpasmo divexatis. Sanat Alopecias & finit aurium dolores. Fel cum melle caliginem diſcutit. Teſticuli ſiccati ex vino proritant ad venerem & conceptionem in muliere excitant. Genitale oſſeum calculo humano remedium præcipuum. STERCVS VULPINVM Lepras cum aceto abſtergit & ulcera putrida ſanat. Sanguis Vulpis recens adhuc calidus in veſicam injectus dicitur calculum diſſolvere.

Imprimis autem in uſum Medicum cedit PVLMO VULPIS, Fuchs-Lung/ POUMON DE RENARD. Non ſolum modo Pulmo & Hepar, ſi vino abluantur & ſiccentur Lieni proſunt, ſiſtunt alvi fluxus ac Lienoſis uſui ſunt: Sed gaudet imprimis virtute ſpecifica contra Phthiſin. Quidam, qui pulmonum ulcus reformidant vulpinum pulmonem comedunt. Alii pulmonem exſiccatum in pulverem redigunt, & cum ſaccharo ſeu juſculo aut linctu Phthiſicis propinant. Tuſſim inveteratam ſanat & pulmonibus robur afflat. Nonnulli pollinem linteolo includunt & aſthmaticorum poculis injiciunt.

In Officinis Prostant.

Pulmo vulpis præparatus, präparirte Fuchs-Lungen/ *Poumon de Renard preparé.* Datur ad ʒj. & ultra.

Lohoch de pulmone Vulpis, Fuchßlungen-Lattwerg/ *Looch de poumon de Renard.* Phthiſicis, tabidis ac ulceratos pulmones habentibus commendatur.

Oleum Vulpinum, Fuchßöhl/ *Huile de Renard.* In affectibus nervorum ſic dictis frigidis uſurpatur.

PARS TERTIA

REGNUM MINERALE EXHIBENS.

MINERALE SALE FIXO CONSTANS.

FEL VITRI.

Eſt recrementum iſtud pinguiuſculum vitri, quod in furnis vitrariis inter conficienda vitra adhæret colore ad album vergens, ſaporis ſalſi quodammodo amaricantis.

Fel

FEL VITRI vocatur à ſapore amaricante. RECREMENTUM VITRI, SAL VITRI, AXUNGIA VITRI. ANATRON, Glaß-Gall. SEL DE VERRE, ou SALIN, ECUME DE VERRE.

Fit, uti hoc exponit LANGIUS, dum artifices ex duabus vel tribus partibus ſilicum pulveriſatorum & parte una alcali fixi fuſionis igne parant vitrum, acidum, quod in ſilice deliteſcit, alcali conjunctum coit, ſaturaturque, dum interea reliqua maſſa in pellucidum vitrum abit. Materia autem recrementitia ſupernatans ferreo cochleari deponitur,

nitur, & in maſſas ſeu panes formatur. In ſalſum autem perfectum commutatum eſſe alcalicum ſal antea aſſumptum probat granulatio ejus, reliquæque obſervationes cum Syrupo Violarum & Mercurii ſublimati ſolutione factæ.

Fel vitri, ſunt rurſus verba LANGII, eſt diureticum elegans, hinc in urinæ difficultatibus, in calculo &c. adhibetur. Eſt odonticum remedium, dentifriciis inſerviens. Paſtores quoque pecoribus ad lingendum porrigunt, præcipue in locis, ubi ſal carius venditur.

MINERALE SALE SALSO VOLATILI ET CORROSIVO CONSTANS.

BISMUTHUM.

Eſt ſubſtantia metallica ſive mineralis albicans, ſtanno admodum ſimilis, dura ſed rigida, fragilis, ac tota fere in fumum abiens quoad, faciem externam regulum Antimonii repræſentans.

Bis-

BISMUTHUM vocatur quoque MARCASITA. Equidem Marcaſita alias nomen eſt, quod quibusvis metallicis materiis tribuitur. Bismutho autem nomen Marcaſitæ κατ' ἐξοχὴν tribuitur, eo quod pulchritudine reliquas marcaſitæ ſpecies ſuperet. Vocatur etiam ANTIMONIUM ALBUM, PLUMBUM CINEREUM, Wißmuth/ Bißmuth/ Marckaſith/ BISMUTH, ETAIN DE GLACE.

De ejus natura variant authores. Quidam pro marcaſita naturali habent, alii pro ſtanno imperfecto, quidam vero pro recremento metallico venditant. A quibusdam quaſi ſui generis metallum cenſetur, nobilius quidem plumbo, ſed deterius argento, cujus non raro aliquid obtinet, & quo loco effoditur, Luna plerumque ſubeſſe ſolet, tectum hinc Lunæ a foſſoribus dictum, qui referente ALBINO ſi Bismu-

thum offendant in Lunæ foſſione dicunt ſe nimis cito veniſſe. Multi habent pro factitio corpore, ſtatuentes Bismuthum ſobolem eſſe ſtanni ope arſenici in hanc conſiſtentiam redacti. Poteſt namque ex ſtanni Anglici in laminas diducti & in exigua fruſta diſſecti cæmentationis ope cum Arſenici ℔ß. ☿r. alb. ℥iv. & ⦶ ℥ij. in crucibulo tale concretum formari, quod etiam exercitatiſſimum metallurgum decipere poſſet, quo ſcilicet illud pro vero Bismutho habeat. Bismuthum totum fere in fumum bit.

Minera unde, eruitur ſimilis eſt Galenæ, ſed manus inficit, quod Galena non facit, reperitur & ſolidum, quod ſectionem admittit & non diſſilit. In Anglia & Miſnia invenitur in Venis argentiferis.

Bismuthum ſolutiones metallorum præcipitat, ſtannum ac plumbum candidius reddit, & cupri rubedinem in flavedinem orichalceam mutat.

Interne Bismuthum uſurpari non debet, cum de arſenico participet. Externe exſiccat, laudatur in ulceribus ac fiſtulis mali moris. Ortelius docet in comment: ad novum Lumen SENDIVOGII quod aqua hujus mineralis per deſtillationem impetrata reſuſcitet plantas exſiccatas & aridas ſi immergantur ipſi, item quod in vaſe etiam firmiter occluſa creſcat & decreſcat cum Luna. Recte pronunciat LANGIUS dicens, credat, qui velit, Thomas hac in parte ſum, nihilque facile in Chymicis admitto, niſi quod oculis cerno, aut ſaltem rationi non repugnare video.

MINERALIA

IN OFFICINIS PROSTAT.

Magiſterium Marcaſitæ, ſive *Coſmeticum Clavii*, präparirter Marcaſit/ *Magiſtere de Bismuth.* Cosmeticum eſt, faciem reddit albicantem. Galli appellant *Blanc d'Eſpagne*; Sumitur drachma Magiſterii ad uncias quatuor aquæ florum fabarum aut Liliorum alborum & ad unciam unam unguenti pomati, ſeu Unguenti roſacei. Nimis continuato

uſu faciem defoedat & cutim craſſiorem reddit. Præfertur tamen aliis cosmeticis albedinem conciliantibus, eo quod melius extendi poſſit, & adhæreat melius. Sunt qui & intern exhibent in arthritide contractura atque peſte; ſed non facile debet uſurpari. LANGIUS commendat illud ad gonorrhœam virulentam.

MINERALIA SALE VOLATILI PURGANTE CONSTANTIA CUM TERRA ADSTRINGENTE.

CUPRUM.

Eſt metallum durum, rubrum, ſonorum, ignibile, fuſile, reſplendens, ſub malleo extenſibile, cæmenti ac cineritii examina refugiens, facillimeque æruginem concipiens.

Uſus

CUPRUM dicitur ab inſula Cypro, in qua copioſe reperiebatur. Vocatur etiam AES, χαλκὸς, quo vocabulo & vaſa & arma ærea indigitantur, Græcis dicitur. Chymicis VENUS audit, ejusque ſignum obtinet, quod cum Venere cœleſti in Macrocosmo, cumque partibus generationi dicatis in Microcoſmo ſympathiam obtineat, aut quod influxum à Venere Planeta obtineat, aut quod olim color cupreus Veneri dicatus erat. Germanice appellatur Kupffer / Gallice CUIVRE.

Conſtat Cuprum, docente KOENIG, particulis terreſtribus craſſioribus multis, plurimis viſcoſis & ramoſis valde volatilibus, ob quam volatilitatem fit, ut cuprum circa ſummitates furnorum, in quibus funditur, facile in flores abeat, qui tamen cinerum ad inſtar collecti, crucibulo inditi, rurſusque fuſi rurſus etiam in Cuprum convertuntur.

Juxta Alchymiſtas Cuprum medium quaſi eſt inter Aurum & Argentum. Ut enim ipſorum verbis utamur, quia Sulphur malum atque debile tanquam pater malæ complexionis coivit cum generoſa

 matre

matre id eſt mercurio, generavit filium tum lividum fuſcæ rubedinis.

Cuprum quamplurimis Europæ in locis invenitur. In Germania, Gallia Alſatia, &c. Imprimis vero Suecia cupri ferax, ut & Norwegia atque Dania. Laudatiſſimum olim habebatur ex inſula Cypro. Extrahitur è mineris ſub forma ſabuli aut lapidum, quos marcaſitas quidam vocant, aut etiam ex nonnullis terræ generibus luteis & purpureis; rarum quippe eſt Cuprum purum gedingen Kupffer. Notandum autem, quod ſæpe inſignis hic occurrat fraus. Iſta enim Marcaſita, quæ Mica & ſterile nitidum quoque vocatur mediæ inter lapides & metalla ut volunt naturæ, μεταλλόλιθος inde dicta, quæ ſcilicet, oculos ſuo nitore decipit, & metallorum pulchritudinem imitatur, eorumque ſinceritatem mentitur, prout (KOENIG pronunciante) dici ſolet, non omne eſſe aurum quod niteat. Tales vero marcaſitæ non ſaltem aureæ & argenteæ, Katzen-Gold/ Katzen-Silber/ſed & Æreæ, Kupfferblende in montibus & rivis hinc inde reperiuntur. Et quamvis primo intuitu multum Auri vel etiam Cupri promittere videantur, nullum tamen utilitatis fructum venas metallicas excoquentibus præbent, eo quod totum eorum corpus ignis conſumat, ſulphure combuſtibili, ſale vitriolico & arſenico volatili penitus in auras abeuntibus.

Mineræ autem Cupreæ tuſæ funduntur, & quo plus deinde Cuprum exinde extractum rurſus funditur, eo pulchrius atque malleabilius evadit. Quidam huic cupro nativo aliud genus factitium addunt, nempe ferrum in cuprum transmutatum. Sunt, qui hanc transmutationem pro vera agnoſcunt, alii vero de eadem omnino dubitant. Nonnulli tres æris ſpecies dari docent, nempe æs rubrum, album atque flavum, ſed falluntur, nam non eſt niſi unum cuprum, reliquæ ſpecies ſunt arte factæ.

Nullum minerale eſt præter Venerem, quod tam varios colores producat; idque tam mediante ſolutione complurium menſtruorum quam mediante præcipitatione. Omnes tamen illi colores intra limites ex viridi cærulei & cæruleo viridi comprehendi ſolent. Sic Venus cum urinoſis tractata cæruleum ſeu ſapphirinum; cum acidis, aceto aut ſale communi viridem; cum aqua forti aut etiam aqua Regia cæruleum; cum Spiritu Vitrioli & Sulphuris in forma liquida viride-

deſcentem.: in forma coagulata colorem cœruleum repræſentat. Soli & Lunæ additur, ut horum metallorum impediat ductilitatem & fuſibilitatem. Propter hanc mixtionem cum Luna fit, ut haud raro Luna colorem cæruleum menſtruis conciliet. Bene hinc notandum, quod Tincturæ Lunæ cæruleſcentes colorem ſuum non a Luna ſed a cupro obtineant.

IN

Uſus Cupri oeconomicus & politicus adeo notus eſt, ut ridiculum eſſet verba de eo facere. Uſum Medicum quod concernit, dicitur partes generationi dicatas peculiariter confortare, itemque ad affectus renum conducere, verum ex Venere intriſeca remedia pauca proſtant: & certe periculoſum eſt admodum venerea interne exhibere propter nauſeam, vomitum, atque ſeceſſus lethales. Nam nauſeoſus medicamentorum cupreorum ſapor adeo eſt adverſus ventriculo, ut citra extremam inverſionem illum non toleret. Neque ſufficit ſemel vel altera vice ab ipſis ſe invertiſſe ventriculum: continuatur ab ipſis vomitio, imo non raro ad extremum usque halitum continuatur. Facile eſſet exemplis imo proprio in corpore comprobare, quanta cum violentia & enormiſſimo impetu vomitum cieant Cuprea. Hinc Pharmacopoei & in genere omnes præcaveant, ne deſtillationes præſertim aquarum vinoſarum, acidarum aut acrium in inſtrumentis cupreis, niſi exactiſſime ſtanno ſint obducta, peragantur. Stannum enim impedit, quo minus cuprum poſſit converti in æruginem, quam, uti dictum, facillime contrahit. Eſt autem ærugo rubigo æri adnaſcens à corroſis particulis metalli ab humore quovis fere, imprimis acri & ſalino: ſicuti ferro ob eandem rationem ferrugo adhæret. Externe Cuprum ad ulcera & vulnera commendatur. Ea detergit, mundificat, conſolidat, abſceſſus putridos purificat & gangrænam arcet.

ÆRIS

IN OFFICINIS PROSTAT.

Æs uſtum, gebrandt Kupffer/ *Cuivre Brulé*. Interne non adhibetur ob cauſas ſupra dictas, expertus loquor. Et licet a FORESIO referatur Medicum quendam exhibuiſſe Æs uſtum ad aquas hydropicorum educendas, ego tamen non ſuaderem, ut quis illum unquam imitaretur. Externe adhibetur ad emplaſtra & unguenta mundificantia & abſtergentia. Exiccat, extenuat, ulcera purgat.

ÆRIS FLORES.

Sunt ſubſtantia utplurimum milii grana & ſquamas, quandoque tamen etiam pulverem referens, coloris rubicundi, ac variegati, modice ſplendeſcentes, conſiſtentiæ friabilis, ſaporis acris quodammodo & adſtringentis odoris expers.

ÆRIS FLOS græcis dicitur Ἄνθος χαλκοῦ, Kupfferblumen / Kupfferſtaub/ Kupfferbraun / Kupfferkörner.

Juxta AGRICOLAM de nat: foſſil. fit, duobis modis, uno dum æs excoctum in fornace de foco per canales defluit in catinum, altero ſi in ſingularis foci catino æs, à quo plumbum & argentum ſeparatum fuerat, colliquatum, poſt remotionem ſcoriarum, dum adhuc maſſa vel panes die Kupfferkuchen candent, aqua perfunditur. Sic nimirum dicta aqua in vapores celeriter reſoluta denſatur & concreſcit, florumque illum abradendum a reliqua maſſa dat, poſtquam calor omnis extinctus in ære fuerit, ſponte nimirum decidens poſt aquæ effuſionem colligi poteſt. MATTHIOLUS dicit, quod ſi candenti æneæ maſſæ affundatur aqua, vapor excitetur maximus, ſuper quo ſi teneatur lamina ferrea ſeu coopertorium ferreum eine Stürtze von Blech / ad ipſius parietes adhæreſcat ſubſtantia talis granuloſa. Fit etiam ex candenti ære, cum apertis foraminibus effluxit, nam attactu aëris exſilit cum ſtrepitu, qui ferreis inſtrumentis colligi poteſt, nam granulis minutis eſt ſimilis alio tempore pulveri.

Rarius in Officinis extat, ut docet LANGIUS, ex quo hæc

hæc deprompta, utpote in quibus ejus loco Cryſtalli æris aſſervantur & venduntur. Quod ſi tamen occurrit hic flos, adſtrictorius magis & uſus ejus quam ipſius cupri aut æris uſti; hinc GALENUS ex eo fieri jubet collyria ad extergendos humores oculorum nimios & tollendi ſcabritiem ſupercilio-rum. Præterea habent vim purgandi. Ulcera pudendi exedentia absque ullo morſu ſanantur hoc remedio. Adhibetur a figulis ad viridem colorem fictilibus præſtandum.

MINERALIA OLEOSIS SEU PINGUIBUS CUM ACIDO VOLATILI CONSTANTIA.

PETROLEUM.

Eſt Bitumen liquidum ex rimis petrarum, ſaxorum, & terra effluens, quandoque aquis innatans, inflammabile, diverſi coloris.

Quoad

PETROLEUM, OLEUM PETRÆ, NAPHTHA, AXUNGIA MICROCOSMI, OLEUM TERRÆ, Steinöhl / HUILE DE PETROLE.

Quidam inter Naphtham, Oleum Petræ & Oleum Terræ diſtinguunt. Differentia autem ſaltem eſt accidentalis, ſubtilius ſcilicet ſi fuerit liquidiusque, Naphtha appellatur & eſt præſertim Bitumen Babylonicum ignis rapaciſſimum; proxime NAPHTHÆ accedit PETROLEUM, OLEUM autem TERRÆ craſſius eſt & ſpiſſius. Petroleum itaque medium eſt & non è ſepulchro alicujus ſancti, ut Agyrtæ quandoque mentiuntur, provenit, ſed vel in fontibus quibusdam aquæ ſuper natat, vel è ſaxis & petris extillat, vel ex terra profluit. Habetur potiſſimum triplex PETROLEUM ALBUM, Weißſtein-Oehl. PETROLE ou HUILE DE PETROLE BLANCHE.

CHE; PETROLEUM RUBRUM, roth Steinöhl / PETROLE ROUGE, & PETROLEUM NIGRUM, ſchwartz Steinöhl/ PETROLE NOIR.

In Italia atque Sicilia multum reperitur; ſed & in aliis quoque regionibus provenit. Sic, referente KOENIG, in Alſatia ſuperiori in valle ita dicta Jecoris (vulgo Leberthal prope Geesbach (pervetuſtam metallurgiam) excurrit ex Caverna impurus, ſubpinguis, oleoſus liquor, qui licet ab agreſtibus illius loci adhibeatur vili uſui inungendarum rotarum loco picis liquidæ, iſti uſui deſtinatæ; nihilominus producit excellens Balſamum, ſi nonnihil ejus acceptum imponatur vaſi fictili bene lutato, ut nihil vaporis poſſit excludi, & tum primo lento igne, poſt acutiore coquatur tribus horis continuis, ad quas evaporatione redactum erit in quartam partem, ſubſidetque materia terreſtris ſpeciem Picis præbens in fundo: ſuperficieī autem refrigeratæ innatabit materia pinguior, ſimilis Olei Lini limpida & nonnihil ſubflava, quæ eſt percolanda a ſpiſſo ſedimento & deinde lente deſtillanda per alembicum in arena, quo facto tranſibunt duo liquores, alter phlegmaticus alter oleoſus, qui innatans phlegmati ab eo ſeparandus eſt. Phlegma adhibetur ceu Medicina excellens contra putrefactiones pulmonum & jecoris, ſanatque quævis putrida vulnera & ulcera. Materia oleoſa diluta deſtillati aceti duplici menſura & rectificata per Alembicum, producit rarum Balſamum, contra omnes interiores exterioresque corruptiones, fœtida ulcera, hæreditariam contagioſamque ſcabiem: Multum etiam adhibetur contra Apoplexiam, Paralyſin, conſumptiones vel Phthiſes, vertiginem & capitis dolorem. Interius aſſumitur cum aqua Cichorii contra corruptiones pulmonum. Species eſt Petrolei, nec continet alium ſuccum mineralem præter ſulphureum, qui ita ſub terra videtur natura deſtillatus, cum artificialis deſtillatio olei ex ſulphure non ita facile perficiatur. Quæ hactenus à KOENIG dicta fuere, de Petroleo ſuperioris Alſatiæ, illa etiam applicari poterunt Petroleo Alſatiæ inferioris, quod prope villam, cui Lamperſloch nomen, in Comitatu Hanoico ſitam, aquæ innatans invenitur nigricans, quodque diu neglectum & ad viles uſus adhibitum fuit. Nunc autem poſtquam ejus virtus in pedibus oedematoſis efficax deprehenſa fuit, juſſu Domini territorialis melius cuſtoditur.

In Gallia quoque & quidem ejus provincia Languedocia reperitur

ejusmodi

ejuſmodi oleum nigricans odoris fortis & ingrati quod a villa Gabian, unde ad alia loca defertur, appellatur HUILE DE GABIAN.

Quo ad vires Petroleum & ejus genera penetrantiſſimum eſt remedium, & tenuium partium, digerit, & reſolvit, cephalicum, nervinum & uterinum eſt. Teſte ETTMULLERO aliisque menſes ſtimulat, ſi aſſumatur in vino ad guttas 10. 20. &c. idque eo magis, ſi ſilex ſupponatur membro genitali, ac ex oleo ſilici ignito affuſo ſuffitus excipiatur, quod ſi ſimul petroleo inungatur regio pubis eo melius operabitur. Adhibetur quoque ad aliquot guttas in febre præſertim quartana ante paroxyſmum: odontalgiam dentibus inditum ſanat. Anodynum porro eſt in affectibus præſertim nervorum doloroſis, paralyticis & apoplecticis. Partibus externis illitum tempore hyberno eas præſervat a frigore; valet quoque in affectibus Nephriticis & ad pedes oedematoſos. Illud quod graveolet naribus fœminarum hyſtericarum admovetur.

℞. Ung. Martiat. ℥j, Petrol. ʒj. 🝆 deſt. Succin. Salv. Spic. ana gtt. vj. Balſam. Peruvian. ℈j. 🝉 formic. ʒij. Miſc. f. linimentum in Paralyſi Nuchæ cum ſucceſſu affricandum.

℞. Ol. Myrtill. ℥ij. Ol. Nuc. Moſch. ℥ß. Axung. jument. ℥ij. Ol. Petrol. ad pondus omnium, miſce. Eſt linimentum Muſſitani ad ſcirrhi exquiſiti augmentum impediendum.

AMBRA GRYSEA.

Eſt ſubſtantia pinguis, bituminoſa, ſolida, levis tamen, coloris cinerei ſeu gryſei, albis nihilominus exiguis maculis nigricantibusque interſperſis, ex imo maris bituminis ad inſtar profluens, mox ibi condenſata, tandemque ad maris

ſuperficiem in littora ejecta, ſaporis pinguis, odoris ſuavis & fragrantis.

Ambra

AMBRA, AMBARUS, AMBARUM. Ἄμπαρ, Ἄμβαρ, AMBRA GRYSEA, AMBRA CINEREA a colore. Ambra/ Amber/ AMBRE, AMBRE GRIS.

Ejus natura adeo tenebris involuta eſt, ut & hodiernis diebus nondum indubitato conſtet, quid revera ſit. Quidam pro ſpuma maris venditant. Alii Succinum eſſe dicunt. Alii cum KLOBIO pro ſtercore avium Madagaſcaricarum Aſchibobuck dictarum, herbis odoriferis viventium habent. Sunt qui excrementum, adipem, Hepar Balænarum eſſe contendunt. MONCONYS aliique putant eſſe favum apum excrementis mixtum, qui è magnis rupibus, ubi Apes nidulantur, quando calore ſolis excoctus fuit, vel ſponte decidit, vel ventis aut fluctibus abrumpitur. & ab aqua marina ulterius perficitur. LEMERY propterea hanc opinionem probabilem eſſe credit, quod fruſta ambræ fuerint deprehenſa, in quibus confractis mel & cera fuere reperta, quod fruſta quædam fuerint quoad partem Ambra, quoad alteram partem Cera, & quod quando diſſolvitur Ambra in ſpiritu Vini, in fundo reperiatur ſubſtantia Melliformis.

KÆMPFFERUS ut hanc opinionem refutet, & Ambram bitumineum terræ genus eſſe, ſeu pinguedinem ſubterraneam in bitumen excoctam, ex venis alveisve terræ in imum mare depoſitam; & a Sale ac Sole condenſatam oſtendat, hæcce ex Sinenſium Japonenſiumque obſervationibus, & ab ipſa inſpectione provinciarum littorumque ambram ferentium, producit argumenta. Pluribus in locis ambra colligitur, ubi nec circa littora, nec intus in regione melliferæ volucres nidificant: at plurimæ regiones apibus abundant, quarum littora ambram nunquam recipiunt. Piſcatores, qui ex rupibus littorum, circa Sinam & Javam Halcyonum nidos edules colligunt, nuſpiam talia alvearia, quæ a fluctibus deturbari putantur, ſe vidiſſe teſtantur. Apes quippe evitare ripas & tempeſtuoſa loca, provida mater natura docuit. Mel porro, Cera, favi, cum liquore humido agitata non coëunt in unũ corpus, ſed ſecedunt & diſſolvuntur. Favi cum melle ſuo, uſtionis ope, ubicunque inſpiſſati, ejusdem ſubſtantiæ coagulum referunt.

Ambræ

Ambræ vero, ex venarum ſubterranearum diverſitate, multa varietas eſt, & ſuis quæque regionibus propria, adeo, ut ex ejus inſpectione etiam natale littus, quo recepta ſit, a gnaris cognoſci poſſit. Alia enim bitumini crudiori, aſphalto vel naphtæ atræ exſiccatæ ſimilior eſt, adeoque nigrior, denſior, gravior vel minus; alia, ex nobiliorum particularum admiſſione, candidior, carior, levior vel minus; alia ſæpe fungoſa admodum. Ambra porro ex Oecani antris recentiſſime appulſa, mollis eſt vaccino ſtercori aſpectu ſimilis, atque tunc nidoroſum halitum exhibet, qualis a mellificii natura omnino alienus eſt. Non raro conchæ nitentes atræ & alia ſubmarini generis fragmenta in ambra deprehenduntur, nonnunquam & earum rerum particulæ, quas mollior in littus projecta involvere potuit; apes vero & mel nunquam. Magnæ tandem molis nonnunquam ambra invenitur, longe ultra alvearis capacitatem. Taceo, inquit KÆMPFFERUS, fragmenta monſtroſæ magnitudinis, quæ citavit GARCIAS AB ORTO. Pro mea ſententia ſufficient maſſæ minores & propriæ obſervationis. Dum apud Indos verſarer inveniebatur in littore Japonico provinciæ Kinokuni maſſa Ambræ gryſeæ, Catti amplius centum, vel libras Belgicas circiter centum & triginta pendens, quæ cum tota emptorem non inveniret, in partes quatuor forma crucis diviſa & distracta eſt: mihi quoque advenæ venum reliqua ejus quarta pars oblata fuit, ex qua integram ejus magnitudinem facile conjiciebam. Superabat hanc, magnitudinem, quæ anno 1693. ſocietati Belgicæ a Rege Tidori vendebatur Joachimicis 11000. miſſa anno ſequenti ad Amſtelodamenſem Cameram; moles 185: librarum Belgicarum accurate penſiculata, modice gryſea, non poſtremæ dignitatis figuram referens teſtudinis truncatæ caude & capite; eo pacto empta, ut pecunia reſtituatur, ſi quicquam adulterii in ea reperiretur.

Sunt, etiam qui pro reſina ex arboribus defluente & mari ingeſta venditant. Longius foret diverſas omnes recenſere opiniones, quas collegit METZGER in Ambrologia ab ejus genero LENTILIO MISCELLANEIS MEDICO PRACTICIS inſerta, collegit. Communior hodiernorum eſt ſententia eſſe bituminis cujusdam ſpeciem, quoniam affectiones & operationes Bituminis ei competunt. Et quidem eſt Bitumen denſatum, inſpiſſatum atque concretum. HELWIG in EPHEM. NAT. CUR. hæc pronunciat. Ambra

gryſea non eſt ex arboribus defluens, nec avium ſtercus, nec ſavus apum excrementis mixtus, ſed Viſcus eſt, qui in fundo maris eodem modo ac pix marina creſcit, ac coagulatur: aſſerens Mercatorem Batavum nomine NAKKE ſibi affirmaſſe, ſe oculatum fuiſſe teſtem, quod inſulani Auſtrali Orientales, Ambram gryſeam è maris fundo ceu picem deſumſerint, quodque à mari ad littus in inſulis Mauritii, Madagaſcar, & Auſtrali Orientalibus ejecta ardentiſſime ab Apris quæratur & inventa devoretur avide. De Bituminoſa atque ſulphurea porro natura teſtatur inflammabilitas & odor.

Affertur, ut LANGIUS docet, ex India Orientali potiſſimum ex Inſulis Maldivis: Reperitur etiam ad littora Æthiopica, imo in cunctis littoribus Africæ, quæ alluuntur ab Oecano, adeo ut a Capite bonæ ſpei per totum diſtrictum Africæ circumcirca verſus Inſulam Madagaſcar, quæ hodie à St. Laurentio nomen habet, prog ediendo ad Arabiam felicem, Perſiam, Indiam Orientalem & Chinam ipſa ejecta inveniatur. Ubi autem potiſſimum lateat Ambra nemo novit. Probabile interim eſt, juxta METZGER, in mineris ſuis a præterlabentibus & lambentibus aquis ablui, ſimulque in mare abripi, ubi ceu ſpuma ſuperficiei innatat ad littora protruditur & a piſcatoribus expertis colligitur. Non invenitur niſi raro in majoribus fruſtis.

Ambra ſæpius ſolet adulterari. De adulterio autem Ambræ, bonitatis nota, ac virtute ſequentia tradit KÆMPFFERUS. Recens cum in littus deponitur, maſſæ farinaceæ inſtar & adulterio recipiendo aptiſſima eſt. Nihil vero eidem facilius ingeritur, (prout ipſi adulteratores authori faſſi ſunt, quam gluma Oryzæ in pollinem redacta, nam hæc & levitatem & colorem glaucum ei conciliat; ſed quam fraudem teredines, illata carie, poſſeſſori detegunt. Ambra ex ſtorace, Benzoino aliisque odoriferis augmentata; tum pſeudo ambra ex pice, cera, reſina, ſtorace & ſimilibus compoſita: quales non raro venales offeruntur, illa paulo difficilius, hæc nullo negotio, tactu, oculis & vel ſolo ſuffitu cognoſcitur. Inventores particulas ambræ recentis in unam maſſam majorem, expanſas nimium & informes, in figuram aptiorem cogunt, unde ambræ ſæpe rotunditas, ſemper gravitas conciliatur, quæ bonitati nihil detrahit. Non eſt melior bonitatis & conſtantior nota, quam ſi candenti laminæ ejus granula aliquot imponantur, quo ipſo ſuffitus prodit adulterium, & cineris paucitas bo-

nitatem,

nitatem. Ex ambris bonis optimam reputant Sinenſes, cujus raſura aquæ calidæ immiſſa & operculata exactius disjungitur & liqueſcit. Poſtremæ notæ ea cenſetur ambra, quæ in inteſtinis Balænarum invenitur, virtute quippe ſua plurimum ibidem imminuta. Mokos, Ceti genus, trium & ad ſummum quatuor orgyiarum longitudinis, circa Japoniam capitur; cujus inteſtina frequentiſſime ambram exhibent: eſtque latentis nota, ſi inteſtinum ſolventibus illico occurrat grumoſa calcique ſimilis materia. Frequens eſt in Japonia, quæ in Balænæ extis inventa, vel cum excrementis, dum viveret, in mare egeſta fuit; unde vulgari lingua Japones Ambram appellant Kuſura noſuu, id eſt ſtercus Balænarum. Ab animalibus quoque quadrupedibus deglutiri & rejici, præſertim in America aſſerunt. Ambram à Vulpibus avidiſſime deglutiri & integram rurſum ejici docent, hinc a Mercatoribus die geſüchſte Ambra dicitur. Maximam tamen partem viribus exuta eſt hæc ambra juxta LANGIUM, qui inſuper has bonitatis notas tradit. Si non ſtatim liqueſcat in aqua fervente, quod proprium eſt ſpuriæ. Si acus candens immittatur, penetrabit ac oleum effluet, ſi genuina ſit, obſtacula deprehenduntur in ſpuria. Incinerata ambra tota deflagrat; Spuria corpuſcula terrea admixta relinquit.

ETTMULLERUS hanc probam addit. Si pauxillum decerpatur ab Ambra & hinc in manu calida bene agitetur & malaxetur, ut ipſa fiat mollis & liquida, ſicut cera, tunc eſt genuina & vera, ſin vero non bene cohæreat, ſed ab invicem ſecedat, non eſt ambra vera.

IN

Ambra in maſſa non adeo magni eſt odoris, quod ſi autem cum aliis ſubſtantiis miſceatur, halitus expanduntur, & tunc ſuum odorem egregie ſuaveolentem & jucundum minimeque moleſtum diffundit. Odor hic de particulis Ambram componentibus ſatis teſtatur. Calefacit, ſiccat, reſolvit ambra, omneſque ſpiritus refocillat, cephalica eſt & cordialis præſtantiſſima, ita ut haud abs ratione Senilis ætatis ſolatium appelletur: vim Napelli infringit, vertigini reſiſtit, apoplecticos curat & præſervat, cæteris quoque paribus epilepticis conducit. Prodeſt in Synope & catarrhis, tuſſi

tuſſi inveterata, morbis pectoris & pulmonum affectibus. Virtute gaudet aphrodiſiaca, atque ſtomachica, convenit in nauſea apepſia &c. In canina fame ſpecificum dicitur, ſi ad grana v. aut vj. in ovo ſorbili ſumatur. Medetur quoque ſingultui. Sterilitati inſuper mederi dicitur. Ob virtutem alexipharmacam a quibusdam etiam laudatur in febribus peſtilentialibus. Ambra ebrietatem cauſatur vel per ſe odorata ante uſum vini aſſumta vel cum vino deglutita, & immoderate ſumpta. Interius datur ad grana iij. vj. vij. ad ℈j. imo juxta quosdam ad ʒß. Externe cerebrum roborat præſertim frigidum uti loquuntur, hincque natos morbos ſopit, doloresque placat. Laudatur in catalepſi, comate, vertigine, ſtupore mentis, ſenum melancholia. Memoriæ lapſum à torpidis ſpiritibus, paralyſi, apoplexia &c. ortum redintegrat vel olei forma, temporibus, naribus, palato, ſuturis, ſpinæ illita, aut unguenti vel emplaſtri figura applicita, aut auribus cum moſcho & lana, ſerico &c. immiſſa. Hoc modo quoque in auditus gravitate conducit. Cordi admovetur in palpitatione. Venerem quoque externe illita auget. Parantur exinde unguenta, & emplaſtra ſtomachica, epomphalia, peſſi, ad pectoris, ventriculi, uteri tutelam &c. Laudatur ad Hyſtericas paſſiones hypogaſtrio & pudendis admota. In mulieribus propenſis minus ad Venerem jubet Rondeletius, ut geſtent ambram vel moſchum, vel Chirothecas odoratas & maxime noctu habeant ſub pulvinaribus. Reſpiciendum autem ſemper ad idioſyncraſiam & ſi ſuffocationi mulieres obnoxiæ ſint, melius eſt iſta odorata coxis alligata habere. Adhibetur quoque in ſuffimentis. Uſurpatur in forma ſiccâ vel liquida. Pulveriſatur vel cum ſeminibus frigidis vel cum ſaccharo. Miſcetur cum ſpiritu Roſarum, ſpiritu vini vel

oleis

oleis deſtillatis, & expreſſis: aſſumitur aut in vino aut in ſorbili ovo &c. Miſcetur ambra pluribus remediis compoſitis vel cum vel absque moſcho, quæ exinde dicuntur remedia completa.

℞. Confect. Alkerm. complet. ℥ß. Ambræ gryſ. ⁀ Roſar. ſolut. gr. vj. Moſch. Orient. gr. iij. Sacchar. alb. in aquæ flor. Acac. q. s. ſolut. ℥jv. fiant rotulæ roborantes.

℞. Ol. deſt. Cinam. Caryophyl. Lign. Rhod. ana ℈ß. Moſch. Ambr. gris. ana gr. ij. Sacch. aqu. Roſar. & Spirit. Vin. ana ℔j. ſecundum artem mixta filtrentur, & ſi velis ſantalo rubro tinctura inducatur. Eſt Roſſolis de Turin ambratum verum, cordiale, ſtomachicum atque cephalicum.

℞. Ambr. griſ. ʒß. Moſch. gr. xv. Sacch. cand. ʒj. Mſc. fiat pulvis, cui affund. Spir. Vin. rectif. ℥iv. digere vaſe hermetice obturato in fimo equino ad 20. aut 30. dies. Dein filtra ad uſum. Doſis guttæ vj. &c. in animi deliquio & ſupra dictis morbis.

℞. Spirit. Cinam. Citr. Ceras. Anthos ana ℥jv. Succ. Kermes. ℥ij. Miſce peroptime, filtrentur adde ⁀ Ambræ antea dicti ℥ij. Sacchar. optim. q. s. ad gratam edulcorationem. Egregium eſt reſtaurans & cephalicum pro ſenibus.

℞. Confect. Alkerm. ℥j. Spec. diambræ diamoſch dulc. ana ℥ß. Lign. aloes ʒj. Moſch. ℈j. Ambr. ʒß. ⁀ ardentis Roſar. ℥ij. Spir. Vin. Cinamomis. ℥j. Caryoph. ℥ß. Bene mixta & in phiala vitrea hermetice clauſa ſtent in digeſtione per menſem & quidem caloris leniſſimi. Defuſus liquor poſtea filtretur & uſui ſervetur. Eſt Eſſentia Moſchi Ambrata, Officinæ Regiæ Polonicæ a CNOEFFELIO exhibita, cordialis & cephalica cujus doſis guttæ vj. ad ℈j. & ultra.

℞ Moſch. ℈ß. Ambræ ℈j. Confect. Alkerm. ʒij. Spir. Roſar. Lilior. convall. ana ℥ß. Aqu. Carbunc. Elix. vit. Matthiol. ana

ana ℥j. Mixta circulentur per octiduum & diutius in vitro clauſo & optime perlutato, eſſentia poſtea Moſchi & Ambræ per chartam filtrata, odoris ſuaviſſimi, ſervetur in vitro bene munito. Confortat & reficit cor atque cerebrum. Doſis ad guttas vj. ℈ß. ℈j. in vino generoſo, aqua Cinamomi vel alio conveniente liquore.

℞. Ambr. gryſ. ʒß. Moſch. Orient. gr. xv. Sacch. Canar. albiſſ. ʒx. terantur & miſceantur optime in mortario cum ol. Citr. ex rec. exter. cortic. absque ign. extr. Ol. roſar. deſtill. ver. ana gutt. v. ol. Cinam. gutt. ij. ol Caryoph. gutt. j. Miſceantur fiatque eſſentia Ambræ Moſchata Cnoeffeliana ſolida, quæ in vino vel aliis liquoribus diſſolvi atque medicamentis aliis admiſceri poteſt.

℞. Sacch. alb. ℔ij. p. c. Aqu. roſar. Spir. Vin. optim. Gall. ana menſ. ß. ol. Cinam. deſtill. gutt. xxj. ol. Lign. Rhod. gutt. xj. ol. Caryophyll. gtt. vj. Ambræ ʒß. Santal. rubr. cochl. ij. Mſc. fiat Roſſolis.

℞. Nuc. Moſch. gr. v. mac. gr. viij. Cinamom. ℈j. Caryophyll. gr. iij. Styrac. Calam. ℈ß. flor. Lavend. Spic. Indic. ana gr. viij. Mſc. f. cum mucilag. Tragac. maſſa.

℞. Lign. Aloes optim. ʒß. Sacch. finiſſ. ʒij. Styrac. calam. Benzoes ana ℈ij. Ol. Nuc. Moſch. expr. ʒß. Ladan. gr. viij. Cer. ʒij. Mſc. f. maſſa.

℞. Lign. Aloes ℥j. Cer. alb. ʒvj. Moſch. in Spir. Roſar. ſol. ℈ß. Camphor. gr. jv. Mſc. Hæ tres proxime antecedentes formulæ ſiſtunt, juxta LENTILIUM, Ambram artificialem.

MINERALE

IN OFFICINIS PROSTANT.

Tabulæ Diambræ, Ambra-Täffelein/ *Tablettes Diambra*, ou *d'Ambre gris*. Confortantes, cephalicæ & aphrodiſiacæ adſcribuntur vires.

Species

Species Diambræ, kräfftiges Ambra-Pulver/ *Poudre Diambra.* Vires obtinent cephalicas, cordiales atque ſtomachicas ut & aphrodiſiacas. Exhibentur ad ℈ß, ad ℈ij, plerumque autem cum Saccharo in rotulas convertuntur.

Eſſentia Ambræ liquida Mindereri, Ambra-Eſſentz/ *Eſſence d'Ambre gris.* Medicamentum eſt cordiale & cephalicum, commendatur in vertigine, apoplexia memoria confortanda tum præſervative, tum curative. Datur ad guttas aliquot, ad viginti usque & ultra.

Eſſentia Ambræ ſicca completa, Ambra-Zucker oder truckene Ambra-Eſſentz mit Biſam/ *Eſſence d'Ambre gris ſecche complete.* Iisdem gaudet viribus ſuavisque admodum eſt, uſurpatur vel per ſe ad ℈ß. & paulo ultra, vel miſcetur cum Tragæis. Scrupulus continet granum unum Ambræ cum ſeptena parte grani, Moſchi vero quinque ſeptenas partes grani: dicata eſt iis, qui a Moſcho non abhorrent, adeoque præſertim ſexui maſculino.

Eſſentia Ambræ ſicca incompleta, Ambra-Zucker/ oder trockene Ambra-Eſſentz ohne Biſam/ *Eſſence d'Ambre gris ſecche incomplete.* Hujus virtutes eædem ac prioris, datur quoque eodem modo, & deſtinata iis, quibus & Moſchus & Cinamomum eſt adverſum, ſexui hinc fœminino prodeſt, Scrupulus continet granum unum Ambræ cum ſeptena parte grani circiter.

Proſtabant olim & adhuc in quibusdam Officinis proſtant ſic dicta Poma Ambræ, ita dicta quod Ambræ odorem ſpargant aut ſaltem æmulentur, quando Ambra non ingreditur. Conſtant ex fragrante aliqua reſina & aliis odoriferis. Uſurpantur potius pro voluptate quam pro ſanitate.

ARGENTUM

MINERALE FIRMIORIBUS PARTICULIS CONSTANS.

ARGENTUM FOLIATUM.

Sunt Subſtantiæ lamellatæ tenuiſſimæ ex argento inter bina coria malleo tuſo a bracteariis paratæ.

 Uſum

ARGENTUM, Græce Ἄργυρος, Chymicis dicitur LUNA, eo quod Aſtrologi atque Alchymiſtæ crediderunt, hoc metallum ex eadem cum Luna materia eſſe compoſitum, & ab hoc planeta continuo aliquid pro ejus nutritione influere. Appellatur quoque DIANA METALLORUM. Germanice Silber / Gallice ARGENT vocatur.

Argentum eſt metallum Auro proximum, minus tamen fixum, & minus ponderoſum, durum, atque ductile, ignis vim non æque ac Aurum ſuſtinens, ſonorum, candidum atque ſplendens.

Auro minus eſt ponderoſum, id quod ex plexu partium minus arcto arceſſendum eſt. Duritie tamen majori pollet, unde malleo quidem ſed minus quam Aurum ducitur. Quo autem malleo magis obediat, atque in tenuiſſimas lamellas à bractearii redigi poſſit, repurgandum eſt probe a reliquis metallis admixtis, nam ſic facilius dilatari & extenuari ſe patitur. Modus autem procedendi hic eſt: Lamellas argenti ad ignem calefactas inter duo coria, quæ ſunt membranæ interiores ex inteſtino recto bubulo aut ſuillo ſeparatæ & ſingulari plane methodo præparatæ, reddunt incudi, tunduntque ac cudunt mallei ope, donec in deſideratam tenuitatem labore iſto aſſiduo abeant. Argentum ignis vim perſentiſcit, & nonnihil de ſua ſubſtantia in igne diuturno amittit. Sonus ejus dependet à partibus rigidioribus. Candor argenti, ſi lævigetur, in ſplendorem convertitur. Quamvis autem ſit candidum atque ſplendens, nigras tamen lineas ducit in Charta.

Argentum reperitur fere in omnibus Europæ provinciis. Magna quoque copia ex America obtinetur. Reperitur autem dupliciter, vel quod ſtatim eſt ſuum, ARGENTUM PURUM gediegen Silber vel quod è mineris atque lapidibus excoquitur. Excoqui autem commode non poteſt, niſi cum plumbo nigro, aut cum vena plumbi Galena dicta, quæ juxta Argenti venas reperitur. Quia argentum impuritatibus non tantum, ſed & aliis metallis refertum atque conjunctum eſt, depuratione opus habet, quæ quidem a ſordibus externis fit lotione cum aqua, in qua ſolutus eſt tartarus atque ſal. Ab adjunctis vero metallis liberatur variis modis, per cupellationem, ubi ab omnibus metallis ignobilioribus repurgatur, & vocatur LUNA CUPELLATA atque fulminata. Ut autem etiam aurum, quod in Cupella junctum remanet, ſeparetur, hinc Luna ſolvitur in aqua forti, ubi Sol ſub forma calcis nigræ ad fundum decidit.

Uſum Argenti politicum omnes norunt: medicum quod concernit, ſpecifica ipſi vis cerebrum roborandi, ſpiritus reficiendi atque confortandi tribuitur; unde in omnibus capitis affectibus, apoplexia, epilepſia, paralyſi, vertigine & ſimilibus laudatur. An autem argentum crudum intra humanum corpus aſſumptum multæ ſit efficaciæ, exceptis in iis, qui nimium mercurii aſſumſerunt, merito dubitatur.

Si argentum in Aqua forti vel Spiritu Nitri diſſolvatur, argentum redigi poteſt in cryſtallos, quæ cauſticum ſunt remedium: ſi cuti applicentur madidæ maculam ei imprimunt nigricantem per aliquot tempus perdurantem. Specificum à quibusdam cenſentur Hydragogum & anthydropicum, unde & *Cryſtalli Lunæ purgantes*, *Luna Hydragoga* dicuntur. Doſis gr. j. ij. ad iij. & paulo ultra. Solitarie non poſſunt propinari ob ſumme nauſeoſum atque ponticum ſaporem, quem imprimunt linguæ, adeoque neceſſum eſt, ut vel ſucco glycyrrhizæ vel micæ panis, juxta BOYLE, involvantur.

In Officinis Prostat.

Lapis infernalis, *Pierre infernale.* Cauterium hocce Lunæ, communiſſimum hodiernis temporibus, mollem depaſcitur cutis carnisque ſubſtantiam; & excreſcentiis, verrucis, & fiſtularum, ulcerum vulnerumque calloſis oſtiis abſumendis fonticulisque excitandis inſervit.

Bufonia

MINERALIA TERREIS CONSTANTIA.

BUFONITES.

Eſt lapis non perſpicuus, rarius unguem humani digiti

 ſupe-

ſuperans, utplurimum figuræ circularis, quandoque tamen oblongæ, ex cinereo ac gryſeo ad aliqualem rubedinem tendens, una parte convexus, altera concavus, eleganter in convexa parte politus, maculis etiam obſcuris ea in parte ſignatus.

Buſonitus

Bufonia Gemma, Bufonius Lapis, Myoxus, Batrachites, Crapaudina, Borrax, Chelonites, Krottenſtein/Crapaudine.

De ortu hujus lapidis non conſentiunt Authores. Sunt qui cum vulgo credunt in capite Bufonis naſci, illosque eructari, ſi panno rubro imponatur bufo & verberetur. Quidam ita eum obtineri dicunt. Bufo vivens quam maximus in fictili multis foraminibus pervio ex abrupto captus imponatur & operculo contegatur ac in acervum formicarum defodiatur, poſtque menſis decurſum eximatur. Tunc enim carne a formicis exeſa ſola oſſicula & in capite bufonis lapis reperitur. Quidam ex ſpumæ viſcoſitate Bufonis elui putant. Alii cum Meret evincere volunt lapidem hunc eſſe dentes molares Lupi marini FERDINANDUS IMPERATUS refert hos lapides rupibus maris Franciæ, Sardiniæ & Majorcæ forte & alibi in partibus littoris, quæ a fluctibus pulſantur, minutorum fungorum ad inſtar innaſci, quibus non ſolum figura ſed & colore aſſimilantur: ubi nimirum reperitur ſaxum album calcinatum & ſatis durum, verum tamen fragile, quod homines gnari malleis percutientes comminuunt in partes minutas & inveniunt in illo has gemmas ad eundem modum, quo oſtreas, quas vocant, dactylos in ſaxis ſcopulorum ſub fluctibus marinis & in fundo maris. Juxta MENZELIUM in EPHEM. NAT. CUR. reperitur in Echinometris. Verba ita ſe habent. Circumferuntur paſſim lapides, qui improprie Germanis Krottenſteine vocantur, quod a bufonibus magnis & veteribus eructari, aut quocunque modo provenire putentur. Horum figura plerumque eſt rotunda diverſæ magnitudinis, quandoque ovalis ſæpius conica, ovi inſtar per medium diſſecti, quinque ſtriis vel punctorum lineis æqualiter figura pentagonica diſtinctis conſpicua: Quidam eorum figuras teſtudinum Cheloniis aſſimilant, unde Chelonitides dicuntur, quod teſtudines nuper ex ovis

excluſas

excluſas & in lapidem converſas inepte credant. Sic vocatur quædam eorum ſpecies Ovum anguinum, quod a ſerpentibus conflетur, Brontia quod tonitru, Ombria quod imbribus detrudatur, & quæ ſuperſtitio ignorantiæ mater alia atque alia nomina invenit. Verum ut brevibus proferam, quod ſentio, hunc lapidem eſſe fœtum Echinometræ, Echini marini, Spatagi, Briſſi & horum generum, in quorum teſtarum cavitatibus generetur lapis iſte, per alicujus limi aut materiæ lapideſcentis accretionem, adjuvante præſertim viſciditate inſecti demortui in teſta ſua, ſalvis aliorum judiciis, firmiter mihi perſuadeo, ita ut hic lapis a loco ſuo natali mea ſententia non abſurde appellari poſſit, Echinitis, Echinometritis, Spatagitis, Briſſidis &c. Uti enim Conchitides patriam ſibi vendicant concharum aut cochlearum cavitates, cum ſceleta vel putamina eorum nuda & vermibus ſuis orbata limoſam & lapideſcentem materiam diu in ſe retinuere, quæ tandem per annos & ſecula duriſſimi lapidis conſiſtentiam acquiſivit, & denique conſumpta putredine vel diuturna calcinatione conchæ vel cochleæ ſubſtantia formam conchylii internam cum omnibus lineamentis, tanquam Ectypum exprimit. Eodem plane modo accidit cum Echinitidibus vulgo Buſonum lapidibus, hi enim ſuorum Archetyporum, qui ſunt Echinorum marinorum teſtæ Ectypos exacte repræſentant. Nam lapides hi Echymometritides omnes cujuscunque ſint magnitudinis & figuræ, in ſuperficie ſua oſtendunt quinque ſtrias vel punctorum ordines, æqualiter inter ſe diſtantes inſtar figuræ quinquagularis, nunc ab apice ſummo, tanquam ſuperiore axe ad inferiorem excurrentes, quales viſuntur in cavitatibus teſtarum Echinometrarum, nunc in medio lapidis corpore ſubſiſtentes, uti conſpiciuntur in putaminibus Spatagorum ab antiquis ita nominatorum. Hi Lapides in teſtis Echinometrarum variarum geniti quandoque teſtas ſuas vel integras vel caſu fractas & particulatim retinent, unde a quibusdam pro Echynometris petrificatis & in lapidem converſis habentur. Etſi autem petrificationem variarum rerum & ſic quoque echinorum marinorum negare nolim, cum ſcilicet res animata, cum omnibus ſuis internis & externis partibus à cauſa lapidifica in duritiem lapidis vertitur; lubentius tamen ſtatuerem petrificationem echinorum marinorum contingere tum demum, cum echini inſecto (quod de genere polypi & ſtellæ marinæ eſſe arbitror, & per ſe alias, uti reliqua marina inſecta, gelatinoſum vel viſcoſum corpus obtinet, ſicuti in littoribus maris

maris Balthici paſſim videre licet) interempto vel alias mortuo, materia limoſa lapidifica varia in æquore ſalſo contenta ſeſe paulatim inſinuat teſtis echinometrarum tanquam nudis ſceletis vel corticibus & inibi colligitur, paulatim condenſatur & per aliquot ſecula tandem, pro materiæ conditione in duriſſimum lapidem concreſcit, qui ratione vel viſciditatis materiæ vel ſiccitatis ejusdem teſtas Echinorum marinorum vel retinet totaliter, vel ex parte, vel denique teſta penitus recedit a materia lapidis ſicca & relinquit veſtigia formæ ſui Archetypi (quam habet in convexitate ſua) lapidi impreſſa.

Quicquid ſit, falſum eſt hos lapides a Bufonibus provenire.

AMETHYSTUS

Bufonites, ut corpus alcalinum abſorbere poteſt acidum, & in alvi fluxibus conducere; ſed rarius uſurpatur. Geſtatus antiquos Renum dolores tollit, & lapidis prohibet generationem, ventriculo, febribus, venenatis ictibus confert. Omne virus elicit conſumitque. Crebro attritu contactuque tumores & inflationes a venenatis beſtiis allatas diſcutit. In annulis portatur & appenditur, quod veneno præſente colorem ſuum mutet & quaſi ſudoris guttas emittat, & a veneno peſtiferos tutos reddat. Commendatur quoque appenſus ad omnem affectum puerorum præſertim in verminantibus cum & ſine febre. Contra vertiginem capiti, in pleuritide bracchio aut ipſi loco dolenti applicatur. Celebratur quoque contra Epilepſiam. Verum plurimæ, ſi non omnes, harum virtutum ſunt imaginariæ. Curioſum eſt, quod ſi lapis hic propius admoveatur candelæ ardenti ſenſim illa extinguatur, quia ſcilicet convexa figura gaudet. LANGIUS hoc ultimum aſſerit, mihi experimentum non reſpondit.

AME-

AMETHYSTUS.

Eſt gemma ſeu lapis perſpicuus coloris ex rubro cærulei vel violacei, aliquando ad flavedinem inclinantis, conſiſtentiæ plus minus ſolidæ.

AMETHYSTUS dicitur ἀπὸ τοῦ μεθύσκειν inebriari, & α privativo, quod ebrietati reſiſtere credatur, idque colorem vini indicare ſua ſignatura quidam putant, Amethyſt/ AMETHISTE.

Dividitur Amethyſtus, ut LANGIUS habet, in Orientalem & Occidentalem. Orientalis in India reperitur, Arabia, Armenia, Æthiopia Galatia, ac Cypro aliisque Orientalibus locis. Occidentalis reperitur in Miſnia præſertim circa arcem Hohenſtein & Wolckenſtein. Reperitur etiam in Bohemia. Dantur etiam fluvii Amethyſtorum feraces; ſic in Bruſca in noſtra Alſatia quandoque reperiuntur. Species Amethyſti quinque potiſſimum ſunt; quarum prima Indica eſt, quæ abſolutum purpureæ colorem refert & optima eſt: Secunda quæ ad Hyacynthum deſcendit, cujus colorem Indi Sacon & gemmam Sacodion appellitant. Tertia quæ Paranitis dicitur in contermino Arabiæ reperibilis. Quarta vini colorem oſtentat ac etiam in Germania ſed mollior & vilior reperitur. Quinta ad colorem cryſtalli accedit albicante purpuræ dejectu, quæ minime probatur.

ÆTITES,

Gemma hæc ſculpturæ eſt facilis. Referunt Amethyſtum geſtatum ebrietatem arcere. Alii umbilico admovent ut vini inebriativas partes ad ſe trahat. Alii malas cogitationes proſcribere dicunt, ingeniumque acuere, ſomnum minuere ac vigilantiam & induſtriam efficere, venenis reſiſtere ac geſtationem mulierum faciliorem reddere. Regibus & principibus efficit gratos, qui ipſum geſtant. Fertur quoque grandines avertere & fulgura. Laudatur quoque contra

tra præſtigiatorum impoſturas. Celebratur porro contra Lethargum & in peſte a Paracelſo deprædicatur.

ÆTITES.

Eſt lapis prægnans intus, cum quatitur alio veluti ſonante, magnitudinis ac figuræ diverſæ utplurimum coloris pulli ſeu ſubfuſci quandoque tamen albicantis, cinerei, ruffi aut nigricantis, ſuperficie nunc glaber nunc inæqualis, conſiſtentiæ ſolidæ ſatis, ſubinde alio tempore friabilis, odoris utplurimum expers, quandoque tamen Iridem vel violam ſpirans.

De

ÆTITES, Ἀετίτης, λίθος ἀετίτης, LAPIS AQUILINUS, AQUILEUS, ab Aquila, quoniam credebant ſed falſo, in nidis Aquilarum naſci, aut ſaltem ibidem reperiri, deportatos illuc ab Aquilis, tum ut nidos ſuos & pullos muniant verſus varias injurias, tum ad contegenda ova; ne nimis cito incaleſcant, vel ad excluſionem promovendam. Alii putant appellari a colore aquilæ candicante cauda. HERODIALIS quoque lapis nuncupatur, quia Herodius eſt Aquila. Adlerſtein/ Klapperſtein/ PIERRE D'AIGLE.

Lapides hos ut jam annotatum, crediderunt gigni in nidis aquilarum, aut ſaltem ab aquilis eo deportari. Ajunt binos ſemper inveniri marem & fœminam nec ſine iis parere aquilas & ideo binos tantummodo. Falluntur hi æque ac illi, qui in ventre aquilæ reperiri aut ex cerebro vel capite eximi dicunt. Certo, inquit BAUSCHIUS, qui peculiarem de hoc Lapide tractatum ſcripſit, certius eſt, in fluminibus, rivis, oceano ejus littore, agris montibus ſaxorumque commiſſuris Ætites inveniri, ſed qui e nido Aquilæ ſe abſtuliſſe, affirmaret de bonis authoribus, & fide dignis Viris, vidi audivique adhuc neminem.

Præcipua Ætitis differentia eſt a contentis. Prægnans enim eſt vel lapillis, vel terra, vel arena, vel aqua. Continetur nimirum, in concavitate

cavitate Ætitis lapis, ſolutus & reliquo corpore, Callimus, Callaimus, Callimius dictus, qui variat colore & duritie, aliquando etiam ex parte translucens eſt & tranſparens, cryſtalli inſtar ex parte colorem nubilum cæruleum oſtentat, quandoque niger eſt. Vel continetur in concavitate ætitis arena, qui ætites Diſcoridis & Geodes improprie dicitur, cum potius ætites ammites appellandus ſit. Vel continetur in concavitate ætitis terra, marga ſeu argilla, eaque aut candida, aut flava aut crocea, aut rubra, aut ſubpurpurea, aut cinerea, aut miniata & luteo pallida. Hicque Geodes, Gæodes, γεώδης, γαιώδης, Ætites Geodes commodiſſime & proprie vocatur. Vel continetur in concavitate ætitis aqua, & vocatur Enhydros. Differunt porro Ætitæ loco, ubi inveniuntur, hinc dividuntur in Orientales Occidentales & ſeptentrionales; juxta BAUSCHIUM, quidni & meridionales. Porro ex his lapidibus quidam ſunt rotundi globoſi, ovales, alii dilatati ſeu compreſſi aut depreſſæ rotunditatis; oblongi alii, acuti & utrimque acuminati, cuneiformes nonnulli, quidam angulati. Reperiuntur & glebæ inſtar panis, plures ætitas in ſe continentes. Porro alius eſt albus, colore rubiginis ſeu ochræ, quidam rutilus vel ſubrutilus aut rubeus; nonnullus cinereus vel pallido cinereus; alius pullus ſeu nigricans; alius ex rubro impuro albus, alius plane niger. Datur lapis lævis & glaber, datur etiam aſper ſeu ſcaber. Minores quidam exiſtunt raro pruni aut armeniaci mali minoris magnitudinem ſuperantes: quidam vero pugni magnitudinem ſuperantes; quidam pugni magnitudinem ſæpe æquant, aliquando ſuperant. Reperiuntur duri, adeo ut percuſſi cum chalybe ignis ſcintillulas emittant, reperiuntur etiam molles & friabiles. Quidam odorati ſunt, quidam inodori.

CHRYSOLYTHUS

De viribus recte pronunciat BAUSCHIUS, quod multa promittantur vana, quæ non ſolum medicinæ, ſed & naturæ limites egrediuntur. Præcipua vis, quæ ætitæ adſcribitur, eſt, quod ſterilitati medeatur, fœtum retineat, partum promoveat, ſecundinas, lochia cieat. Ut fœminis lubricum uterum habentibus vim concipiendi adferat, aut pectori aut bracchio alligatur ea parte, qua a corde verſus digitum annularem arteria decurrit. Ut abortum præcaveat

è collo ſuſpenſus geſtatur, aut ſub alis, aut bracchio ſiniſtro, inter mammas aut ventriculo appoſitus, vel nudus vel corio vitulino involutus: ut vero partum absque dolore promoveat, femori ſiniſtro, non procul ab oſſe pubis alligatur. Imo tanta virtute attractrice gaudere a quibusdam traditur, ut ſi partus exciderit, ſtatim amovendus ſit lapis, ne matrix etiam excidat. Nugæ & fabulæ. Ad ſecundinas remorantes promovendas etiam inferioribus alligatur partibus. Ad lochia cienda pulvis interne propinatur. Laudatur porro Ætites contra vertiginem, dolorem capitis, aliarumq; partium, ſi eo tangantur. Cum magnete intra ſcapulas geſtatus à catarrhis caput evacuat. Geſtatus porro comitiales paroxyſmos prohibet. Prodeſt arthriticis ac paralyticis cum emplaſtro adhibitus. Verrucas, clavos, thymos & myrmecias applicatus ſanat, præſertim ſi ſæpius eo ad eruptionem ſanguinis usque confricentur. Alligatus oſſa confracta reſtaurare fertur. Pulvis intro ſumptus ſanat vulnera & ſanguinis fluxum cohibet. Prodeſt contra cordis morbos, arque pleuritidem ad ʒj. ad ʒij aſſumptus. Lac autem tum cum vino aut brodio potus, tum intra mammas appenſus auget. Vermes necat & dolori colico & uterino medetur. Medulla Ætitis ambuſtis ſuperimpoſita conducit. Laudatur ad omnes febres. Contra venena & veneficia, portatus, ut carnem tangat, commendatur. Serpentes arcere & venenoſa animalia fugare creditur. Lapis porro hic geſtatus, ut inguen attingat, prohibet ne inteſtinum aſſidue delabatur. O quantum eſt in rebus inane, ſed jam riſum teneatis amini Κλεπτέλεγχος γίνεται, ad furem deprehendendum panis ætitis pulvere commixtus ſuſpecto porrigatur, qui, ſi criminis conſcius eſt, non poterit deglutire. Lapis hic porro uxorum furta deprehendit vel futura præſagit. Si ſupponatur ætites patinis venenum continentibus, illud ferculum deglu-

deglutire non poterunt comedentes. Si eduliis imponatur, dubitationem eximet , an quis amicus vel inimicus fuerit, amicus enim evomet , remoto vero lapide absque nauſea edet. Geſtatus amorem generare præſertim inter virum & mulierem , divitias augere , præterea invictum , omnibus gratum geſtantem efficere traditur. Fructus arborum retinet in ſummitate earumdem alligatus inferius vero facit ut decidant. Aquæ bullientis in lebete fervorem extinguit; ſed ſatis fabularum quas in gratiam eorum, qui ridere geſtiunt, apponere voluimus.

Si quid hic lapis in Medicina agit, agit abſorbendo, exſiccando & adſtringendo , quæ virtus etiam competit Geodi.

CHRYSOLITHUS.

Eſt gemma pellucida nunc dilute ex flavo viridis, nunc magis ad aureum colorem inclinans.

Creditur

CHRYSOLYTHUS quaſi diceres lapidem aureum, ſed hoc modo omnibus gemmis competit aureo colore pictis. Vocatur etiam CHRYSOPATIUS, CHRYSOLAMPUS, CHRYSOPAGIUM, CHRYSOPSIS , CHRYSOBERILLUS , CHRYSOPRASSUS, TOPAZIUS, Chryſolith/ CHRYSOLITHE.

Equidem, ut LANGIUS loquitur, diſtinctim de his gemmis loquitur PLINIUS, verum gradualis intercedens differentia fecit, ut hodie non penitus diſtinguantur, ſcilicet antiquorum Chryſolithus hodie Topazius, & antiquorum Topazius hodie Chryſolithus audit. Topazius dicitur a patria inſula ſcilicet Topazon Troglodytarum aut à Græco τοπάζειν quod indagare ſignificat. Hodie gemmariorum Topazius pure & flaveſcens, nulloque alio colore mixtus, ſed aquam Rhabarbaro vel croco tinctam videtur referre. Habetur Orientalis & Occidentalis.

Creditur facere ad roborandum, ad aſthma, melancholiam & faſcina tollenda. Laudatur quoque ad epilepſiam curandam & ad ſanguinem ſiſtendum vulneribus applicatus, creditur timores nocturnos minuere, moleſtisque inſomniis adverſari, ſiniſtro ſcilicet bracchio alligatus, aut collo ſuſpenſus auroque incluſus. Aufert ſtultitiam, promovet ſapientiam, ſed recte pronunciat LANGIUS, quod vanæ ſint hæ vires. Agit abſorbendo ſi quid præſtat.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Lapis Chryſolithus præparatus, präparirter Chryſolith / *Chryſolithe preparé.*

LAPIS NEPHRITICUS.

Eſt gemma magis opaca quam perſpicua, nunc viridis ſolum, nunc mixta, hoc eſt ex viridi alba aut flava, cærulea vel nigra, ita tamen ut viriditas ſemper prævaleat, unctuoſa eſt nunquam non in ſuperficie, ac ſi oleo eſſet inuncta, hincque exacte poliri haud poteſt.

Quod

Nominis ratio ab effectu petenda eſt, dicitur nimirum NEPHRITICUS, quoniam renum doloribus ex calculi præſentia potiſſimum oriundis mederi dicitur. Grießſtein / PIERRE NEPHRETIQUE.

Affertur lapis Nephriticus ex nova Hiſpania, fruſtaque ſæpe grandia ſatis efferuntur, invenitur tamen item in Hiſpania dubioque ſine ex mente LANGII etiam in aliis locis, quoniam vero vel ad Praſſium lapidem Jaſpidem referunt, ideo non animadervitur.

Differentia ejus varia eſt, nunc nimirum totus eſt viridis, nunc variegatus, ita tamen ut primarius color ſit viridis, cui venulæ interſperſæ ſunt diverſæ, albicantes, flaveſcentes, cæruleæ nigræque. Rarior eſt flavus ſeu melleus, ſed efficacior, rariſſimus ſi omnino albicet.

In

Quod Medicum uſum hujus lapidis concernit, appenſus creditur removere omnes dolores renum, pellere calculum & arenas ſine omni moleſtia. Confert quoque in ſtomachi doloribus, item in Iſchiadico malo, ſi ſupra locum dolentem ligetur. Alligatur communiter vel carpo, ubi arteria micat, vel renum regioni aut coxæ iliumque oſſi in iſchiadico malo. KOENIG dicit, quod calculum quandoque tam valide moveat, ut eum deponere ſæpe coacti fuerint geſtantes. Intus datur ſub forma pulveris. Quoniam autem plures hujus lapidis ſunt ſpceies, ſi forſan non prima ſtatim vice ab applicato hoc remedio ſolatium experiantur ægri, neutiquam, ex pronunciato Langii, dubitari debet de ejus efficacia. Imprimis vero qui viridis eſt inſtar Jaſpidis ac albicantibus punctulis ſignatus, ille imprimis efficaciſſimus deprehendi poteſt. Quod ſi tamen nec ab hoc ſtatim effectus ſequitur deſideratus ſuaſu LAETII tentari debet, donec genuinus inveniatur. Ut aliquid ſuperſtitioſi quoque poſſideat, perhibent ipſum amores conciliare inter homines.

IN OFFICINIS EXTAT.

Lapis Nephriticus præparatus, präparirter Grießſtein / *Pierre Nephretique preparée.* Cujus doſis ad ʒß. ʒj. Agit ut alii lapides abſorbendo.

LAPIS

LAPIS JUDAICUS.

Eſt Lapis ex albo coloris cinerei, olivæ ſeu glandis magnitudinem adæquans, tener & friabilis, ſtriis ſecundum longitudinem diſcurrentibus & æque diſtantibus non ſecus ac ſi arte eſſent factæ, conſtans, inſipidus ac inodorus, igni admotus ſtatim crepitat, fractus inſtar marmoris ſplendet.

LAPIS JUDAICUS à loco natali juxta quosdam dicitur, Judenſtein/ Gulden-Olivenſtein/ Stein-Oliven/ PIERRE JUDAIQUE, dicitur ita à figura glandis: dicitur quoque fructus Palmæ Phœnicites, à fructu Olivæ Pyrænen vocant, CYSTOLITHOS quoque audit, quoniam calculum veſicæ frangit; item THECOLITHOS, quia Oleæ nucleo ſimilis, aut quoniam calculo medetur, quam etiam ob cauſam & quia urinam fluere facit, nuncupatur EURHOEUS.

Non tantum in Judæa provenit ſed reperitur paſſim in Germania. Invenitur etiam in Anglia.

Duplex eſt major & minor, ille mas, hic fœmina dicitur, porro eſt vel ſubrotundus vel longus.

Urinæ difficultatem tollit, in calculo veſicæ jubent ut ſubrotundus adhibeatur, longior vero in renum. Si Lapis hic tritus cum aqua ſubactus ad glutinis conſiſtentiam abraſis primo pilis regioni pubis applicatur pro ſcopo lithontriptico laudatur. Pulvis hujus lapidis cum oleo myrtino illitus podagricis doloribus reſiſtere creditur. Cum Saccharo cando datur in dyſuria.

LAPIS LYNCIS.

Belemnites eſt Lapis teres è latiori baſi in apicem obtuſum deſinens, externe lævis, coloris modo albicantis, modo obſcuri luteo nigri, ſæpiſſime opacus quandoque perſpicuus, quandoque plenus, ſæpius tres cavas lineas obtinet, à centro ad peripheriam radiatas, binasque alias ſecundum longitudinem extenſas, pollicis quandoque craſſitiei eſt & longitudinis, inſipidus & inodorus niſi uſtuletur aut ſaltem fricetur, ubi oſſium accenſorum, cornuum limatoruum aut foetorem urinæ felium ſpirare dicitur.

Alcu-

Dicitur LAPIS LYNCIS, quia ex urina Lyncis originem trahere crede-

credebatur, nam ſtatim urinam hanc redditam in Lapidem coaleſcere voluerunt. Audit quoque LYNCURIUS, Græcis Lapis λύγξ, DACTYLUS IDÆUS, SAGITTA, BELEMNITES à figura. SAGITTA INCUBI, eo quod contra Incubum valeat, Luxſtein / BELEMNITE, PIERRE DE LYNX. Quod ex Urina Lyncis non proveniat ſuo jam tempore oſtendit DIOSCORIDES.

Reperitur in variis montibus & hic quidem in Alſatia diverſis in locis, imprimis prope Buxovillam. Diverſæ magnitudinis exiſtit. Dantur minimi, minores, mediocres, maximi. Inventi ſunt, ut docet LANGIUS, humanæ tibiæ craſſitiem adæquantes. Differunt quoque ratione coloris. Cavitas haut raro ineſt, quæ in recenter effoſis terra, luto, aliaque plus minus ſolida ſubſtantia referta eſt. Quandoque Lapis Lyncis alium ſimilem in ſe continet, qualem ipſe poſſideo. Datur etiam Belemnites ferrugineus involutus ochra ferruginea.

Calculum frangere & pleuritidi mederi dicitur, laudatur adverſus Ephialtem ſeu incubum, ad vulnera, ad dentes expurgandos, præſertim ſi uſtus fuerit, ſicuti hac ratione in excreſcentiis carneis oculorum inflatus exiccat, ut & ulcera ſi inſpergatur.

Laudatur quoque adverſus febres inter mittentes. Datur ad ʒß. vel ℈ij. in aceto hora una vel circiter ante paroxyſmum.

ALABASTRUM.

Eſt ſpecies marmoris verum ipſo mollior coloris nunc candidi, alio tempore nigricantis cinerei, rubri lutei, nunc variegati eleganter, & cum maculis aut venis diverſis ſignata odore & ſapore carens.

Interne

Nomen ſuum habet ab Alabaſtro oppido Phrygiæ ſeu Thebaidos, ubi

ubi copioſe quondam effodiebatur. Quidam derivant ab α privativo & λαμβάνω corripio, quoniam vaſa exinde adeo tenera & friabilia parantur, ut vix manibus detineri queant. ALABASTRITES etiam dicitur. Vocabatur etiam OPHITES priſcis temporibus, item ONYX. In ſpecie ſic dicitur, qui in ruffo candicat, röthlich Alabaſter / propter ſimilitudinem, quam habet ad Onychem, hinc etiam vocatur GALENO UNGUIS, eo quod referat candorem unguis humani. Germanice appellatur Alabaſter / Gallice ALBATRE.

Gypſo ſolidior eſt hic Lapis in diverſis reperiundus regionibus.

Interne, ut LANGIUS docet refrigerat blande, adſtringit, hinc in febribus intermittentibus, item in diarrhœis & dyſenteriis non contemnendum eſt remedium. Si autem in uſum trahitur, minime debet eſſe calcinatus. Globuli exinde tornantur in febribus ad ſitim ſedandam in manu tenendi vel ſub lingua volutandi. Si calcinetur forti igne alabaſtrum, calcis vivæ proprietates acquirit: unde dicente ETTMULLERO non mirum eſt, ſi aqua, in qua alabaſtrites calcinatus eſt ablutus, contra gangrænam laudetur, ſicuti Alabaſtrites calcinatus inſtar calcis vivæ lotæ ulcera curat, oculorum lachrymas ac lippitudines corrigit. Crematus cum reſina aut pice duritiem ſtomachi diſcutit. Non calcinatus abſorbendo acidum & acre conducit in ſtomacace, gingivas roborat & dentes firmat. Exinde parantur ædificia ac palatia. Statuæ inde fiunt, & quondam teſte Plinio vaſa exin parabantur, pro aſſervandis unguentis fragrantibus.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Unguentum Alabaſtrinum, Alabaſter-Sälblein / *Onguent d'Albaſtre.* Conferre dicitur in doloribus capitis ſive per eſſentiam ſive per conſenſum ortis, cum febre vel abſque febre conjunctis, præſertim in dolore

lore capitis bilioſo, febribus phrenitide. Aſſeritur quoque refrigerare & ſanguinis æſtum ſedare, ſomnumque conciliare, temporibus, fronti, plantis pedum ac ſpinæ dorſi applicatur: Unguentum hoc cum ſui ſimilibus vetuſtate pallidius fit.

GYPSUM.

Eſt lapideum concretum ſaxi cujusdam calcarii ſeu ſpeciei Alabaſtri, coloris diverſi, conſiſtentiæ plus minus mollioris, ſapore deſtitutum, quod calcinatum igne forti abit in ſubſtantiam, ſeu terram albam, admodum cognatam calci vivæ, utpote quæ aqua madefacta paulo poſt firmiſſime in lapideum corpus rurſum concreſcit & induratur.

Γύψος, GYPSUS, GYPSI VENA, Gyps / Spaat, Kalck. PLATRE CRUD, ante uſtionem; & PLATRE CUIT poſt calcinationem.

GYPSUM, quod etiam SAXUM CALCIS dicitur, eruitur diverſis & plurimis Europæ in regionibus. Cujusque autem coloris ſit lapis Gypſiarius, ſemper poſt uſtionem albeſcit. Pulvis ex lapide Gypſeo uſtus, ſi ipſi aqua affundatur & exin maſſa formetur fluida, intra paucas horas in lapideum corpus denuo concreſcit, poſtmodum vero denuo ſi contundas hoc corpus, utut aquam affundas, virtute tamen hac prorſus deſtituitur.

RUBRICA

Uſus Medicus, docente LANGIO, lapidis hujus antequam uratur, adhuc aliquis eſt, intus tamen tuto poſt uſtionem non aſſumitur, ob metum ſtrangulationis aut lapideſcentiæ intra corpus, unde infinitæ moleſtiæ futuræ. Inter venena ſtrangulatoria refertur. Ejus antidotum inter alia dicitur Muſcerda. Externe Gypſum calcinatum cancrum exulceratum exſiccat. Idem præſtat in ſcabie fœda. In cervi-

cis uteri mulierum ulceribus Gypſum plantis taumaticis Balneo vel ſemicupio incoquendis immiſcetur. Sanguinis fluxum cum albumine ovorum illitum ſiſtit, & cum pilis leporinis mixtum. Major uſus eſt Mechanicus, nimirum non tantum ex crudo hoc lapide vaſa diverſa fiunt ac ſtatuæ, verum ſi farina uſta in aqua ſolvatur, varia ornamenta ædificiorum, hominumque imagines formari poſſunt, quibus cera infunditur poſthac; Germanice in Wachs poſſieren. Pictores quoque utuntur, dum cum diverſis coloribus tritis Gypſum miſcent, & maſſam humectatam in penicilla duriora cogunt, quibus poſthac alio humido accedente quævis pingunt. Vocant colores ſiccos trockene Farben. Ex Gypſo, Plumbo uſto cum Terebinthina Spiritu Vini diluta fit Bitumen, quod pluviis perennibus reſiſtit, velut marmor quoddam eſſet: imprimis vero elegans artificium eo fit, dum in maſſulam ex eo & aqua tepida formatam inſecta ſæpius immerguntur, ut cruſta dehinc exſiccetur & inſectum intus latitans calcinatione nova comburi poſſit, ſicque exactiſſime partes omnes inſecti per ſtannum liquatum vel aliud metallum infuſum repræſentari queant.

℞. Gypſi ℥j. Frag. Spong. Lap. Spongiæ, Rad Pimpinana ʒß. Herb. Artem. man. j. Mſc. f. pulvis interne uſurpandus cuſpidatim ad ſcrophularum Gypſeum coagulum demendum, ſed caute, quoniam inter venena ſtrangulatoria recenſetur Gypſum, adhibeatur.

℞. Farin. Gypſi, albumin. Ovi, Crin. Leporin. F. Turunda contra hæmorrhagias narium & vulnerum.

RUBRICA.

Eſt terra compacta ac pene lapidoſa naturæ Martialis, ſaporis adſtringentis, coloris rubri.

Ad:

RUBRICA a colore rubro, GRAPHIUM RUBRUM, TERRA SINOPICA & PONTICA, quoniam multum olim vendebatur in Sinope Ponti urbe, Rötel/ Rötelſtein/ Craye rouge, CRAYON ROUGE.

Reperitur utplurimum in fodinis ferrariis, imprimis in Thuringia, & duplicis eſt generis vel mollis, qua ſicca adhibita lineas perducere cum illa fabri poſſunt, vel dura quod tunc demum quando madefacta fuit, apta eſt huic negotio.

Adſtringit, dubio ſine, ut LANGIUS loquitur, propter particulas Martiales adjunctas, hinc vulgus ſibi remedium adverſus dyſenteriam & ſputum ſanguinis in illa quærit, & externe in vulneribus adhibet. Præparari exin poteſt Tinctura Martis adſtringens per ſpiritum ſalis affuſum, qui totam pene rubricam ſolvit, pauca remanente terra argillacea.

TERRA MELITÆA.

Eſt Terra albicans admodum, inſtar cretæ & facile friabilis, tactu lævis, in qua ſæpius in una parte effigies S. Pauli tenentis viperam gladio circumvolutam, ab altera vero parte figura crucis Melitenſis conſpicitur. Sunt etiam fruſta, quæ vel agnum Dei habent impreſſum vel nomen Salvatoris cum tribus clavis, vel etiam alio modo ſunt notata.

Vocatur alias TERRA S. PAULI reperitur in Inſula Maltha ſeu Melita.

AGARICUS

Terra Melitæa contra morſus viperarum & ſerpentum ſpecialiter commendatur, quoniam à tempore Pauli non amplius ulli ſerpentes vel Viperæ in Inſula Melita reperiuntur, ſi credere fas eſt.

LAC LUNÆ.

Eſt terra friabilis, fungoſa & levis, coloris albi, facile in aqua diſſolubilis, aquamque lacteo colore tingens & odoris expers.

AGARICUS FOSSILIS, AGARICUS PETRÆUS ſeu MINERALIS, SAXATILIS, à ſumma levitate & friabilitate cum Agarico vegetabili. FUNGUS PETRÆUS, MINERALIS. LAC LUNÆ a colore lacteo ſeu Lunari. Mohn-Milch. AGARIC MINERAL, LAIT DE LUNE.

Reperitur in Germania hæc Margæ friabilis ſpecies, citra petras vel ſaxa, imprimis in Helvetiæ pluribus montibus, in ſpelunca fracti montis ſeu Pilati montis, quæ in ſupremo cacumine viſitur & ab incolis das Monloch appellatur, teſte WAGNER, unde forſan etiam a loco natali, annotante LANGIO, Mohnmilch dicitur, præſertim, quoniam juxta eundem authorem, quamdiu adhuc in commiſſuris ſeu fiſſuris terræ & ſaxorum hæret, tenera ac fluida eſt.

Deſiccat ſine morſu, adſtringit, convenit in vulneribus. Interne datur in lacte augendo ad ℈j. ʒß. ubi ſpecificum habetur. In profluviis ſanguinis prodeſt, Urinam pellit & in febribus continuis adhibetur. Aliqui ſuperſtitioſi, teſte GESNERO, in omnibus morbis convenire tradunt, modo dum foditur, ejus, cui exhiberi debet nomen efferatur. Uſurpari in polypo narium, juxta WEDELIUM, poteſt quia valde exſiccat.

LAPIS SPONGIÆ.

Eſt concretum lapidoſum, ex cinereo fuſcum, admodum leve ac ponderoſum, ſpongiæ marinæ faciem quodammodo

modo referens , ex ſpuma maris terreſtriumque particularum congeſtione circa radices aut folia, vel cannas quorumdam vegetabilium , aut pilæ marinæ ramenta , aut muſcum arboreum , conchulam aliquam , aut aliud quodpiam corpus ortum & augmentum ſumens , odoris nullius , ſaporis arenoſi ac quodammodo ſalſi.

Vocatur antiquis ADARCE, ADARCION, ANTIPATHES, SPONGITES, CISTEOLITHUS, CALAMACHUS id eſt arundinum ſpuma. Nomen habet Lapis ſpongiæ a ſpongioſitate ſeu poroſitate ſua, qua ſpongiæ marinæ faciem quodammodo refert, minime vero, ut LANGIUS docet, a matrice ſua, quam maxima Naturæ Scrutatorum pars ſpongiam marinam dicit , & in cujus penetralibus noſtrum concretum reperiri autumant, Schwammſtein/ PIERRE D'EPONGE.

Equidem (ſunt rurſus verba Langiana) id non negandum eſt , in ſpongiis ſæpe numero calculos reperiri, adeoque in eo Autoritas antiquorum conſervari poteſt, verum modo attendamus ad illorum lapillorum figuram minime noſtro ſpongiti reſpondet.

Cum vino potus calculos renum frangere dicitur, inſervit contra ſtrumas : interne datur. Adhibetur quoque calcinatus pro eodem ſcopo.

SMIRITES.

Eſt Lapis ſeu potius minera ferrei coloris, ad nigredinem tendens, ſcintillans, & quadantenus rubiginis veſtigium oſtendens, duriſſimæ omnino ſubſtantiæ.

Eo

LAPIS SMIRIS, Smergel/ Smirgel. ÉMERY OU PIERRE D'EMERY.

Dividitur hodie in Smiritem Hiſpanicum, quem ex mineris Peruanis

nis obtinent, qui habet venulas aureas inſperſas. Altera ſpecies è mineris cupreis eruitur in Suecia, ſæpeque pro Hiſpanica divenditur, differt tamen quod lineolæ aureæ deficiant. Tertia è mineris ferreis extrahitur & eſt ſpecies vulgatiſſima, eruiturque frequenter in Anglia. Reperitur in auri argenti, cupri, & ferri fodinis. Quia ad cotem aquarium ſuccum reddit ſanguineum, a quibusdam Hæmatitis dura quædam ſpecies ſtatuitur, ſed male, judice LANGIO, non nimirum omnis minera rubens Hæmatites eſt, multo minus ſi ad cotem ruffeſcat attrita. Habet interim Smirites Hiſpanicus aurum ſibi junctum, hinc novit prædictus LANGIUS Chymicum, qui levi pretio aliquando Smiritis inſignem ſibi comparavit copiam, aurique pondus ſatis largum inde extraxit. Sed cautius hodie mercari didicerunt Hiſpani, a quibus ille antea quantitatem hanc obtinuerat, ipſique prius nobile hoc metallum educunt.

STANNUM

Eo varii utuntur artifices, ut WORMIUS loquitur. Gemmarii Sculptores poliendis gemmis ejus uſum ſibi vindicarunt. Vitriarii eo Vitra non ſecus ac Adamante ſecant. Frabri Armarii ad loricas mundandas & a rubigine liberandas, vaſi rotundo cum loricis imponunt & frequenti rotatione circumagunt, ut hinc inde jactata lorica, ſmiridisque pulvere per annulos ſæpius decidente, lateraque ejus affricante melius mundetur. Enſes etiam & alia arma eo a rubigine vindicantur. Ad erodendum & urendum commendat Cæſalpinus. Ad humentes item gingivas & dentifricia ejus pulvere utuntur: pollet enim inſigni vi abſtergente. Bene autem ejus uſum diſſuadet Lemery in dentifriciis.

Ad fingendos typos pro formandis numiſmatibus, Smiris valde probatur, nimirum ei optime trito igneque candefacto aqua aſpergitur ad modum paſtæ, ſicque typi per ſpatium multorum annorum duraturi formantur, quin imo ſi frangantur, rurſus conferunt, & iterum finguntur & meliores evadunt.

WORMIO

WORMIO teſte Chymici tincturam ex eo extrahunt, quo Mercurium in momento quaſi figunt, atque ita fixum quidam vocant præcipitatum miraculoſum, quo ad augmenta ſua Chryſopoei utuntur. Alchymiſtæ multum Smiritem in uſum trahunt, ſed in vanum, niſi adhuc aurum in ſinu foveat.

MINERALE PARTICULIS TERREIS CUM ALCALI CONSTANS.

STANNUM.

Eſt ſubſtantia metallica, mollis, alba, ſplendens cum livore quodam, ex certis mineris fuſa; malleabilis, fuſilis, obtuſum per ſe ſonum edens.

Stanni

STANNUM, Græce κασσίτερος, ab antiquis PLUMBUM ALBUM, PLUMBUM CANDIDUM, ab Hermeticis JUPITER vocatur, quod per Sympathiam Jovi macrocoſmico reſpondeat, æque ac Jovi Microcoſmico id eſt Hepati, aut quod Jupiter Planeta influat in hoc metallum. Germanice Zinn/ Gallice ETAIN dicitur.

Stannum a multis creditur eſſe medium inter argentum atque plumbum; quatenus concreſcit ex iis miſcibilibus, quorum pars purior & defæcatior ſeorſim poſita in argentum, alia craſſior in plumbum abiret. Atque ſic dicunt eſſe quaſi metallum ſpurium ſeu metallicum monſtrum ex gemino ſemine ortum, quorum alterum plumbi eſt, alterum argenti. At vero plus participare creditur de plumbo, quam de argento, unde plumbi candidi nomen tulit.

Quoad deſignandas particulas Stanni dicendum cum KOENIG, conſtare Jovem particulis viſcoſis, maxime terreſtribus & minus excoctis, fixiſque, cum pauciſſimis particulis ramoſis volatilibus, cum Spiritu inſuper in eo acido arſenicali ſalino (ut arguit halitus fœtidus, dum funditur, relicto in ſuperficie ſedimento halitus hujus terrei evaporati,

porati, ſub forma ſpumei panniculi) cujus ratione non ſaltem colores magis reflectere facit, ut ſcarlatum, dum viſcoſo ſuo corpore colores melius detinentur, & corpuſculis illis tingentibus ſuperficies magis æquabilis inducitur, ſed etiam metalla penetrat, ut eſt Cuprum & Ferrum, idque modo ſingulari, etiam dum hæc non ſunt integre fuſa, ut videre eſt in ferro aciculari, quod ſimpliciter ignitum ſtannoque intinctum album & inſigniter durum redditur, ſubtilitate nempe ſua poros eorum replet, ut experimento in Laboratorio ACADEMIÆ REGIÆ Pariſiis conſtitit; paratæ ſcilicet ſunt pilæ tres æquales magnitudine, una ex puro Jove ſaltem, altera ex puro cupro, tertia ex Jove & Venere fuſis invicem, quarum hæc poſterior, quartam partem plus ex ingreſſu Jovis poros replentis ponderavit. Hinc & Stannum Metallis, excepto Sole & plumbo, quæ tractabilia relinquit, duritiem affert terream & fragilia ea reddit, quod ſi non faceret, forte non ſaltem argentum in pondere augeret, ſed & cuprum tingeret; hujus ratione patet quomodo ex Venere cum Jove fiant ſpecula metallica. Sumuntur nempe cupri ℔iv. injiciuntur in crucibulum, daturque ignis fuſionis, hinc poſt fuſionem additur Stanni Anglici craſſo modo inciſi ℔j. fluuntque igne forti, hinc in formam ſpecularem materia infunditur & poſtea politur. Ex eodem quoque fundamento Stannum optime ferruminat metalla, quia ſubit eorum poros, præſertim admixta pice pro vehiculo, imo affuſum Stannum pluribus liquidis immixtisque metallis illa ſeparat, ut ſibi ſeorſum conjungat; quod referri poteſt in aptitudinem Stanni, ut in reliquorum poros ſubeat. Quin & contactu ferri candentis ſtatim liqueſcit, quod plumbo non evenit, eſtque itidem referendum in laxiorem Stanni plexum laxioresque poros, imo exinde ab ære æruginem prohibet, clauſis ejus poris: Vas quoque metallicum Stanno oblitum licet maximum plus fere non ponderat, quam ſine Stanno, quia tantum humoris ex poris extruditur, quantum Stanni intruditur. Quoniam difficulter a metallis rurſus ſeparatur a quibusdam Diabolus metallorum appellatur.

In Stanno porro ſulphur luxuriare patet quia Jupiter cum nitro agitatus eructat flammam & inſtar pulveris tormentarii edit ſtrepitum, quod a Jove nitrum transmutetur in alcali, quod alias impoſſibile eſſet, niſi a Sulphure veniret: cui adde, quod appareat Jovem Sulphur quoddam in ſe habere ex deſtillatione butyri antimonii cum Jove &

Mercurio

Mercurio ſublimato corroſivo, ubi hoc ſulphur inſtar foliorum Auri aſcendit.

Stannum rubiginem non contrahit, ſed potius ſqualorem & ſorditiem quandam. Stannum non eſt ſonorum multum per ſe ob mollitiem. Et quia Stannum hebetem habet ſonum, ideo temperat ea quæ acute ſonant, ſicut æs, argentum &c. eorumque ſonos gravat & ideo admiſcetur æri in fundendis campanis. Stannum ſonorum non eſt purum Stannum, ſed permixtum eſt cum Bismutho, Zinco, cupro & quandoque regulo Antimonii.

Stannum in quamplurimis reperitur fodinis, præſertim vero illud celebratur, quod ex Anglia imprimis Cornvallia & Devonia aſportatur, quia nempe eſt durius, dum è contra, quod in Germaniæ regionibus invenitur, mollius aliquantum ſit.

Stannum calore intenſiſſimo calcinatum plus ponderat: nimirum, ut KOENIG docet, dum fumus arſenicalis volatilis ab eo ſecedit, partes reliquæ Stannum componentes proximius ad ſe invicem accedunt, compactius id fit, aëris exterioris gravitas luculentius ſe exerere poteſt, preſſionemque inducere, adeo ut gravitas quoque major in eo deprehendi poſſit.

IN

Stanni uſum quod ſpectat vaſa ærea & cuprea eo illinuntur, fiſtulæ ſolidantur (miſcendo ad Stanni part. j. plumb. part. ij.) campanæ conflantur æri illud miſcendo, quin & characteres inde fabricantur, pro ſcriptis typis exprimendis Reliquos uſus in Oeconomia quilibet novit. Vires Medicæ Stanno adſcribuntur Hepaticæ & imprimis Uterinæ. Uſurpatur etiam externe, dum paratur emplaſtrum ad Hernias ex cineribus Stanni, germanice Zinnáſch/ & cute anguillarum recenti in lixivio ad gelatinam cocta, addendo huic colaturæ cineres, ut emplaſtrum fiat tenax, quod inducitur alutæ ovillæ prius pauco Terebinthinæ inunctæ, portaturque quamdiu manet. Virtute etiam anthelmintica gaudet, dum calefactum Stannum aliquoties in aqua ſpecifica aliqua, graminis,

nis, portulacæ, ſcordii &c. ter vel quater extinguitur, aut etiam decoquitur in aqua, pro potu ordinario. Laudatur hic præprimis Stannum Anglicum. Si Stannum impuritatibus ſit refertum, purgatio ejus inſtituenda, quæ fit dum Stannum funditur ad ignem, & inter fundendum injicitur aliquid ceræ, ſevi, mellis &c. hincque in aquam effunditur calidam. Qui in pulverem illud redigere volunt aut granulare, fuſum pyxidi ligneæ rotundæ creta conſperſæ indunt & bene agitant: ſic enim Stannum abit in granula minima.

Calcinatur Stannum illud in olla aut patella terrea non vitreata fundendo, agitandoque per longum tempus, donec in pulverem gryſeum ſit converſum Ex hoc calcinato Stanno cum Aceto, æque ac ex plumbo, ſal poteſt extrahi, quod nihil aliud eſt quam Stannum particulis acidis aceti imprægnatum. Laudant hoc ſal in ſuffocationibus uterinis item in Hectica & Hepatis affectibus. Exterius ad omnia ulcera fœtida, fiſtulas, cancrum, item ad impetigines celebratur. Doſis interne eſt ad gr. ij. iij. jv. &c.

Chymici multum quoque & in hoc laborarunt metallo, & varia exinde produxere remedia, inter quæ eminet ſudoriferum maximum Fabri, quod tamen rariſſime uſurpatur. Celebris quoque eſt ſpiritus fumans, in quo elaborando ſumma debet adhiberi cautela. Curioſum eſt, quod ſolutio ſtanni aurum ſolutum præcipitet eleganti purpura rubens. Conſiſtit in hoc fundamentum vitrum ſic dictum Rubineum parandi, de quo artificio forſan alia occaſione plenior dabitur cognitio.

℞. Exuvias anguillarum non ſalitas & in aqua calcis lotas, coque in lixivio, donec craſſeſcant, & inſtar glutinis fiant, quod effunde ſuper marmor. Sume hujus glutinis trajecti ℥iv. Adde Lap. hæmat. Sacch. Saturn. Jov uſt. ana ʒiij. Gumm. Ammon. Acet. ſolut & cum oleo myrtino con-

fuſi

fuſi ℥iij. miſce omnia leni cinerum calore in fictili, ut in maſſam emplaſtri tenuis coëant, quod alutæ extenſum applicetur in Herniis juxta Diſpenſatorium Brandeburgenſium.

℞. Jov. optim. ℥xij. Regul. ♁. ♂lis ℥j. Cupri rubri ʒij. fundantur ſimul, pro ſtanno indurato & reſplendente. Ad quem finem ſequens quoque proceſſus laudatur.

℞. Cupr. rubri ℥iv. ♁. crud. ℔j. funde, ut moris eſt, pro Regulo antimonii ♂ali, hujus Reguli. ℞. ℥j. Jovis ℥xij. funde ſimul & habebis Jovem ſplendentem inſtar argenti ad varia vaſa inde paranda, præcipue & typos Typographicos, ad quos alio modo adhuc parandos proceſſum diu in ſecretis habitum aliquoties memoratus KOENIG communicat.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Antihecticum Poterii, de quo ſub Antimonio dictum

SYLLABUS REMEDIORUM, JUXTA PARTES CONSTITUTIVAS.

EX REGNO VEGETABILI.

SALE VOLATILI OLEOSO CONSTANT. Radix Rhodiæ: Radix St Helenæ. pag. 1. ad 3. Cortex Caroli Sancti; Culilavvan Maſſoy. Mollis. p. 127. ad 130.

SALE VOLATILI DULCEDINE JUNCTA CONSTANT. Radices Paſtinacæ ſativæ latifoliæ: Paſtinacæ ſativæ tenuifoliæ: Paſtinacæ luteæ: Dauci Alſatici: Cervariæ nigræ: Angelicæ ſylveſtris majoris: Angelicæ ſylveſtris minoris: Myrrhidis. p. 3. ad 9.

SALE VOLATILI OLEOSO AROMATICO MIXTIS PARTICULIS TERREIS ET SALINIS FIXIS CONSTANS. Radix Iridis noſtratis p. 9 ad 11.

SALE AROMATICO BLANDO SEU MITIORI, CONSTANS VIRTUTE DIURETICA, APERIENTE ET BLANDE SUDORIFERA: Radix Chærophylli ſylveſtris. p. 11.

SALE VOLATILI AROMATICO SPIRITUOSO ET PENETRANTE ET PAUCO ACIDO VOLATILI CONSTANTES. Radices Allii: Cepæ: Porri: Victorialis longæ; Victorialis rotundæ: Serpentariæ: Cepæ Aſcalonicæ. p. 12. ad 24.

SALE ACRI FIXO ABSQUE OLEO CONSTANTES. Radices Ptarmicæ: Reſedæ: Pulſatillæ: Olsnitii. p. 24 ad 27.

SALE ACRI ABSQUE OLEO TAM FIXO QUAM VOLATILI. Radices Dentellariæ: Dentariæ. p. 27. ad 29.

SALE BLANDO BALSAMICO. Radix Berberis. p. 29.

SALE VOLATILI BLANDO CUM TEMPERATA TENUI VISCOSITATE. Radices floris Solis glandiferi; Dentis Canis: Tulipæ: Centaurii Majoris; Tubera. p. 29 ad 36.

SALE BLANDO FIXO TENUI VISCOSITATI INCLUSO. Radices Tragopogonis pratenſis; Tragopogonis ſativi Artifi dicti. p. 36. ad 38.

SALE BLANDO DIURETICO. Radices Saxifragæ albæ: Filipendulæ; Fragariæ: Cannæ Indicæ: Lappæ ſeu Bardanæ minoris; Spinæ albæ; Acetoſæ: Taraxaci: Lauri Alexandrinæ: Aſphodeli albi, Papaveris Corniculati. p. 38. ad 39. Lignum Betulæ. p. 159. ad 162.

SALE AMARO FIXO. Radices Chelidonii majoris; Succiſæ: Nidi Avis: Orobanches: Dipſaci; Chelidonii minoris; Gentianæ Cruciatæ; Anthoræ. p. 49 ad 56.

SALE FIXO CUM PAUCO SALE VOLATILI INCLUSO RESINÆ. Radices Ulmariæ: Barba Capræ; Parreira Brava; Ipecacuanha. p. 56. ad 64.

SALE VOLATILI GAUDENTES. Radices Scrophulariæ; Coronæ Imperialis. p. 64. ad 66.

PUR

PURGANTES RADICES SALE FIXO RESINÆ INCLUSO. Radices Thapſiæ: Floris Mirabilis. p. 66. ad 68.

SALE FIXO ACRI CONSTANTES ET VEHEMENTISSIME PURGANTES. Radices Tamni; Colchici; Aconiti; Napelli: Aconiti Hyemalis; Chriſtophorianæ; Aſtrantiæ: Hellebori Hippocratis; Cicutæ; p. 68. ad 79. Cortices Frangulæ: Nucis Juglandis. p. 151. ad 154.

SALE PURGANTE BLANDO CONSTANTES ET VULGO LAXANTES. Radices Bulbocodii; Narciſſi; Rhabarbari Monachorum; Pſeudo-Rhabarbari; Oxylapathi; Lapathi aquatici maximi. p. 79. ad 88.

PARTICULIS BLANDE VISCOSIS CUM DULCEDINE CONSTANTES. Radices Bulbocaſtani; Rapæ: Rapunculi eſculenti; Rapunculi ſylveſtris ſpicati; Siſari: Ornithogali; Leucoji Bulboſi; Celery; Thraſy; Batatas; Papas; Colocaſia; Mandioca; Yucca. p. 88. ad 106.

AQUOSIS CRASSIS SEU MUCILAGINOSIS CONSTANTES. Radices Acanthi; Betæ rubræ; Craſſulæ majoris; Martagonis; Arundinis; Squammariæ; Dentariæ quinquefoliæ. p. 106. ad 113.

MUCAGINE TENUIORE PAUCIS FIXIS SALINIS CONSTANTES. Radices Sigilli Salomonis; Scandicis; Brancæ Urſinæ. p. 113. ad 117.

PARTICULIS TERREIS CONSTANTES. Radices Aſtragali arvenſis: Acori adulterini; Nucis; Cynosbati; Echii; Britannicæ; Auriculæ Urſi; Plantaginis aquaticæ; Cervicariæ majoris; Medii; Caryophyllatæ Alpinæ; Aſteris Attici. p. 117. ad 127. Cortices Abietis; Aceris majoris; Aceris minoris; Alni; Laricis; Mori; Caprifolii; Populi; Pinaſtri; Piceæ; Salicis; Suberis; Ulmi. p. 132. ad 151. Ligna Braſilianum; Coryli; Loti arboris; Hederæ; Fagi; Taxi; Viſcus Corylinus; Viſcus Salicis. p. 162. ad 171.

SALE FIXO DIURETICO CONSTANS. Cortex Cardui ſtellati. p. 130. ad 132.

SALE OLEOSO AROMATICO CONSTANT. Ligna Buxi; Ebenum; Thuyæ; Quajaci Patavini. p. 154 ad 159.

TERREIS ET QUANDOQUE SUBAUSTERIS CONSTANT. Boletus eſculentus; Fungus campeſtris eſculentus: Fungi verni Mouceron dicti; Fungus Salicis; Fungus Cynosbatos; Fungus Nucis Juglandis; Lycopodium ſeu Muſcus terreſtris clavatus; Muſcus arboreus. p. 171. ad 182.

SALE VOLATILI OLEOSO AROMATICO CONSTANT. Semina Abelmoſch : Agni caſti : Baſilici : Celery : Ferulæ : Libanotidis : Moldavicæ : Thalictri. p. 182. ad 189.

SALE VOLATILI AROMATICO CUM BLANDA VISCOSITATE: Semen Acanthi : Abietis : Laricis : Pinus : Chærefolii : Dauci Alſatici : Myrrhidis : Cervariæ nigræ : Paſtinacæ luteæ : Smyrnii. p. 189. ad 198.

SALE AROMATICO BLANDO CONFORTANTE CONSTANT. Fructus Ananas : Berberis : Fraga : Framboeſia : Mora : Mala : Pyra : Uva criſpa : Uvæ. p. 198. ad 224.

SALIBUS ACRIBUS FIXIS. Semen Cepæ : Erucæ : Porri. p. 224. ad 226.

SALE VOLATILI ACRI CUM OLEO CRASSO. Semen Mahaleb : Rapæ p. 226. ad 228.

SALE FIXO AMARO. Semen Lamii : Perfoliatæ : Securidacæ : Xanthii : Faba St. Ignatii. p. 228. ad 232.

SALE BLANDO DIURETICO. Fructus Cynosbati : Fagi : Oxyacanthæ. p. 232. ad 236.

SALE PURGANTE ACERRIMO. Fructus Alypi : Cocculæ : Taxi. p. 236. ad 239.

SALE ACRI PURGANTE TAM VOLATILI QUAM FIXO. Baccæ Rhamni : Xyloſtei. p. 239. ad 242.

SALE PURGANTE TAM FIXO QUAM VOLATILI OLEO CRASSO INCLUSO. Fructus Caprifolii : Coluteæ : Evonymi : Sigilli Salomonis : Staphylodendron : Hederæ. p. 242. p. 246.

BLANDA VISCOSITATE CONSTANT. Avena : Fagopyrum : Frumentum Turcicum : Melampyrum : Milium : Oryza : Secale : Triticum : Zea. p. 246. ad 263.

SUBDULCIBUS ET OLEOSIS TEMPERATIS CONSTANT. Avellana : Coccos : Nuclei mali Armeniaci : Momordica : Nux : Olivæ. p. 263. ad 296.

DULCIBUS VISCOSIS CONSTANT. Cinara : Glycyrrhiza ſylveſtris. p. 296. ad 298.

PARTICULIS AQUOSIS CUM OLEO PAUCO. Fructus Solani : Lycoperſici : Melongenæ. p. 298. ad 302.

PARTICULIS CRASSIS AQUOSIS SEU MUCAGINOSIS ABSQUE OLEO MANIFESTANTE. Ervum : Lachyma Jobi : Phaſeolus

ſeolus; Lentes; Mungo; Muſa; Ochrus; Panicum; Piſum; Seſamum; Sorghum; Vicia. p. 302. ad 319.

MUCAGINE VOLATILI PRÆDITA. Fructus Belladonna; Paridis: Stramınonei p. 319. ad 323.

TERREIS CONSTANT. Semen Acetoſæ; Fructus Arbuti; Lilac; Myrtilli; Pyri ſylveſtris; Siliquaſtri; Sorbi ſylveſtris; Tribuli aquatici; Corni; Liguſtri; Loti Arboris; Mali Sylveſtris; Rubi; Sorbi: Sorbi torminalis; Viburni. p. 323 ad 340.

PLANTÆ SALE VOLATILI OLEOSO SEU AROMATICO CONSTANT. Angelica ſylveſtris minor; Baſilicum; Camphorata; Caucalis: Chæ efolium; Chærophyllum ſylveſtre; Clinopodium; Cuminoides; Horminum; Marum; Moldavica; Molucca; Molle; Myrrhis; Laſerpitium; Oenanthe; Santolina; Sium; Teucrium. p. 340. ad 357.

PLANTÆ SALE AROMATICO VOLATILI CUM QUIBUSDAM FIXIS CONSTANTES. Ambroſia; Arnica; Fragaria; Malabathrum; Xanthium. p. 357. ad 364.

PLANTÆ SALE AROMATICO VOLATILI OLEOSO CUM MULTO FIXO CONSTANTES. Anagallis; Alliaria; Chelidonium majus; Carduncica; Carduus ſtellatus; Harmala; Abies; Larix; Thalictrum; Marrubium nigrum; Matriſylva; Nux; Percepier; Porrum; Ros Solis; Smilax aſpera; Stachys; Vulvaria. p. 364. ad 387.

PLANTÆ SALE AROMATICO CUM PAUCA RESINA CONSTANTES. Abſinthium Seriphium; Botrys Mexicana; Conyza major; Linaria. p. 387. ad 392.

PLANTÆ SALE BLANDO CUM PAUCO VOLATILI CONSTANTES. Galega; Scrophularia. p. 392. ad 394.

PLANTÆ SALE BLANDO FIXO CUM QUIBUSDAM TERREIS CONSTANTES. Acetoſa; Acetoſella; Androſæmum; Barba Capræ; Ulmaria; Luteola; Nummularia; Pervinca; Saxifraga; Senecio. p. 394. ad 408.

PLANTÆ SALE AROMATICO OLEOSO PENETRANTISSIMO CUM ACIDO VOLATILI CONSTANTES. Allium Urſinum; Barbarea; Beccabunga; Cardamindum; Coſtus hortorum; Dracunculus eſculentus; Eruca; Lepidium; Naſturtium aquaticum; Naſturtium pratenſe; Porrum ſectivum; Trifolium fibrinum. p. 408. ad 422.

PLANTÆ SALE VOLATILI ACRI CONSTANTES ABSQUE OLEO

OLEO VOLATILI. Clematitis ſylveſtris: Clematitis ſurrecta: Clematitis flammula: Erica: Heliotropium: Iſatis: Nerium: Pulſatilla: Ptarmica. p. 422. ad 433.

PLANTÆ SALIBUS FIXIS SEU AMARIS CONSTANTES CUM PAUCO VOLATILI SALE. Acmella: Carduus hæmorrhoidalis: Chelidonium minus: Crithmum: Blattaria: Buxus: Dens Leonis: Gentiana cruciata: Jacobæa: Lamium: Lauroceraſus: Parnaſſia: Perfoliata: Scandix: Sonchus lævis: Sonchus aſper: Tertianaria. p. 433. ad 453.

PLANTÆ PURGANTES. Cicuta: Colutea: Convolvulus major: Linum Catharcticum: Ranunculus acris: Digitalis: Cotula fœtida p. 453. ad 469.

PLANTÆ CONSTANTES SALE LAXANTE Branca Urſina: Polygala: Saponaria: Alſine: p. 469. ad 475.

PLANTÆ CONSTANTES PARTICULIS OLEOSIS AQUOSIS CRASSIS. Alcea: Acanthus: Atriplex ſylveſtris: Beta: Blitum: Bonus Henricus: Braſſica: Cacalia: Circæa: Cotyledon major: Cucubalus: Dulcamara: Lapathum aquaticum maximum: Lapathum hortenſe: Lapathum ſanguineum: Lenticula paluſtris: Omphalodes: Ophris: Plantago aquatica: Herba Paris: Sedum majus: Typha: Solanum: Spinachia: Valerianella: Unifolium. p. 475. ad 511.

PLANTÆ TERREIS CONSTANTES. Acer major: Alaternus: Anſerina: Aquifolium: Bellis major: Bellis minor ſylveſtris: Bellis minor hortenſis: Brunella: Bugula: Cerinthe: Cervicaria major: Conyza media: Corallina: Cortuſa: Cotinus: Cotula non fœtida: Cruciata: Cymbalaria: Fagus: Filago: Gallium: Geranium Robertianum: Herniaria: Hedera: Helianthemum: Hieracium: Hiſpidula: Lagopus: Laurus Alexandrina: Liguſtrum: Lyſimachia lutea: Lyſimachia purpurea: Millefolium: Morus: Roſa de Hiericho: Rubus: Rubus Idæus: Sideritis: Thuya: Ulmus: Viburnum. p. 511. ad 568.

PLANTÆ PARTICULIS TERREIS TEMPERATIS ET BLANDIS VOLATILIBUS CONSTANTES. Antirrhinum: Aparine: Auricula Urſi: Britannica: Calceolus: Caprifolium: Coronopus: Chryſoſplenium: Echium: Globularia: Jacea nigra: Lonchitis: Moxa: Ophioglosſum: Salix: Scabioſa: Succiſa: Trifolium: Vitis. p. 568. ad 601.

FLORES SALIBUS VOLATILIBUS OLEOSIS SEU AROMATICIS CONSTANTES. Caprifolii: Moldavicæ: Scabioſæ. p. 601. & ſq.

FLORES

FLORES SALE FIXO CUM PAUCIS VOLATILIBUS CONSTANTES. Conſolida Regalis: Linaria: Nucis Juli; Tagetes. p. 603. ad 608.

FLORES MUCAGINE TENUI POLLENTES. Flos Solis; Flos Trinitatis: Lamium. p. 608. ad 611.

FLOS AQUEIS CONSTANS. Caltha paluſtris. p. 611. & ſq.

FLORES MUCAGINE CRASSA CONSTANTES. Populus: Ranunculus. p. 612. ad 615.

FLORES TERREIS CONSTANTES. Amaranthus: Bellis hortenſis: Bellis ſylveſtris: Ciſtus: Cinosbatos: Erica: Liguſtrum: Lyſimachia purpurea 615. ad 622.

SALINIS VOLATILIBUS OLEOSIS CUM MUCILAGINOSIS TENUISSIMIS SUBTILIBUS CONSTANT. Vinum: Spiritus Vini: Pomaceum: Pyraceum. p 622 ad 674.

SALINIS VOLATILIBUS OLEOSIS CUM VIRTUTE LAXANDI Muſtum: Sapa. p 674. ad 677.

SUCCI SALE ACIDO CONSTANTES. Omphacium: Acetum. p. 677 ad 693.

RESINA SPISSIOR, SOLIDIOR ET ARIDIOR SALE OLEOSO CONSTANS. Copal. p. 693 ſq.

RESINÆ SALE VOLATILI OLEOSO CONSTANTES. Reſina Abietis: Laricis: Pinea alba. p. 694. ad 697.

RESINA GUMMOSA ET SUCCUS PURGANS. Gummi Hederæ. p. 697.

CONCRETUM SALE TAM VOLATILI QUAM FIXO CUM INTENSISSIMA AMARITIE CONSTANS. Fuligo. p. 699. ad 705.

EX REGNO ANIMALI.

PARTES ANIMALES SALE VOLATILI OLEOSO CUM MULTIS TERREIS CONSTANTES Lapis Carpionis: Lapis Percarum: Dens Hippopotami: Dens Lupi: Talus Leporis; Scorpio: Album Græcum. p. 705. ad 724.

ANIMAL SALE VOLATILI OLEOSO CUM ODORE FRAGRANTISSIMO CONSTANS. Formica. p. 734. ad 738.

PARTES ANIMALIUM SALE VOLATILI CUM MULTA

PINGUEDINE CONSTANTES Teſticuli Galli : Pelliculæ Ventriculi Gallinacei : Axungia Caponis p. 748 ad 752.

ANIMALIA & PARTES ANIMALIUM SALE VOLATILI BLANDO CONSTANTES. Priapus Tauri : Stercus Vaccinum : Medulla Vitulina : Millepedes : Spina Viperarum : Buſo. p. 752. ad 789

PARTES ANIMALES OLEOSIS CRASSIS CONSTANTES. Lac : Butyrum : Caſeus : Lac Caprilum : Sevum Hircinum : Axungia Porcina : Oeſypus : Ova : Sperma Ranarum p. 789. ad 845.

PARS ANIMALIS TERREIS CONSTANS CUM PAUCO SALE VOLATILI. Pulmo Vulpis, p. 845. ad 848.

EX REGNO MINERALI.

MINERALE SALE FIXO CONSTANS. Fel Vitri. p. 848. & ſq.

MINERALE SALE SALSO VOLATILI ET CORROSIVO CONSTANS. Biſmuthum. p. 848. ad 851.

MINERALIA SALE VOLATILI PURGANTE CONSTANTIA CUM TERRA ADSTRINGENTE. Cuprum : Aëris flores. p. 851. ad 855.

MINERALIA OLEOSIS SEU PINGUIBUS CUM ACIDO VOLATILI CONSTANTIA. Petroleum : Ambra Gryſea. p. 855. ad 865.

MINERALE FIRMIORIBUS PARTICULIS CONSTANS. Argentum foliatum p. 865. ad 867.

MINERALIA TERREIS CONSTANTIA. Buſonites : Amethyſtus : Ætites : Chryſolithus : Lapis Nephriticus : Lapis Judaicus : Lapis Lyncis : Alabaſtrum : Gypſum ; Rubrica : Terra Melitæa : Lac Lunæ : Lapis Spongiæ : Smirites. p. 867. ad 887.

MINERALE PARTICULIS TERREIS CUM ALCALI CONSTANS. Stannum. p. 887. ad 891.

INDEX MATERIÆ MEDICÆ.

Abelmoſch ſemen	183
Abietis Coni	189
cortex	133
folia	373
Reſina	694
Abſinthium Seriphium	388
Acanthi folia	476
radix	106
ſemen	189
Acer major	513
minor	135
Acetoſæ folia	395
radix	44
ſemen	324
Acetoſella	397
Acetum	680
Acmella	433
Aconitum	71
Hyemale	75
Acorus adulterinus	118
Æris flores	854
Ætites	872
Africanus flos	606
Agnus	830
Agni caſti ſemen	183
Alabaſtrum	879
Alaternus	513
Album græcum	727
Alcea	475
Alliaria	367
Allium	12
Urſinum	408
Alnus	136
Alſine	473
Alypum	236
Amaranthus	615
Ambra gryſea	857
Ambroſia	358
Amethyſtus	871
Anagallis	365
Ananas	198
Androſæmum	399
Angelica ſylveſtris major	7
Angelicæ ſylveſtris minoris folia	340
radix	8
Anſerina	514
Antirrhinum	569
Anthora	55
Aparine	570
Aquifolium	515
Arbutus	325
Argentum foliatum	865
Aries	822
Arnica	358
Artiſi	37
Arundo	109
Aſphodelus albus	46
Aſter Atticus	126
Aſtragalus arvenſis	117
Aſtrantia	77
Atriplex ſylveſtris	477
Avellana	264
Avena	246
Auriculæ Urſi herba	571
radix	124
Axungia Caponis	750
Porcina	809

Barbæ Capræ herba 400
radix 56
Barbarea 409
Bardana minor 42
Baſilici herba 341
ſemen 185
Batatas 100
Beccabunga 410
Belladonna 320
Bellis hortenſis 616
minor 521
major 517
Bellidis Sylveſtris herba 518
flores 617
Berberis fructus 202
Radix 29
Beta 478
rubra 106
Betula 159
Biſmuthum 849
Blattaria 437
Blitum 480
Boletus eſculentus 171
Bonus Henricus 481
Botrys Mexicana 388
Brancæ urſinæ folia 470
radix 116
Braſilianum lignum 162
Braſſica 482
Britannicæ herba 572
radix 121
Brunella 521
Bufo 785
Bufonites 867
Bugula 522
Bulbocaſtanum 88
Bulbocodium 80
Butyrum 798
Buxi herba 438
Lignum 154
Cacalia 487
Calceolus 575
Caltha paluſtris 611
Camphorata 313
Canna Indica 41
Caponis axungia 750
Caprifolii cortex 139
flores 601
folia 576
fructus 242
Caprillum lac 801
Cardamindum 411
Cardiaca 369
Carduus hæmorrhoidalis 434
Cardui ſtellati cortex 131
folia 371
Carenum 678
Carolus ſanctus 127
Carpionis lapis 701
Caryophyllata Alpina 126
Caſeus 799
Caucalis 343
Celery radix 97
ſemen 185
Centaurium majus 34
Cepa Aſcalonica 23
Cepæ radix 15
ſemen 224
Cerinthe 523
Cervicariæ majoris folia 524
radix 117
Cervariæ nigræ radix 6
ſemen 195

Chærefolii

Chærefolii herba 344
ſemen 195
ſylveſtris herba 346
radix 11
Chelidonii majoris herba 368
radix 49
minoris herba 435
radix 54
Chriſtophoriana 76
Chryſolithus 875
Chryſoſplenium 578
Cicutæ herba 453
radix 78
Cinara 296
Circæa 488
Ciſtus 618
Clematitis ſive flammula 425
ſurrecta 424
ſylveſtris 423
Clinopodium 347
Coccos 267
Cocculæ 237
Colchicum 70
Colocaſia 102
Colutea 460
Coni Abietis 189
Laricis 192
Pinus ſylveſtris 193
Conſolida Regalis 603
Convolvulus major 461
minor 462
Conyza major 389
media 525
Copal 693
Corallina 526
Cornus 324
Corona Imperialis 65
Coronopus 577
Cortex Abietis 133
Aceris majoris 135
minoris 135
Alni 136
Caprifolii 139
Cardui ſtellati 131
Caroli Sancti 127
Culilavvan 128
Frangulæ 151
Laricis 137
Maſſoy 128
Mollis 129
Mori 139
Nucis juglandis 153
Piceæ 144
Pinaſtri 140
Populi 139
Salicis 145
Suberis 147
Ulmi 149
Cortuſa 526
Coryli Lignum 164
Viſcus 170
Coſtus hortorum 412
Cotinus 528
Cotula foetida 468
non foetida 529
Cotyledon 489
Craſſulæ majoris herba 489
radix 107
Crithmum 436
Cruciata 529
Cucubalus 491
Culilavvan 128

Cuminoides 348
Cuprum 851
Cymbalaria 530
Cynosbati flores 618
fructus 232
radix 120
DAtura 321
Dauci alſatici radix 6
ſemen 195
Defrutum 678
Dens Canis 31
Dens Hippopotami 710
Leonis 439
Lupi 712
Dentaria 28
quinquefolia 112
Dentellaria 27
Digitalis 466
Dipſacus 52
Dracunculus eſculentus 413
Dulcamara 492
EBenum lignum 156
Echii herba 579
radix 121
Ericæ flores 619
herba 425
Erucæ folia 414
ſemen 225
Evonymus 243
Ervum 302
FAba St. Ignatii 230
Fagi folia 531
Lignum 167
ſemen 234
Fagopyrum 249
Fel vitri 848
Ferula 186
Filago 531
Filipendula 40
Flos Africanus 606
Æris 854
Mirabilis 67
Solis 608
glandiſer 29
Trinitatis 610
Tunetanus 606
Formicæ 734
Fraga 204
Fragariæ herba 360
radix 41
Framboeſia 205
Frangula 151
Frumentum Turcicum 250
Fuligo 699
Fungus campeſtris eſculentus 173
Cynosbatos 175
Vernus Mouceron dictus 174
Nucis juglandis 177
Salicis 175
GAlega 392
Galli Teſticuli 738
Gallinacei pulli 749
Ventriculi pelliculæ 743
Gallium 533
Gemmæ Populi 613
Gentianæ cruciatæ herba 443
radix 54
Geranium Robertianum 535
Glans terreſtris 117
Globularia 579
Glycyrrhiza ſylveſtris 297
Gnaphalium Germanicum 531

Gummi hederæ	697
Gypſum	881
HArmala	372
Hederæ Baccæ	245
folia	538
gummi	697
Lignum	166
Helenæ radix	2
Helianthemum	539
Heliotropium	427
Helleborus Hippocratis	77
Herba Paris	500
Herniaria	536
Hieracium	540
Hippopotami dens	710
Hircinum ſevum	806
Hiſpidula	541
Horminum	348
JAcea nigra	580
Jacobæa	444
Ipecacuanha	59
Iris noſtras	9
Iſatis	429
Judaicus lapis	877
LAc	789
Caprillum	801
Lunæ	884
Lachryma Jobi	303
Lagopus	542
Lampſana	493
Lamii flores	611
herba	444
Lana ſuccida	832
Lapathi aquatici folia	493
radix	87
Lapathum hortenſe	494
Lapathum ſanguineum	495
Lapis Bufonius	867
Carpionis	705
Judaicus	877
Lyncis	878
Nephriticus	876
Percarum	708
Spongiæ	884
Lappa minor	42
Laricis coni	192
cortex	137
folia	375
Reſina	696
Laſerpitium	353
Lauri Alexandrinæ folia	543
radix	46
Lauroceraſus	446
Lentes	306
Lenticula paluſtris	496
Lepidium	415
Leporis Talus	717
Leucojum bulboſum	96
Libanotis	187
Lignum Betulæ	159
Braſilianum	162
Buxi	154
Coryli	164
Ebenum	156
Fagi	167
Hederæ	166
Loti arboris	165
Taxi	169
Thuyæ	157
Liguſtri baccæ	326
flores	620
folia	544

Lilac 327
Linariæ flores 605
herba 389
Linum Catharcticum 463
Lonchitis 581
Loti Arboris fructus 328
lignum 165
Lunæ lac 884
Lupi dens 712
Luteola 401
Lycoperſicum 299
Lycopodium 178
Lyncis lapis 878
Lyſimachia lutea 545
Lyſimachiæ purpureæ flores 621
herba 547

MAhaleb 226
Mala 208
ſylveſtria 331
Malabathrum 362
Malorum armeniacorum nuclei 277
Mandioca 102
Marrubium nigrum 377
Martagon 108
Marum 349
Maſſoy 128
Matriſylva 378
Medium 125
Medulla Vitulina 772
Melampyrum 252
Melianthus 698
Melitæa Terra 883
Melongena 300
Milium 252
Millefolium 547
Millepedes 774
Moldavicæ flores 602
herba 350
ſemen 188
Mollis cortex 129
folia 352
Molucca 351
Momordica 279
Mora 207
Mori cortex 139
folia 558
Moxa 582
Mungo 308
Muſa 308
Muſcus arboreus 181
Muſtum 674
Myrrhidis herba 352
radix 8
ſemen 195
Myrtilli 329

NApellus 73
Narciſſus 81
Naſturtium aquaticum 416
pratenſe 418
Nephriticus lapis 876
Nerium 430
Nidus avis 50
Nuclei malorum Armeniacorum 277
Nummularia 402
Nux 281
Nucis cortex 153
folia 378
Juli 605
radix 119

OChrus 311
Oculi Populi 613
Oenanthe 354

Oeſypus

Oeſypus 822
Olivæ 287
Olsnitium 26
Omphacium 679
Omphalodes 498
Ophiogloſſum 588
Ophris 498
Ornithogalum 94
Orobanche. 51
Oryza 254
Ova 833
Ovis 826
Oxyacantha 234
Oxylapathum 85
PAnicum 311
Papaver corniculatum 48
Papas 101
Paris herba 500
Paridis baccæ 321
Parnaſſia 447
Parreira Brava 57
Paſtinaca latifolia ſativa 3
Paſtinacæ luteæ ſemen 196
radix 5
tenuifolia 4
Pelliculæ Ventriculi gallinacei 743
Percarum lapis 708
Percepier 380
Perfoliatæ herba 448
ſemen 228
Pervinca 404
Petroleum 855
Petroſelinum Macedonicum 196
Phaſeolus 304
Piceæ cortex 144
Pinaſtri cortex 140
Pinea alba reſina 696
Pinus ſylveſtris Coni 193
Piſum 312
Plantaginis aquaticæ folia 499
radix 124
Polygala 471
Pomaceum 672
Populi gemmæ 613
cortex 139
Porcina Axungia 809
Porcellus 810
Porcus 809
Porri folia 381
radix 18
ſemen 226
Porrum ſectivum 419
Priapus Tauri 753
Pſeudo Rhabarbarum 84
Ptarmicæ herba 432
radix 24
Pullaſtri 749
Pulli Gallinacei 749
Pulmo Vulpis 845
Pulſatillæ herba 431
Radix 25
Pyra 214
ſylveſtria 332
Pyraceum 674
QUajacum Patavinum 158
RAdix Helenæ 2
Rhodia 9
Ranarum ſperma 840
Ranunculus acris 464
dulcis 614
Rapæ radix 89

Rapæ ſemen 227
Rapunculus eſculentus 92
ſpicatus 93
Reſeda 24
Reſina abietis 694
alba Pinea 696
Laricis 696
Rhabarbarum Monachorum 83
Rhamnus 239
Rhodia radix 1
Ros Solis 383
Roſa de Hiericho 559
Rubrica 882
Rubi folia 561
Mora 333
Idæus 562
SAlicis cortex 145
folia 589
Santolina 355
Sapa 678
Saponaria 472
Saxifragiæ herba 405
radix 39
Scabioſæ flores 602
herba 590
Scandicis herba 449
radix 116
Scorpio 724
Scrophulariæ herba 393
radix 64
Secale 255
Securidaca 229
Sedum majus 502
Senecio 406
Serpentaria 21
Seſamum 315
Sevum hircinum 806
Sideritis 563
Sigilli Salomonis baccæ 244
radix 113
Siliquaſtrum 334
Siſarum 93
Sium 357
Smilax aſpera 384
Smirites 885
Smyrnium 197
Solani baccæ 298
herba 507
Sonchus aſper 451
lævis 450
Sorba 335
Sorbus ſylveſtris 336
torminalis 337
Sorghum 317
Sperma ranarum 840
Spina alba 43
Spinachia 509
Spinæ Viperarum 780
Spiritus Vini 664
Spongiæ lapis 884
Squammaria 111
Stachys 386
Stannum 887
Staphylodendron 244
Stercus Vaccinum 765
Strammoneum 321
Suber 147
Succiſæ herba 592
radix 49
Sus 809
Syringa 327

Tagetes

TAgetes	606
Talus Leporis	717
Tamnus	68
Taraxaci folia	439
radix	45
Tatura	321
Tauri Priapus	753
Taxi fructus	238
Lignum	169
Terra Melitæa	883
Tertianaria	452
Teſticuli Galli	738
Teucrium	356
Thalictri herba	375
radix	87
ſemen	188
Thapſia	67
Thraſi	98
Thuya folia	565
lignum	157
Tragopogon	37
Tribulus aquaticus	338
Trifolium	594
fibrinum	420
Trinitatis flos	610
Triticum	258
Tubera	35
Tulipa	32
Typha	506
VAccinum ſtercus	765
Valerianella	510
Ventriculi gallinacei pelliculæ	743
Vervex	825
Viburni folia	567
fructus	339
Vicia	318
Victorialis longa	20
rotunda	19
Vini Spiritus	664
Viperarum ſpina	780
Viſcus Corylinus	170
Vitis	595
Vitri fel	848
Vitulina medulla	772
Ulmariæ herba	400
radix	56
Ulmi cortex	149
folia	565
Unifolium	511
Uva criſpa	218
Uvæ	219
Vulvaria	386
Vulpis pulmo	845
Xanthii folia	364
fructus	229
Xyloſtei baccæ	241
Yucca	105
Zea	262

FINIS.